Thomæ Gatakeri

L. 27. 32

LONDINATIS

CINNUS.

B. 5. 27

SIVE

ADVERSARIA MISCELLANEA;

ANIMADVERSIONUM VARIARUM

Libris ſex comprehenſa.

BIBL. CANT. ACAD.

QUORUM

Primores duo nunc primitùs prodeunt, reliqui deinceps (Deo favente) ſeorſim inſecuturi.

LONDINI,

Typis *J. Fleſheri*, impenſis *L. Sadleri* Bibliopolæ, commorantis in vico vulgò vocato **Little Britain**, apud quem proſtant venales. 1651.

368:98

Lectori pio, perito, candido,

Salutem in Christo.

IS es enim, cui ſcriptum hoc, meáqe univerſa, cognoſcenda, perpendenda, cenſenda, lubentiſſimè permitto. Colluviem reliqam, cujus fœta feráxqe nimis ætas eſt iſta, nullus moror. In hac avtem claſſe non immeritò collocandos cenſeo, literaturæ eruditioníſqe omnis oſores hoſtéſqe profeſſos, imperitiæ patronos atqe hyperaſpiſtas, ratiocinationum legitimarum, ſcriptorúmqe ſacrorum [a] lucifugas, dogmatum denique novellorum, ſenſuúmqe impiorum, utcunqe titulis ſpecioſis ſe ſuáqe obducant obvelentqe, ſartores ſatoréſqe univerſos. Horum ſiqidem; licet æqè numeroſa ubiqe ferè nunc dierum ſit turba, qàm muſcarum tempeſtate æſtivâ eſſe ſolet, avt in macello, avt in velabro, nec ſit ullum hominum genus, avt inſolentius, avt confidentius, avt irritabilius, avt cenſorium magis, unde cenſuram ab eis pronam ſatis & præcipitem, nec aculeatam minùs qàm iniqam expectare ac ſubire neceſſe prorſus videatur; judicia tamen & dictata, vel dicteria etiam nihili facio: qum pari loco habeam, qo [b] Cynicus ille *imperitorum voces*, qæ [c] *ſurſum an deorſum ſonarent*, ſuâ nihil referre is exiſtimabat. Compertum ſatis jamdudum habeo, nec illorum inſtituta placitáqe mihi poſſe probari, nec mea illis non diſplicere.

a *Lucifugæ iſti Scripturarum.* Tertull. *de reſurr. carn. c. 47.*

b Demetrius, apud Senecam *ad Lucil. ep. 91.*

c Cujus dicti vim facetam Lipſius non eſt aſſecutus; qum tamen *ventris crepitum* alludi ex antegreſſis diſcere proclive foret.

cere. Obloqantur itaqe, vellicent, arrodant, ſuggillent, qantum libuerit: me intra fidei conſcientiæqe ſepta conſiſtentem, munimentiſqe hiſce atqe integumentis, [d] *echini inſtar*, qod ille olim, [e] *involutum* an [f] *convolutum* undiqe dixerim, non magis attingent, afficient ſaltem, qam teſtudinis clypeum firmiſſimum elephantíſve corium duriſſimum veſparum aculei, culicúmve etiam ligulæ, penetrare, hedum ut perforare, valuerint. Decori propius ducetur ab eis traduci, à quibus probari avt dilavdari probro potiùs ac dedecori fuerit.

[d] ὡς εἰντ' ἂν ἄλλων θηρίων ὀρμὴν μάθῃ, Στρόβυλον ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας πόδας, Κεῖται λακεῖντι χὠ διηγεῖν ἀμήχανον. Ion *Phœnic.* citantibus Plut. *collat. terreſtr. & aquatil.* Athen. *diſpoſoph.* l.3. Schol. Ariſtoph. ad *Eqit.* Zenob. in *Adag.* [e] *—metá Ventre me involvo* Flacc. *carm.l.3 od.29.* [f] Εἰς αὐτὸν ἑαυτὸν συνειλῆ. Marcus Imp.lib.7.§ 28.Idémque l.8. § 48. Ἀκατάμαχον γίνεται τὸ ἡγεμονικόν, ὅταν εἰς ἑαυτὸ συστῇ, ἀρκούμενον ἑαυτῷ. de Echinis Plinius *l.6.c.17. Convolvitur in ſormam pilæ, neqid comprehendi poſſit præter aculeos.* Et Ambroſ. *hexamer. l.6. c.4. Spinis ſuis clavditur, atqe in ſua ſe arma colligit, ut qicunqe eum contingendum putavevit, ipſe vulneretur.*

At tu, qalem expeto & exopto, qiſqis es, Lector, habes tandem ante biennium in *Promulſide* promiſſum *Cinnum* meum. habuiſſes maturiùs, nî in *Vates* ſacros primores duos *Annotationes* lingvâ populari conſcriptæ, qas confectas urgebant οἱ ἐργοδιῶκται, remoram neceſſariam interjeciſſent: cum operi, an oneri, gemino ſimul intendere, nec corpuſculi fatiſcentis, nec animulæ unâ cum contubernali flacceſcentis, imbecillitas pateretur. Qanqam nec à morâ iſtâ, damni qicqam, lucelli magis nonnihil ſaltem, accreviſſe deprehendes; ubi partim ex cogitationibus priſtinis denuò repetitis iteratóqe recoctis, partim ex novarum, qarum concipiendi aliorum qædam nuperiùs (voculæ inſolentiori venia ſit) in lucem prodeuntia anſam dedere, qantum in *Cinni partem primam* hanc injicere viſum eſt, ſupplemento, acceſſionem havd ſpernendam factam intellexeris. Nec vitio vertas, avt fidei

ſubleſtæ

ſubleſtæ incuſes, qod *Cinni* partem duntaxat aliqam, non integrum exhibemus. Nolo propolarum morem obtendere, qi[s] vel *ſiphunculo*, vel *manu cavâ* vini pavxillum præſtinaturis guſtandum porrigunt, unde de cupâ totâ dolióve integro, indicium ac judicium fiat. in *Promulſide* enim forſitan priùs præſtitum id dixeris: ideò ſupervacaneum nunc exiſtere. Qin verendum magis videri poterat, ne largiter nimis oggerendo, palatis tenerioribus, ſtomachíſqe delicatioribus moleſtiam crearem, navſeámqe moverem: quam[h] non moleſtum minùs habeatur, pleno ac ſatiato jam potandum ampliùs porrigere, qàm à potu ſiti laborantem arcere. Cæterùm, ut qod res eſt liberè proloqar, intermiſſionem & reſpirationem aliqam flagitabant vireculæ, horum recenſione & recognitione ubertim jam delaſſatæ. Acceſſit & aliud, moleſtiæ pariter ac momenti minoris licet, negotiolum, qod pavliſper avocare ac diſtinere neceſſe habeat. Hoc ubi expediverim, qod propediem futurum ſpes eſt, ad reliqa, qæ penes me affecta habeo, perficienda ac conſummanda accingam me denuò. qúmqe muneri paſtorali exeqendo, verbóqe divino pro concione in cœtibus publicis ediſſerendo, qod per annos jam præterpropter qinqaginta perpetim ferè exercitum habuit, per ætatem ſimul atqe infirmitatem, venâ præſertim in pulmonibus havd ſemel reſeratâ, ſangvinéqe inde copioſiùs erumpente, neceſsitate qadam ἀνιπτῳ καὶ ἀνηκέστῳ abſtinere méqe adeò abdicare coactus, ad vitam privatam conceſſerim; nec deſidiâ tamen & ſocordiâ,

g Inde apud Lucilium, referente Ciceronе *de finib. lib.* 2. reſtituente *ad Varron.* Scaligero, *Hir ſiphon cui nil dempſit.* Et apud Evripidem *Cyclop.* qærenti Ulyſſi, an vini, qod venum exponebat, guſtum daret, reſpondet Silenus, Δίκαιον· ἦ γὰρ γεῦμα ἡδονὴν καλεῖ. *Æquum eſt id: emtionem enim guſtus ciet.*

h Ὅμως γ' ἀνιαρὸν ὑμπλεον πίνειν σθένει, ἢ κἀλίαν διψῶντα μὴ ἔχειν πιεῖν.

socordiâ, ut [i] *situ ferrum*, [k] canitiem, avt invaletudinem, (etsi posim utrumqe) cavsatus, [l] corrumpendum me dare sustineam; qousque Deo Opt. Max. vitam protelare, & vires qatenus otiúmqe suppeditare, visum fuerit, eis me totum studiis, qantum valetudinis ratio, reíqe familiaris cura permiserit, addicere atqe impendere fert animus, qæ pietatis cavssæ, reíqe literariæ, infœlici hoc seculo, labascenti ac laboranti utriqe, vel sustinendæ vel promovendæ, ratione ullâ, exiguâ tenuíqe licet illâ, conducere posse videbuntur. Qo in negotio, ut servuli, è suorum classe infimâ, infirmissimi, conatus exiles, Numini supremo sint accepti; (cujus solius Honori gloriæqe, tam in *Oraculis* sacris explicandis restituendisqe, qàm & in *Attributis* sacrosanctis astruendis asserendisqe, præcipuè destinantur) Deíqe populo (qorum bono jugiter, qantum datur, inservire, muneris esse sui ducit) grati fructuosíqe existant, votum est in eis unicum, idémqe nunqam non futurum est,

Tui in Christo Jesu conservi
emeriti jam ac decrepiti ferè

THO. GATAKERI.

i Λάμπει γὰρ ἐν χρείαισιν, ὥσπερ εὐπρεπὴς χαλκὸς, χρόνῳ δ' ἀργῆσαν ἦμυσι, τέγ@. Sophoci. οὐδὲ τέγ@ μόνον, ἀλλὰ κ᾽ ἦθ@ ἀνδρὸς εὐρῶτί πνα τῇ ἀπραξίᾳ δι' ἀγνοίας ἐφελκόμενον. Plut. *de latendo.* Καὶ ἡ σίδηρον ἢ χρῆσις καθαρώτερον φυλάττει· ἢ δὲ ἀχρησία ἰὸν τούτῳ γίνεται κή. Clem. *Strom. l.* 1. *Splendescit ferrum usu, situ rubiginat.* Apul. *florid.* 3. Æra nitent usu: —*Canescunt turpi tecta relicta situ.* Naso *amor. l.* 1. k Ἀσυκή μοι θρὶξ ἐπέμιδον ἐντεῦθεν ποτεῖ. Miles canus apud Comicum. *l* Quales illi, qos Plut. libel. *de sen. polit.* ait, "Οταν παραχαράσσωσιν, οἶκοι καθημένους ζητεῖσθαι, καὶ ἀποκαίεσθαι καθάπερ ἰὸν σίδηρον, ὑπ' ἀργίας ἢ πραχίην ἀρετὴν ἀβεννοήβην θεωρῶντας. *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus: Ut vitium capiant, ni moveantur, aqa.* Naso *Pont. l.* 6.

Liber Primus.

Caput I.

Hymni primi Argumentum; Boni beati, Mali miſeri. *Analyſis. Verſiculus primus expenditur.* Receſſus à malo, gradus primus ad Deum. *Junii & aliorum explicatio rejecta. Gradatio in verbis nulla. Gradationis lex, ut inſurgat oratio. Jeremias c. 15. 5. explicatus. Mens verborum genuina. ea collatione loci paralleli Hymn. 26. 4. 5. firmata. Malorum ſocietas quàm periculoſa. Epictetus ſupplетur. Gellius corrigitur. Senarius Evripidis, an Sophoclis, an utriuſque, incertum. à Themiſtio fruſtra notatus.* Τύραννοι *olim* reges. *et* τυραννὶς regnum. *Suidas emendatus. Tyrannus Echetus, Homero* Βασιλεὺς. *Senarius ab Apoſtolo adductus* 1 *Cor.* 15. 33. *autoris incerti.* Ὁμιλία *vox ambigua. Peſtis contagio. Muſculus ſuppletus.* משׁב conſeſſus. *improborum conſeſſus in ganeis, in portâ. Clementis commenta exploſa.*

Nitium operis mihi pagina ſacra. E ſacris verò codicibus Liber hymnorum. hos inter qui ordine primus occurrit, paginam operis iſtius primam implebit.

Hymni totius argumentum eſt, axioma illud à Stoicis olim tantopere decantatum, παράδοξον μὲν ἴσως, ὦ μιλὼ παράλογον, ut cum [a] Cleanthe loquar, quod ſtrictim Socrates apud Platonem in *Alcibiade* 2. (cum in *Gorgiâ* fuſiùs multis diſſeruerit) Οἱ ἀγαθοὶ τῶν ἀνθρώπων ὁ δὲ λοιμὸς, οἱ πονηροὶ, βλάβιοι.

[a] Apud Arrianum *diſſert. Epictet. l. 4. c. 1.*

Bonus, beatus, omnis; & malus, miſer.

Sed & apud Svidam Avtor innominatus, ubi εὐδαίμονα ἐνάρετον interpretatur. Πᾶσιν ἀνάγκη, τοῖς μὲν ἀγαθοῖς ἐν ἄμεινον, τοῖς δὲ κακοῖς κάκιον. δύμαι δ' ὅτι κ' ἐνθάδε ὄντι διαγίβνοι, τοῖς μὲν δικαίοις, ἀκολουθήσιν δὲ δαίμονα χάειν, τοῖς δ' ἀδίκοις κακοδαίμονα πόνον. *Omninò neceſſe eſt, bonis apud inferos melius futurum, malis deterius. opinor autem, & dum iſtic agunt, gratiam fœlicem juſtos aſſecuturos, ultionem miſeram injuſtos.* Cicero itidem (qui & Tuſcul.quæſt.l.5. ex Stoicorum fundamentis dogma iſtud variis confirmat argumentis) adverſus Piſonem (à * Salviano idem lavdatus) ex Epicureorum qoqe ſententiâ: *Tantam*, inquit, *virtutis vim eſſe volucrunt, ut non poſſit eſſe unquam vir bonus non beatus.*

* *De providենt. lib.1.*

Viri itaque, Deo chari Θεοφίλαι τε καὶ Θεοφιλεῖς, (uti apud Laertium *l.6.* Diogenes) celebratur iſtic, primò *bonitas*, tum *beatitas*. Bonitas partim cavtiſſimâ mali fugâ, partim boni ſtudio jugi, deſcribitur.

Et Primo qidem loco mali fuga proponitur: rectiſſimè. Siqidem, ut ſcitè Baſilius; Ὥσπερ ὅδι τ' κλίμακος, πρώτη ἀνάβασις, ἡ τ' γῆς ἀναχώρησις· ὕτως ὅδι τ' κατ' Θεὸν πολιτείας, ἀρχὴ πονηρῶς, ὁ κακισμὸς τ' κακοῦ. *Qemadmodum in ſcala, gradus aſcenſionis primus eſt, qo terra relinqitur: ita in eo, qod ſequndum Deum eſt, vitæ inſtituto, gradus is eſt primus, qo à malo recedit ur.* Idémqe, apud Antonium *Meliſſæ l.1. c.7.* Ἀρχὴ μὲν τ' ἀνάληψιν τ' καλῶν ἡ ἀναχώρησις τ' κακῶν. *Initium ad bonorum recuperationem eſt reeſſus à malis.*

Receſſus iſte ab Hymnodo noſtro hiſce verbis deſcribitur: *Beatus vir ille, qi non inceſſit in conſilio improborum; nec in viâ peccatorum conſtitit; nec in deriſorum conſeſſu deſedit.*

In eis climacem triplicem, qi & per gradus totidem in ſingulis ſui membris aſſurgat, deprehendiſſe ſe avtumant interpretes pleriqe. unus pro reliqis loqatur. V.C. Fr. Junius. *Hoc verſu*, inqit, *tres ſunt κλίμακες, ad perſonas, formas & actiones perſonarum pertinentes. in perſonis cenſentur improbi, animo; peccatores, vitâ; deriſores, in utroqe, omnibus modis obfirmati: formæ ſunt, conſilium, animi; via, vitæ ſive inſtituti; & conſeſſus, denotans habitudinem: actiones verò, ambulare ad certum aliqem finem, qod eſt conſilii; inſiſtere viæ, conſilio capto; & ſedere ac conqieſcere in conſilio & actionibus malis,*

lis, obſtinatè, quum vir aut ſuâ ipſius malitiâ rapitur, aut alienâ traducitur. Hæc ille, cum aliis havd pavcis, havd nullius nominis. Cæterùm mihi liceat hîc, pace tanti viri, illud uſurpare, (quod de Pythagoricis & Anaximandrianis commentis qibuſdam [a] Ariſtoteles) κομψῶς μὲν ἴσως καὶ ἀκριβῶς πως ἐῤῥήθη, οὐκ ἀληθῶς δέ. *Subtilia magis & elegantia, quàm ſolida & ſana ſunt iſta.* Etenim, ut nihil dicam, infringi planè & enervari eloqii divini vim maſculam, dum ſic ingenii humani fidiculis diſtenditur, & minutatim incidendo prope deartuatur: climacem iſtiuſmodi iſtic ſomniare, eſt verbis Spiritus Sancti, provt Doctores Hebræi loqi amant, טַעַם בְּלִי־טָעַם *ſenſum inſipidum*, notionem utiqe ineptiſſimam & ab artificio omni alieniſſimam affingere. Eſt enim κλίμαξ (ut rectè obſervat Demetrius Phalereus, ſive qis alius is eſt, cujus περὶ ἑρμηνείας libellus in manibus habetur) λόγος ἀναβαίνοντος ὅτι μειζόνων, orationis affectus, qo *à minoribus et levioribus ad majora ac graviora per gradus qoſdam conſcenditur.* Itaqe qod *Gradationem* Fabius, idem *Aſcenſionem* indigetat Aqila Romanus. & τὸ κλιμακωτὸν Dionyſio Longino, ἀγωνιστικὸν πάνυ, καὶ παιδὸς ὕψος σωφρονοῦν pronunciatur. Proinde gradus poſterior qivis in climace legitimo, plus aliqid prægreſſo contineat oportet. qod in exemplis, qæ adduci ſolent, advertere promptum eſt. Tale eſt enim Naſonianum illud, *Faſt. l. 3.*

[a] De cœlo l. 2. c. 9. & c. 13.

Mars videt hanc; viſámqe cupit; potitúrqe cupitâ.

Siqidem plus eſt *concupiviſſe* qàm *vidiſſe*; qum multa in oculos incurrant hominibus, qæ nullam eis cupidinem ſui injiciant: plus item *potiri*, qàm *concupiſcere*; qod monet illa præ cupidine irritâ langventis qerela,

Amare liceat, ſi potiri non licet.

Tale finitimum Philemonis Comici illud apud Clementem Alexandr. *Strom. l. 6.*

Ὀφθῶσι πίνλες πρῶτον. εἶτ' ἐθαύμασε.
Ἔπειτα λοιπὸν ἐδιάφησε. εἶτ' εἰς ἐλπίδα
Ἐνέπεσε. ὕστερον γίνεθ' ὁμοῦ τούτων ἔρως.
Videre primum qiqe: mox ſtupor ſubit:
Tum contemplatio: ſpes ſuccedit poſtea.
Horum ex miſcelâ denique amor enaſcitur.

Tale Tullianum illud *ad Attic. l. 1. ep. 13. Si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, advola.* Nec dispar, quod ex incerto avtore Cicero idem, an Cornificius, *ad Herennium l. 4. Nam qæ reliqa spes manet libertatis, si illis & quod libet, licet; & quod licet, possunt; & quod possunt, audent; & quod audent, faciunt; & quod faciunt, vobis molestum non est.* Vides, ut per singula membra, non proteletur tantùm, sed attollatur oratio. Et citra repetitionem, Avsonianum illud, de Crœso, *in Ludo 7 Sapientum; Profectus, victus, vinctus, regi deditus.*

Verùm, ut intra sacrorum septa nos contineamus, commatis gemini & genuini sunt Pavlina ista, ad Rom. c. 8. v. 29, 30. in scalâ illâ cœlesti, sive χρυσῆν σειρὰν appellare magis libuerit, ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε, καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε. *Quos præscivit, hos & prædestinavit: quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Et mox, v. 34. Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. *Christus est, qi mortuus est, vel potiùs qi à mortuis suscitatus est, qi & idem ad dextram numinis considet.* Crescit planè & insurgit utrobiqe oratio. Cæterùm si pari ratione κλίμακα sive gradationem istic instituerimus, ut ὑμνογρᾶφῳ nostri ista mens existat: *Beatus is est, qi nec cum improbè affectis consilia inierit; nec prave viventium artibus malis se immiscuerit; nec cum obfirmatis in maleficio obstinatè perstiterit:* non insurget, sed descendet dictionis series; & frigida planè ac frivola futura est oratio: qum membro primo amplius qàm secundo; secundo plus qàm tertio dictum sit. Etiamsi enim, negativâ insuper habitâ, si de malis inter se collatis sermonem instituerimus, gravius est sanè grandiúsqe crimen, malè consulta ad exitum perducere, qàm de perpetrando consilia admisisse, & atrocius adhuc, in perperam gestis animo præfracto persistere, qàm eadem nudè perpetrasse; attamen, si eadem cum hymnographo admissâ, τὰ κατορθώματα secum invicem commiserimus, multo plus præstantiúsqe fuerit, à consiliis malis vel ineundis, qàm ab eisdem exeqendis abstinuisse; amplius etiam havd pavlo, nec mali qippiam perpetrasse,

traſſe, qàm in perpetrato jam, obſtinatè non perſtitiſſe. Perinde igitur futurum eſt, analyſin iſtam ſi ſequmur, ac ſi commercii Papiſtici contagem, qàm ſit periculoſa & pernicioſa, exprimere fatagens qis diceret, *Beatus is eſt mortalis, qi nec in terrâ Italâ pedem poſuit, nec urbem Romanam unquam adiit, nec in avlâ Pontificiâ hæſit diutius.* Etiamſi enim plus ſit, Romam proficiſci, qàm Italiam appellere; plus in avlâ Pontificiâ moram traxiſſe, qàm Romam tantummodo profefectum eſſe; amplius eſt tamen nec oram Italam attigiſſe, qàm urbem Romanam non inviſiſſe; & nec urbem inviſiſſe, qàm in avlâ non hæſiſſe. Sic in climace illo Jeremiæ c.15. v.5. *Qis benignitate* ſive *clementiâ utetur adverſus te? avt qis condolebit tibi? avt qis ſecedet ſalutatum te?* Etiamſi amplius ſit condolere alicui, qàm ſalutatum tantùm digredi; plus clementiam & benignitatem adverſus aliqem exhibere, qàm malè habenti condolere duntaxat: in malis tamen poſito, gravius eſt multo, neminem habere, qi miſeriæ ſuæ affectu tangatur, qàm neminem eſſe, qi mali levamen actu aliqo benigno præſtare conetur: qod *timore* inhibiti, qem *amore fortiorem* plerunqe Plinius pronunciat *l.1.ep.5.* negligunt ſæpenumero, etiam qi affectu intimo proſequuntur; ſed adhuc etiam gravius neminem repertum iri, qi vel verbulo dignetur,

Qodqe vel ignoti faciunt, valedicere ſaltem,

avt de ſalute percontari velit; qæ omnia de populo Iſraelitico in angnſtiis conſtituto ſub interrogandi formulâ vehementiùs negantur. Alia eſt gradationis illius, qam & Avtor *ad Herennium* exhibet, ratio: *Non ſenſi hoc, & non ſvaſi: neqe ſvaſi, & non ipſe ſtatim facere cepi: neqe facere cepi, & non perfeci: neqe perfeci, & non probavi:* iſtic enim contrà geminata negatio affirmationis, & qidem vehementioris, vim obtinet. idem ſiqidem valet, ac ſi dixiſſet; *Non ſenſi tantùm, ſed & ſvaſi*, &c. Apud noſtrum verò, ſi gradationis notas illas adjicere libuerit, qæ etſi non adhibeantur, lateant tamen oportet in ſenſu ipſo involutæ, ut dicatur, *Beatus qi non tantùm cum improbis conſilia non inierit, ſed nec peccatorum conſulta executioni dederit: nec peccatorum tantùm conſulta nevziqam ſit executus, ſed nec poſtqam horum conſulta executus*

fuerit, ſecum agentibus ludibrio habitis, in eiſdem pervicaciter perſiſtere animum induxerit; qis non primo ſtatim aſpectu perſpiciat, qàm incongrua & inepta planè futura ſit oratio? Furcillanda igitur meritò interpretatio iſta, qæ artificium inſigne cum præ ſe ferat, artis ſanæ veræqe omnis expertem ſenſum procudit.

Qænam ergò, dicat qis, hymnographi mens genuina? Hæc certè; *Eum verè beatum eſſe hominem, qi ab omni prorſus cum improbis impiiſque, qâ ſunt tales, commercio atque conſortio alienum ſe præſtiterit.*

Qàm ſit exitioſa ac pernicioſa malorum ſocietas, à qâ tam ſeriò ſedulóque Roboamum ſuum dehortatur Rex ſapientiſſimus, Parœm. c.1. v.10–15. & c.2. v.12–20. & c.4. v.14.15. nemo neſcit mortalis. Certè qod Gregorius Staſimorum Epiſcopus, in *Caſarii fratris Epitaphio*, ὡ μικρὸν φέρειν εἰς ἀρετὴν ἢ κακίαν τὰς συνουσίας, h.e. *ad virtutem vitiúmve non parum valere conſvetudines & conſociationes*, præter uſum communem, qi id validè confirmat, avtorum omne genus dicta celebriora creberrimè inculcant. Itaqe qod Cicero *de Oratore* l.2. *Cum in ſole ambulo, etiamſi aliam ob cavſam ambulem, ſit naturâ tamen ut colorer:* hoc ad commercia iſtiuſmodi trahit Seneca, *ad Lucil. epiſt.* 108. *Qi in ſolem*, inquit, *venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.* Subjicítque in eandem mentem idem ibidem: *Qi in unguentariâ tabernâ reſederunt, & pavlò diutius commorati ſunt, odorem ſecum loci trahunt. & qi apud philoſophum fuerunt, traxerint aliqid neceſſe eſt, qod prodeſſet etiam negligentibus.* Epictetus apud Arrianum *diſſert.* l.3. c.16. Ἀνάγκη ἢ συγγινόμενα τοῖν ὁμιλοῦν, ἢ εἰς λαλιὰν, ἢ εἰς συμπόσια, ἢ ἁπλῶς εἰς συμβίωσιν, ἢ ἀυλὸν ἐκείνοις ἐξομοιωθῆναι, ἢ ἐκείνους μιλαθεῖναι ἐπὶ τὰ ἀυτ. κ) γὰρ ἀνθρακα ἀπσβεσμένον ἀν δῇ [ης f.] πρὸς τ κεκιδύνον, ἢ ἀυλὸς ἐκεῖνο ἢ τον ἐκκάυσε. qæ Jo. Volphius ſic vertit. *Omninò neceſſe eſt eum, qi frequentiùs cum aliqo colloqitur, compotat, aut denique familiariter vivit, vel ipſum illi fieri ſimilem, vel illum ad ſuam rationem traducere. nam ſiqis carbonem extinctum ardenti adjunxerit, avt hic illum, avt ille hunc incendet.* Vidit vir doctiſſimus in verbis noviſſimis deeſſe aliqid, ſed qod deficientiùs ſupplendo, minùs commodè reddidit. Etenim carbo extin-

extinctus ipſe accenſum jam qſ incenderit? Legendum itaqe, ἢ ἀνδὸς [ἐκεῖνον ἀποβήσει, ἢ] ἐκεῖνον Ϝὃν ἐκκαύσει. vertendúmqe, *avt hic illum extinguet, avt hunc ille accendet.* Paræmiaſtes ſacer, cap. 13. v. 20. *Qi cum ſapientibus ambulaverit, ſapientior fiet: qi verò ſtolidis ſe adjunxerit, deterior evadet.* Qò ſpectat ſenarius celeberrimus ille,

Σοφοὶ τύραννοι Ϝ σοφῶν συνουσία.

Qod Plato, qi in *Theage*, (nam vitioſè apud * Gellium *in Theæteto* legitur, per exſcriptoris σφάλμα χαριέν, an avtoris ipſius μνημονικὸν, incertum) & *de Repub. l.* 8. adducit, Evripidi (provt & hunc ſecutus Jo. Stobæus *collectan. tom.* 2. *tit.* 48.) tribuit. Qo nomine ab Ariſtide Rhetore, (qi Sophoclis ex *Ajace Locro* eſſe affirmat) in *Apolog. pro Qatuor-viris communi*, reprehenditur: à Gellio qadantenus excuſatur: fieri enim potuiſſe, ut idem verſiculus, qemadmodum & alii nonnulli (qod argumentum fuſè proſeqitur Clemens Alex. *Stromat. l.* 9.) apud plures poetas reperiatur. qod & diſertiùs Zenobius in *Adag. Collectan. cent.* 5. *adag.* 98. ὅλην συμμαχίαν συμπίπτειν ὑπ ἀλλήλοις οἱ τύραννοι. Cæterùm Themiſtius idcircò, *Orat.* 16. qæ & φιλάδελφο inſcribitur, qaſi ambigendo refert: nec tam Platonem, de avtore, qàm avtorem ipſum, qiſqis is fuerit, de dicto, qaſi commodè minùs locutum, taxat. Εὐριπίδης μέν, inqit, ἢ [ἢ f.] ὅστις ἦν ποτὲ ὁ ποιήσας,

Σοφοὶ τύραννοι Ϝ σοφῶν συνουσία,

ὡς ἐμοῖ, οἶμαι, πυκνῆς διανοίας ὁ ἀνὴρ ἐδόκει τυγχάνειν. ἐδόκει δ' ἄν ποτε εὔνους ὑπολαβεῖν τυραννίδι φιλοσοφίαν, ἢ δὲ τὰ ἀλλοτριώτατα ἑαυτῆς ἀρετῶν ὑπάρχειν ἢ μοχθηρίαν. ἀλλ' ὥσπερ οἱ μελαγχολῶντες ἀπωκίσαν τὰς διεφθορυίας ὕπνου σοφίαν τυραννὶς ὁ φεύγων. h.e. *Evripides, ſive qiſqis is fuerat, poeta, qi illud protulit;*

Sapiunt tyranni Sapientum conſortio,

havd ſagaci ſatis mente mihi videtur extitiſſe. alioqi nunqam fuiſſet opinatus, poſſe eſſe philoſophiam tyrannidi gratam; avt conſociari potuiſſe, qæ ſunt à ſe invicem alieniſſima, improbitatem & virtutem. Sicut enim melancholicè affecti medentes abigunt; ita ſapientiam tyrannis nevtiqam admittit. Seneca ſanè, loco ſuperiùs allato, cum *philoſophorum convictum etiam negligentibus prodeſſe* dixiſſet, ſubjunxit ſtatim, *Attende qid dicam: negligentibus; non, repugnantibus.* Verùm, ut nihil

* Noct. Attic. *l.* 13. c. 17.

nihil dicamus, contingere qandoqe, qod hujusmodi consortio, cum aliis rationibus admiserint, tyranni etiam sævissimi & atrocissimi, de feritate ac ferocitate suâ aliqid remittant: τ τυϱάννυ appellatio, licet in partem seqiorem jam sumatur, temporibus illis honesta satis atque honorata habebatur, cum regibus ac principibus qibusvis tribueretur. Evstathius *ad Iliad.α.* Ὁ τύϱαννος, τὸ βασιλικὸν πολὺ ὄνομα, βλασφημεῖται νῦν. Et *ad Odyss.σ.* Ἡ τύϱαννος λέξις ἐπ' ἀγαθῷ ἐλέγετο. τοῖς γὰϱ ἐννόμοις βασιλεῦσι ταὐτὸν καὶ αὕτη. id qod confirmat ex Titulo Tragœdiæ Sophocleæ; qam *Oedipum Tyrannum* malè reddunt, cum *Regem* debeant. Itaqe Jupiter Aristophani in *Nubib.* est Θεῶν τύϱαννος, qi Homero eorundem βασιλεύς; qod & Dioni Frusæo observatum *Orat.*12. Homeri siqidem seculo vox τύϱαννος nondum extitisse dicitur. qod ex Hippiæ Sophistæ avtoritate monet & post Evstathium Svidas, obiter hic restituendus. Apud hunc enim, in voce Τύϱαννος, sententiâ depravatissimâ, sic legitur. Οἱ πϱὸ τ Τϱωικῶν ποιηταὶ, τοὺς βασιλεῖς, τυϱάννους πϱοσηγόϱευον, ὀψὲ πολὺ τ ὀνόματος εἰς τοὺς Ἕλληνας διαβληθέντος καὶ τοὺς Ἀϱχιλόχου χϱόνους, καθάπϱ Ἱππίας ὁ σοφιστὴς φησί. At qinam illi poetæ, qi ante res Trojanas scripserant? avt qomodo illi Reges *Tyrannos* appellabant, cum seriùs longè id appellationis apud Græcos receptum fuerit? Verùm, ex Sophoclis Scholiaste in fabulæ pavlò prius indicatæ argumento, legendum; Οἱ [μὲν Ὅμηϱον] ποιηταὶ τοὺς πϱὸ τ Τϱωικῶν βασιλεῖς τυϱάννους πϱοσηγόϱευσι, vel πϱοσηγόϱευον. *Poetæ, qi Homerum secuti sunt; reges illos, qi res Trojanas antecesserant, τυϱάννους appellant.* qanqam restrictè nimis uterqe. cum non illos solos, sed alios qoqe sui ævi qosvis hoc vocabulo designarent. Etymologus: Τύϱαννον οἱ ἀϱχαῖοι καὶ ὅτι βασιλέας ἔφασαν· ἔνθ' ὅτι ὃ καὶ τ τύϱαννον, βασιλέα ἔλεγον. qod posterius Homerum respicit, qi Echetum Ceretûm δυλήμονα πάντων, sive *tyrannum immanissimum*, βασιλῆα. i.e. *regem* nuncupavit. *Odyss.* σ. v.84. Frustra itaqe poetæ litem intendit Themistius, qod τυϱάννους τ σοφῶν συνεσία sapientes evadere dixit, qasi tyrannos immanes regiúmque nomen, quod vi involarunt, violantes, non avtem reges legitimos voluerit. frustrà & eundem taxat, tanqam *Tyrannidem* Deam dixerit; qum non *tyrannidem* is, sive dominationem iniqam, sed *regnum* in animo habuerit, ubi sic fatus est, in *Phœnissis*,

Τῶ

Τῶν θεῶν πάντων μεγίστην ὡς ἔχειν τυραννίδα.
Summam ut omnium Dearum Regnum poſſit aſſequi.

qò pertinet &, qod in eâdem fabulâ dictum eſt,

Εἰσὶν γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. ——

qod Cicero, cum Cæſarem in ore identidem habuiſſe refert, tum ipſe ſic reddidit, *Offic. l.* 2.

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt. ——

& qod ex ejuſdem *Archelao* Stobæus exhibet, *tom.* 2. *tit.* 47.

Τυραννὶς εἰ θεῶν ἐστὶ νομίζεται.
Meritò cenſetur regnum vita cœlitum.

Rectè proin Sophocleum, an Evripideum, an utriuſque etiam, illud reddidit in *Tragicorum Excerptis* Vir Cl. Hugo Grotius,

Dat ſapere regi turba ſapientum comes.

Sed & Eraſmus *Chiliad.* 3. *cent.* 5. *adag.* 97.

Commercio ſapientium princeps ſapit.

qi & idem de ſeculi ſui principibus παρῳδήσας, ſic extulit,

Μωροὶ τύραννοι τ' κολάκων σωτηρία.
Commercio adulantium ſtulteſcunt principes.

Cæterùm Salomonis illis gemina prorſus dant Senarii illi Menandro vulgò adſcripti;

Σοφοῖς ὁμιλῶν, κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός·
Κακοῖς δ' ὁμιλῶν, κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Facient ſapientum ſapere te conſortia:
Facient malorum & te malum commercia.

Theognidis itaque illud lavdant cumprimis Socrates apud Xenophontem *commentar. l.* 1. Plato *Menone*; Ariſtoteles *Ethic. l.* 9. *c.* 12. Clemens *Strom. l.* 5.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸ νόου πέλον.
Nam diſces ſectando bonos bona: ſin tibi pravi
Sint ſocii, perdes & bona, ſiqua inerant.

Spectat horſum & illud de *Menandri comœdia*; ſi Hieronymo *ad Tit.* 1. ex ejuſdem *Thaide*, ſi Græco Scholiaſtæ credimus; (nam Ἰαμβεῖον τραγικὸν nuncupat [a] Clemens Alex & Evripidi tribuit [b] Socrates hiſtoricus) ab Apoſtolo adductum

[a] *Stromat. l.* 1.
[b] *Eccleſ. hiſt. l.* 3. *c.* 16.

ctum ad Corinth. Epiſt. 1. cap. 15. ver. 33.

Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί.

i. vertente Tertulliano *ad uxorem l.* 1. *c.* 8.

Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.

qanqam aliter pavlo idem *ad eandem l.* 2. *c.* 3. ſed eôdem tamen accommodans, *Quis enim*, inqit, *dubitet, obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ* (qomodo & & Hieronymus *epiſt. ad Nepotianum* expreſſit) *quanto magis & convictus & individuus uſus?* Utrumqe certè ſonat τὸ ὁμιλίαι. Utrumqe conjunxit ut Epictetus ſuprà, ita Hermione in Evripidis *Andromach.*

Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν,
Αἳ μοι λέγουσαι τύσδ' ἐκαύνουσ' λόγους.
Malarum ingreſſus me mulierum perdidit,
Quæ vana in aures inſuſurrabant meas.

Et certè in ſeqiorem partem hanc plerumqe conſortia commerciáqe iſta multò plus valent. Siqidem, qod de corpore obſervat Problematarius, morbos magis qàm ſanitatem à converſantibus unâ attrahi. Ἀπὸ μὲ νόσων, inqit, εἰσὶν νοσοῦσιν οἱ πλησιάζοντες· ἀπὸ δ ὑγιείας ὑδεὶς ὑγιάζει. *Problem. l.* 7. *q.* 4. & *l.* 29. *q.* 10. ὑγιαίνοντι ζωὸν ὑδεὶς ὑγίεται & γίνεται. *A morbidis qibuſdam morbus attrahitur: à ſano morbidis ſanitas nevtiqam accedit.* Itaqe citiùs pecus una ſcabie affecta gregem integrum morbo infecerit, qàm grex integer ſcabie affectam unam ſanitati reſtituerit.

——(*grex totus in agris*
Uniùs ſcabie cadit, & porrigine porci.
Juvenal. *Sat.* 2.)

Idem ipſum in animo ſolet uſu venire, ut à malorũ conſvetudine mores mali faciliùs, qàm à bonorum boni concilientur. Cujus rei rationem reddit ſtrictim Syneſius *de Provident. l.* 2. Κακία μὲ γὰ ἀυλοδίδακλον· ἀρετὴ δ ζὺν πόνῳ κλᾶται. *Vitium enim citra opem aut operam diſcitur: quum virtus non ſine labore aliqo acquiratur.* fuſiùs Gregorius Staſim. Ep. in *Orat. Apologet.* Τῦτο γάρ ὄϛιν, inquit, ᾧ μάλιϛα πλουτεκλεῖ ἡ κληρονομία ἡ πονηρία, ὅτι ἀυζήλατον μὲν τὸ κεῖσθαι φάγμα ἡ μοχθηρία, καὶ ὑδὲν ἄπω ῥᾴδιον, ὡς τὸ ῥᾳθύμως ζῆν, καὶ εἰ μὴ τύχοι πάντων ἡμᾶς ἄγων μισθός· ἀπάνθρωπον δ ἡ γὰρ ἀγαθὴ κλῆσις καὶ φέρεσθαι, κἂν εἰ πολὺ

τὸ

τὸ μᾶλλον εἶη καὶ περιγελάσιμον. *Hoc eſt, in eo probitatem maximè ſuperat improbitas; quòd improbitas res ſit proclivis aptáque imitatu; unde nihil facilius eſt, quàm malum fieri, etiamſi ducem ad illud nemo ſe præbeat. virtutis autem adeptio res eſt rara & ardua, etiamſi quod ad eam attrahat & invitet, adſit plurimum.* Trahit huc Aggei illa, cap. 2. v. 12, 13. qibus *profana ſacrorum attactu ſanctificari* negantur: *ſacra contrà immundorum contactu polluí* perhibentur. Quorum ſenſus, inqit, ex meâ ſententiâ hæc eſt, "Ὅτι δύσληπτον τὸ ἀγαθὸν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, ἄπορον τὸ πῦρ ὕλην ὑγρολίβανον· ἕτοιμοι δὲ πρὸς τὴν κακῶν μετουσίαν οἱ πλεῖστοι καὶ ὁπωσοῦν κεκλιμένοι πρὸς αὐτὴν εἶναι, οἶμαι, καὶ ἄκαιρον ἐξαπτομένην καὶ διαπαυομένην διὰ ξηρότητα. Διὸ καὶ ἂν τις ὀλίγης κακίας μεταλάβοι πλείους, ἢ ἀρετῆς βαθείας καὶ μακρὸν. ἐπὶ καὶ μέλιτι μὲν, μικρὸν ἀψίνθιον πάσσα μεταβάλλουσι πικρῶ· μέλι δὲ οὐδὲ τὸ διπλάσιον, ἀψινθίου τὴν ἡδονὴν γλυκύτητι. *Bonum natura humana haud facilè conciliatur: prout nec ignem facile concipit humida materia. ad malum verò contrahendum apti atque proclives exiſtunt plerique: ad ſtipulæ inſtar, quæ ob ariditatem adſcintillam & flatum confeſtim ſuccenditur & abſumitur. Proinde citiùs quis ab improbitate etiam exiguâ mali plurimum, quàm à virtute copioſâ boni exiguum contraxerit. Siquidem & melli, abſinthii parum amaritudinem ſuam quàm celerrimè impertiverit; cum mellis duplum abſinthio immiſtum dulcedinem ſuam nevtiquam conciliaverit.* Ipſi utique mortales, ex ingenii indole vitioſitatéque innatâ, (quod vidit poeta, qi adoleſcentem in *Arte* ſic depingit,

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:)

qum à melioribus averſi, in partem deteriorem ſponte ſuâ propendeant; in eandem proinde, accedente improborum conſvetudine, procliviùs adhuc multò vehementiúſque feruntur. Præclariſſimè itaque Æſchylus *Thebaide*;

Ἓν παντὶ πρόσεστι δ' ἓν δ' ὁμιλίας κακῆς
Κακὸν ὑπέρτατον. καρπὸς ὁ κομιζόμενος.
Ἄτης ἄρουρα δύσπονος ἐκπαρπίζεται.
Adeò malorum ſcilicet commercio
Nil pejus uſquam eſt; oritur infœlix ſeges.
Nam ſceleris arvum eſt, nil niſi mortem parit.

Sed & Joan. Chryſoſtomus *in Evang. Joan. orat.* 57.

Δεινὸν γὰρ, νῦν ἡ τῶν πονηρῶν συνήθεια. καὶ οὐχ ὕπω ταχέως λοιμὸς ἅπτεται, καὶ φθορὰ διαφθείρει, ὡς ἡ τῶν πονηρῶν κακία ἀνθρώπων. σθείρει γὰρ ἤδη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. *Dirum quiddam, dirum eſt, inquam, malorum ſodalitium. nec tam celeriter aut peſtis attingit, aut ſcabies inficit, ac hominum improborum malignitas. corrumpunt enim mores probos conſortia prava.* qin & *in* 1am *ad Timoth. orat.* 17. Ὥσπερ τὰ ψωρικὰ τῶν προβάτων ἕλκη ἐπιβλύσαντα, νόσου καὶ τὰ ὑγιαίνοντα ἐμπίπλησιν, οὕτω καὶ οἱ πονηροὶ ἄνδρες. *Sicut pecudes ſcabioſæ affrictu ſuo ſanas etiam morbo eodem replent; ita plane & homines improbi iſti.* Baſilius item Cæſarienſ. ab Antonio Abbate in *Meliſſa* ſua *l.* 2. *c.* 36. delibatus. Βλαβερὰ αἱ πρὸς τὰς κακὰς συνήσεις. ὡς γὰρ ἐν τοῖς νοσηρὸς χωρίοις χεῖρον ἀναπνεόμενος ὁ μὴ λανθάνων νόσον τοῖς ἐνδιατρεμένοις ἐναποτίθησιν, οὕτως ἡ πρὸς τὰς φαύλας συνήσεις, μεγάλα κακὰ τὴν ψυχαῖς ἐναφίησι, κἂν τὴν αὐθημερὸν ἄδηλον τὸ βλαβερὸν διαφεύγῃ. *Noxiæ ſunt malorum conſuetudines. ſicut enim in locis minùs ſalubribus ſenſim attractus aer vitioſum ibi degentibus affectum clam ingenerat: ita improborum congreſſus animis mala multa inſtillant, etiamſi noxa non ſtatim deprehendatur.* Idémqe in Hymni iſtius hunc ipſum, qem in manibus nunc habemus, locum. Φασὶ τὴν λοιμὸν, οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ, ἐπίδαν ἑνὸς ἀνθρώπου ἢ κτήνους ἅψῃ, καὶ διάδοσιν ὅτι πάντας τοὺς ἐγγίζοντας διανύειν. φύσιν γὰρ εἶναι τὴν νόσου τοιαύτην, τὸ ἐξ ἀλλήλων πάντας ἀποπιμπλᾶσθαι τὴν ἀῤῥωστίας. τοιοῦτοι δὲ τινές εἰσιν οἱ ἐργάται τῆς πονηρίας. ἄλλοι γὰρ ἄλλην τὴν νόσου μεταδιδόντες, συνοσοῦσιν ἀλλήλοις, καὶ συναπόλλυνται. *Peſtem aiunt rerum iſtarum periti, ubi hominem jumentúmve unum attigerit, ad vicinos quoſque contagione quadam tranſire. eam eſſe enim morbi hujus naturam, ut omnes à ſe invicem contrahant ipſum. hujuſmodi ſunt autem improbitati dediti. alii enim aliis morbum tradentes, ſecum invicem & agrotant & pereunt.* Et paulò poſt: ὅτι γὰρ πῦρ ὕλην ἐυκατάφορον ἀφάμενον δυνατὸν μὴ οὐχὶ ὅλῃ παῤ αὐτὸ διαβλῦσαι ἄλλως τε, κἂν ὁπηνίκα πνεύματος ὁπηδοῦν τὴν φλόγα διακομίζοντος· ὅτι ἁμαρτίαν ἑνὸς ἀφαμένην, μὴ οὐχὶ ὅλην πάντας τοὺς ἐγγίζοντας διελθεῖν, ἐξαπόντων αὐτὸ τὴν πνεύματων τὴν πονηρίας. *Neque enim ignis combuſtioni idoneam nacta, ubi attigerit, materiam, pervadere univerſam non poteſt: præſertim ſi venti flammam provehentis vis acceſſerit: neque fieri poteſt, ut peccatum, quod*

unum

unum occupaverit, non in propinqos qoſqe pertranſeat; præcipuè ubi improbitatis ſpiritus, tanqam flatu qodam, flammam ſuſcitant. Elegantiſſimè deniqe Seneca *de ira l.3. c.8. Sumuntur à converſantibus mores. Et ut qædam in contactu corporis vitia tranſiliunt: ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus convictor in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem qemqe & ſiliceum virum emollit: avaritia in vicinos virus ſuum tranſtulit.* Et *ad Lucilium epiſt.7. Nemo non aliqod nobis vitium avt commodat, avt imprimit, avt neſcientibus allinit. convictor delicatus pavlatim enervat; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes, qamvis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricat. Serpunt enim vitia, & in proximum qemqe tranſiliunt. itaqe ut in peſtilentiâ cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus. qia pericula trahemus, afflatúqe ipſo laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut qàm minimè inqinatos aſſumamus.* Idem *de tranqillit.c.7.*

Verùm longiùs forſan, qàm opus fuerat, in argumento iſtoc provecti ſumus, dum adverſus luem illam, cavtelam dare ſatagimus, qæ ingenia inſignia, qæqe eximia pollicebantur, tam non numeroſa, ſed innumera exitio dederit. Ad hymnographum redeamus. Qum itaqe tanti diſcriminis res ſit, inter improbos verſari; homines avtem nunc unà *ambulando*, nunc *conſiſtendo*, nunc *conſidendo* ſimul, ſecum invicem converſentur; (iſtis enim tribus, qod & R. D. Camius hìc obſervat, *converſatio* mortalium *univerſa* continetur) beatum planè pronunciat vates eum, qicunqe fuerit, virum, qi nullâ iſtarum trium ratione cum improbis rem ullam avt ſocietatem habuerit. ut non tam κλίμαξ ſit, qam σύμπνοὴ, ſchema in ſacris literis freqens admodum, diſtributione, qam diximus, trimembri, illuſtrata. Nec alii, ſed eidem planè ſunt, (qod Muſculus hoc loco, & Muſculo prior Abraham Eſdræ fil. ad hymni finem monuit) licet ratione diverſâ iſta meriti vocabula, qi *improbi, peccatores, deriſores* iſtic dicuntur. Certè deſignare gravius qiddam לֵצִים qod ſecundo loco, qàm חַטָּאִים qod primo ponitur, vix opinor admiſſurum aliqem literarum Hebraicarum vel mediocriter peritum. Senſum hunc vidit Martinus Bucerus, ſive Aretium Felinum nuncupare libu-

erit (etſi ſpecioſo illo de *climace* commento in fravdem cum reliqis pariter illectus) *Cum vates*, inqit, *reqirit, ut nec eatur, nec ſtetur, nec ſedeatur cum malis, omnem penitus illorum conſvetudinem, omnéqe commercium damnavit*: Muſculus verò etiam planiſſimè & pleniſſimè (verbulum unicum ſi ſuppleveris) expreſſit. *Tres*, inqit, *primus hic verſus triades habet; quarum primâ, dictionibus impiorum, peccatorum, ac deriſorum, omne malorum & improborum hominum genus; alterâ, nominibus conſilii, viæ, & ſedis, univerſa illorum cogitata & facta, cum omni vitâ; tertiâ, verbis ambulandi,* [conſiſtendi] *ac ſedendi, qodcunqe illorum commercium comprehendit: ut eum verè beatum eſſe ſignificet, qi nec ullum, nec ullâ in re, nec cum ullo reproborum hominum genere conſortium habeat.* Rectiſſimè! Etenim hymni iſtius avtor ipſe, (ſi, qod eſt plus qàm probabile, idem primi hujus qi & ſecundi; rex David is, ex Petri verbis Act. c. 4. v. 25. fuiſſe conceditur) optimus ſui ipſius interpres, interpretationi huic facem præfert. Dum, qod de viro bono pióqe hîc prædicat; apologiam pro ſe texens, idem de ſe profitetur, Hymno 26. v. 4. 5. *Non conſedi*, inqit, *cum hominibus vanis: nec cum verſutis incedam: Odi maleficorum cœtum; nec cum improbis conſidebo.* præmiſerat avtem v. 3. Deum allocutus, *In veritate tuâ* הִתְהַלַּכְתִּי *ambulare aſſvevi me.* (ita enim malim, qàm cum Junio, *indeſinenter ambulo*) qaſi diceret, *nullum planè mihi cum nebulonibus improbis, vanis, dolofis, maleficis hominibus vel fuit, vel eſt unqam futurum conſortium. à conſeſſu* cepit, *inceſſum* adjecit, & per ἐπαύλιν *conſeſſu* repetito concluſit. idem avtem eſt iſtic מוֹשַׁב לֵצִים qod illic קַהַל מְרֵעִים itaqe malim מוֹשַׁב cum Junio *conſeſſum* reddere (prout & Hymno 107. v. 32. ubi קַהַל & מוֹשַׁב ἐν ἐκκλησίᾳ ponuntur) qàm cum Græco interprete καθέδραν, cum Latino, qi eundem ſecutus eſt, *cathedram*. Accedit Chaldæus, qi סִיעַת reddidit, & Jedajas, qi in avreo illo, cui *mundi examen* titulum dedit, libello, *Sect.* 23. ſic ſumit. Alluditur utrobiqe ad tenebrionum hominúmqe profligatorum cœtus, qos in ganeis ac popinis habere ſolent. ubi unà cum congerronibus ſuis conſidentes, dum meridiando ac potando diem non tam exigunt, qàm conterunt, bonis probiſqe obloqendo,

do, pietatíſque ſtudioſos dicteriis & ſannis perſtringendo, ſemet invicem oblectare conſveverunt. In quam mentem & Hymnographus Hymno 50. v.20. *Sedens adverſus fratrem tuum loqueris, in matris tuæ filium opprobria profers.* Et Hymno 69. v.13. *De me confabulantur qi in portâ ſedent, & ad fides de me odas habent ficeræ potatores.* qo loco etiam tam in publicis conventibus, ubi capita ſimul ſeorſim ab aliis contulerint, qàm in clandeſtinis congreſſibus hoc homuncionibus iſtiuſmodi ſolenne eſſe innuitur. Mitto argutias, vel ineptias potiùs, de *tribus ſectis Ethnicâ, Judaicâ, Hæreticâ* à Pſalte deſignatis, aliáqe havd notæ melioris iſtis, qæ partim ex Barnabâ ſuppoſititio, horúmqe peritis, uti appellat, ſcriptis neſcio qibus, recenſet, partim ex ſuo cerebro commentus proponit, Clemens Alex. *Stromat. lib. 2. c.6.* Ibi habeant videantqe, qorum palatis iſtiuſmodi placent. Ego diſſertationem iſtam Joſ. Scaligeri iambo clavdam.

Morum malorum peſtilentus ſpiritus,
Sive adflat, avfert; ſive ſtringit, inficit.
Ne forte te ullus allinat contagiis
Pruritus aliqis, tale contubernium
Vitare propera. námqe ſi mores malos
Non oderimus, non amabimus bonos.

Cap. II.

Hymni primi Verſiculus tertius expenditur. A bonitate *ad* beatitatem *tranſitus. Junii, & aliorum, allegoria rejecta. Mens vatis genuina datur: firmatur collatione loci parilis Jer.17.7,8. Copula ſimilitudinis nota. Nec* arbor vitæ, *nec* palma, *neceſſariò hîc ſpectantur. Palmæ natura. Sola verè* ἐμπύρευμα. *Tertulliani, & Pſeudo-Epiphanii, craſſus error in Hymn.92. 13. Aliis pro arbore. Phœnicis fabula Chriſti reſurrectioni, noſtræqe, ejuſdémqe generationi utriqe, firmandæ, virginitati commendandæ, &c. adhibita. Figmentum merum. In arcâ nullus. Cyrilli catecheſes, avtoris incerti. Gregorius Naz. emendatus. Palma Phœnici compar. Error receptus de Palmæ adverſus pondera reniſu, expenſus & exploſus. Planta tribuitur ſuccrefcenti, qod eſt ligni ſuccifi;*

ſucciſi; *palmiti*, *quod eſt trabis*. *Vict. Strigelii elogium*. *Palma victoriæ inſigne*. *Plutarchum Gellius tranſcripſit*. *Ariſtotelis*, *qæ feruntur*, *Problemata*, *nec ipſius*, *nec unius cujuſquam*. *Reniſus materiei adverſus pondera*, *non eſt Palmæ ſolius*. *In* χαμαιλέων *notione à Svidâ Stephanóqe receſſum*.

HYmni præfati τυπωτῆ tertio à viri illius, qem hîc nobis delineat, *bonitate* & pietate, ad ejuſdem *beatitatem* tranſitur. deſcribitur ea verbis hiſce: *Erítqe vir ille*, *tanqam arbor ad rivos aqarum conſita*, *qæ in tempore ſuo profert fructum ſuum*, *cujúſqe folium non decidit*: *& qicqid faciet*, *proſperum habebit ſucceſſum*. In hac periochâ prioribus illis geminas comminiſcuntur interpretes argutiolas. Cl. Junius: *Tria ponuntur arboris attributa*. 1. *plantatio ſecundum aqas*; *Symbolum regenerationis*, *& ſucci qem trahimus à Chriſto*. 2. *Fructuum productio*; *Symbolum ſanctificationis vitæ*. 3. *conſtans viriditas*; *Symbolum perſeverantiæ*. Non inficior iſta omnia viro probo pióqe cuivis competere; Verùm ſimpliciùs locutum hoc loco vatem ſanctum exiſtimo, nec ſubtilitates iſtas dictionis ſuæ cortice obvelatas, & tanqam ἐλύτρῳ qodam obvolutas, proponere hoc loco, in animo habuiſſe. Primò ſiqidem *bonitatis* ac pietatis iſta ſunt planè, de qâ verba facere hymnographus jam deſierat. ab his ſiqidem verbis, *fœlicitatis* deſcriptionem avſpicatur: qod & Junius ipſe rectè monuit. Tum dictionis ipſius facies mutatur, ut qid viro illi futurum ſit, indicetur. וְהָיָה *Et erit*, ut rectè Piſcator, poſt Hieronymum & Græcum, qi ἔσται reddidit; qanqam non diſplicet, qod Junius, ſi temporis ratione habitâ, pro, *Eſt enim*, *Erit enim*, dixiſſet. at iſta qæ de imaginis ab hymnographo adhibitæ membris ſingulis exculpuntur, qòd ſit Chriſto inſitus, à quo ſuccum trahat, qódqe fructus edat tempeſtivos, ſtatum viri pii præteritum præſentémve maximè ſpectant. Huic adjectum ſit, qod *Proſperitatis* ubertimæ pollicitatio verbis iſtis contineri videatur: qum τῶ καρποφοριῶν ubertas & bonorum actuum proventus jugis conſtánſqe ſi intelligatur, encomii potius qàm polliciti rationem habitura ſint. Me itaqe avtore, ſvaſore ſaltem,

vatis

vatis ſacri mentem Jeremias, vates & ipſe, commodiſſimè fidiſſimèque expedit. Hujus iſta ſunt ; ex cap. 17. v. 7, 8. *Benedictus vir ille, qi in Jova fiduciam habet, & cujus is eſt confidentia.* יְהוָה *erit enim* (ita & Junius hîc reddidit) *inſtar arboris conſitæ juxta aquas, & juxta ſcaturiginem mittentis radices ſuas, qæ æſtu, ubi venerit, non afficitur, ſed virent folia ejus, nec annum cohibitionis anxiè timet, nec à fructu proferendo ceſſat.* Eadem planè utrobique imago : eadem prorſus utrobique imaginis mens. ratio ſcil. qare *beatus* illic, *benedictus* iſtic, vir pius probúſque prædicetur, à *proſperitate* jugi ſumitur, ac fœlici in ceptis qibuſque ſucceſſu ; iſque arboris ad rivi amœni alicujus ripam in ſolo irriguo ſitæ, qæ virore perpetuo jugique feracitate gavdeat, ſimilitudine adumbratur. Proinde copulativam particulam in commatis clauſulâ extremâ, malim ſimilitudinis notâ redditam, qàm, cum Junio, illativâ : *ita* (non, *ideò*) *qicqid faciet, proſperum ſucceſſum habebit.* is eſt enim freqentiſſimus in collationibus particulæ illius uſus : atqe ita reddidit Junius ipſe, Parœm. c. 25. v. 3. 20, 23, 25, 27, &c. 26. v. 3, 9, 14, 20, 21. & alibi ſæpe. ut collationis ἀπόδοσις ſit eis verbis comprehenſa. qanqam de particulæ iſtius uſu iſto hoc in loco non contenderim. poteſt enim ſtatus proſperi nota ulterior prioribus adjuncta, eâ clavſulâ comprehendi. copulativam idcircò havd gravatim, illativam nullus, admiſerim.

Qod avtem Hieronymus *Epiſt. ad Pavlinum de lectione ſacræ ſcripturæ*, ad *arborem vitæ* in paradiſo ſitam, de qâ Geneſ. c. 3. v. 9. & Apoc. c. 2. v. 7. alluſum opinatur, havdqaqam neceſſarium videtur : ſed nec, ut *palma* deſignetur, qod poſt Victorinum Strigelium Joanni Piſcatori placuit, de qâ Plinius *hiſt. nat. l.* 13. *c.* 4. *Gavdet riguis ; totòqe anno bibere amat.* (qod Theophraſtus *hiſt. plant. l.* 2. *c.* 8. φιλεῖ δὲ καὶ ὑδρείαν σφόδρα, dixerat ; qi & pavlò poſt ſubjicit, ὄπτεται δὲ μᾶλλον τὸ ῥαμπαῖον ὕδωρ, ἢ τὸ ἐκ τῆς Διός.) Et *l.* 16. *c.* 20. *Palmæ folia non decidunt.* Etiamſi enim τὸ ἐμπαλύφυλλον καὶ βεβαίως ἀειφυλλον (qod obſervant Plutarchus *Sympoſiac. l.* 8. *c.* 4. & Glycas *annal. part.* 1. *c.* 5.) ſit palmæ propemodum peculiare. aliæ enim ſtirpes etiam qæ perpetuò virent, ut olea & lavrus, tamen φυλλοβολοῦσι καὶ φυλλορροοῦσι, *folia ſenſim abjiciunt & amittunt* à ſe vetuſta, qibus nova ſubinde jugiter ſuccreſcendo

ſuccedant, cum *palma* (Ambroſii verba ſunt *hexamer. l. 3. c. 17.*) *virens ſemper maneat, conſervatione & diuturnitate, non immutatione foliorum: nam quæ primò germinaverunt folia, ea ſine ullâ ſubſtitutionis ſucceſſione conſervat.* Sufficit tamen ad Hymnographi propoſitum arboris cujuſvis imago, cujus viror vigórque cum feracitate conjunctus conſveverit perennare.

Cæterùm palmæ expreſſa mentio fit in collatione havd abſimili, Hymno 92. v. 13. *Juſtus inſtar palmæ germinabit.* qi me locus monet (nam deſultoriam, non ſtatariam, agimus) qàm turpiter impingant ſæpenumero viri alioqi magni, lingvarum ignoratione. Qum enim apud Græcum interpretem Tertullianus (vir qantus?) verba illa ſic reddita deprehendiſſet, Δίκαιος ὡς φοῖνιξ, ἀνθήσει, *Phœnicem* avem fabuloſam ſtatim ſomniavit, & commentum illud putidum in reſurrectionis firmandæ argumentum traxit. Verba ipſa αὐτολεξεὶ ſic habent, *de reſurrect. carn. c. 13. Accipe pleniſſimum atque firmiſſimum hujus ſpei ſpecimen. ſiquidem animalis eſt res, & vitæ obnoxia & morti. illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum: qi ſemetipſum libenter funerans renovat, nati ſine decedens atque ſuccedens; iterum phœnix, ubi jam nemo; iterum ipſe, qi non jam; alius idem. qid expreſſius atque ſignatius in hanc cauſam? ave eui alii rei tale documentum? Deus etiam ſcripturis ſuis,* Et florebit enim, *inqit*, velut Phœnix. *i. de morte, de funere; uti credas de ignibus qoqe ſubſtantiam corporis exigi poſſe. multis paſſeribus antiſtare nos Dominus pronunciavit. ſi non & Phœnicibus, nihil magnum: ſed homines ſemel interibunt, avibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris.* Nec ſolus tamen hîc Tertullianus. Siqidem Epiphanii qi nomen mentitur avtor in *Phyſiologo c. 11.* ex *Phœnicis poſt triduum redivivi* figmento, *Chriſti reſurrectioni triduanæ*, fidem adſtruere conatus, διὰ τοῦτο, inqit, ὁ προφήτης, Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. Verùm, ut nihil dicam, qòd *cedri* adjecta mentio *arborem*, non *avem* intelligi, ſatis poterat monere; etiamſi Græca vox φοῖνιξ ambigua ſit, & utriqe denotandæ adhibeatur; at תמר Hebraicam *arborem* duntaxat, non & *avem* deſignat. Reprehendit hoc nomine & Clementem Romanum Photius in *bibliothecâ*, ſive

Myri-

Myriobiblo, codic. 126. qod in *alterâ ad Corinthios* ſcriptâ *Epiſtolâ*, ὡς παυδημάτῳ, τῷ κοσμικῷ τὸ ὄρνεον ἀποδείξαντι κἀκεῖνος. qanqam Clemens idem (ſi idem ſaltem, fictitius certè ὁ ἀποβολιμαῖος uterqe) in *Conſtitutionum, Apoſtolicas* qas appellant, *l.* 5. *c.* 7. dubitanter, & ex Ethnicorum ſententiâ de Phœnice fabulam proponit. Eandem ad argumentum idem accommodarunt Epiphanius in *ancorato* §. 85. ſed tanqam rem vulgi ſermone tritam. ἤδη γὰρ εἰς ἀκολὼ ἀφῖκται πολλῶν παρ' ἡμῶν τε καὶ ἀπ' ἄλλων. Cyrillus, an Joannes (nam huic potius Velſerus vindicat) Hieroſol. *catechef.* 18. ex Clementis fide. Ambroſius *de fide reſurrect. c.* 8. *Avis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix, redivivo ſuæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit reviviſcit. ſolos non credimus homines reſuſcitari? atqi hoc relatione crebrâ, & ſcripturarum* (non, ſacrarum, opinor, voluit) *avtoritate cognovimus.* Et *hexamer. l.* 5. *c.* 23. *Phœnix avis in Arabiæ locis perhibetur, &c. doceat igitur nos hac avis exemplo ſui reſurrectionem credere.* Trahunt eôdem & Æneas Gazæus *de anim. immortalit.* & Georgius Piſides in *mundi opificio.* & Michael Glycas *annal. part.* 1. Cautiùs Gregorius Naz. *orat.* 37. qæ eſt *de Sp. Sancto.* εἰ δέ τῳ (ſi ſi tq, leg.) πρὸς ὁ λόγος. qi ad inexplicabile *generationis divinæ* myſterium illuſtrandum adhibuit: & in *carmine*, qod eſt *ad virgines*, 3.

Ὡς δ' ὄρνις φοίνιξ φάος ἑσπόμενα νεάζειν &c.

ad virginitatis illibatæ perenne decus, qò & Ambroſius *in Pſalm.* 118. *ſerm.* 19. retulit: *Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis neſcit illecebras; ſed de ſuo ſurgit rogo ſibi avis ſuperſtes, ipſa & ſui hæres corporis, & cineris ſui fœtus.* Fidentiùs Ruffinus (qi & Cypriani nomine cenſetur) in *Symboli expoſitione*, ad Chriſti, qâ hominis, nativitatem: *Quid mirum videtur, ſi virgo conceperit, cum Orientis avem, quem Phœnicem vocant, in tantum ſine conjuge naſci vel renaſci, conſtet, ut ſemper una ſit, & ſemper ſibi ipſi naſcendo vel renaſcendo ſuccedat?* Ad Conſtantinum in ſobole ſuperſtitem Evſebius Cæarienſ. in *vit. Conſtant. l.* 4 *c.* 72. ſed *Ægyptiam avem* nuncupans. Depingunt eam nobis *Herodot. l.* 1. Lactantii nomen præferens poeta, & Clavdian. *Epigr.* 1. qi & *Phœnix*. Evſtathius Antioch. (fictitius opinor) in *hexamer.*

Epiphanii nomine *Phyſiologus c.*11. & Evſebius Cæſ. *præparat. Evangel.l.*9. ex Ezechiele Tragico, qi in terrâ Cananæâ viſum ſibi narrantes exploratores Hebræos inducit. Jarchas Indus apud Philoſtratum in *vita Apollonii l.*3. *c.*14. & ex eodem Joan. Tzetzes *varior.*5.6. Achilles Tatius de *Levcipp. l.*3. Plinius *hiſt. natur.l.*10.*c.*2. & ex Plinio (ſed corruptè pro more ſuo) Solinus *polyhiſtoris c.*33. Meminere & Heſiodus apud Plutarchum *de deſit. oracul.* Corn. Tacitus *annal.l.*6. Dio Nicæus *hiſtor. l.*58. in Jo. Xiphilini *Epitome.* Avrel. Victor. in *Tiber.* Ælianus *hiſt. animal. l.*6.*c.*58. & ex Æliano Apoſtolius in *Adag.cent.*20.*Paræm.*31. Senec.*Epiſt.* 42. Pompon. Mela *de ſitu orbis l.*3.*c.*9. Celſus *adv. Chriſtian.* Ovid. *Metamorph. l.*15. & *amor.l.*2.*eleg.*6. Statius *Sylv.l.*3. *carm.*2. Clavdian. *in Stilicon.l.*2. Martialis *lib.* 5. *epigr.*7. Ariſtides rhetor *orat. in Smyrnam reſtitutam.* Lucian.in *Hermotim.* ſive *de ſectis.* Syneſ. in *Dione.* Artemidorus *de inſomniis l* 4. *c.*49. Orus *hieroglyphic. l.*1.*c.*35. Svidas in Φοίνιξ. Alcim. Avitus *de origin.mund. l.*1. Cæterum Plinius de veritate dubitat, (prout & Origenes *adv. Celſum l.*4. ἐὰν ᾖ ἀληθές.) *fabuloſum* ſuſpicatur. Hieron. Cardanus *de ſubtil. l.*10. *fabulæ, quàm veritati propiorem* pronunciat. Maximus Martyr. *lib. adverſus Severi dogmata,* diſertiſſimè contradicit οὐδὲν ζῶον πάνυ μονοδυνόν. id qod eodem planè cum primis argumento contendit, qo apud nos plebeius qidam uſus perhibetur, Ofellus alter,

Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſáqe Minervâ.

Siqidem iſte, cum parochum ſuum pro concione ad dogma aliqod fidei vel explicandum vel confirmandum de Phœnice pervulgata illa proferentem avdiviſſet, *mendacii manifeſti teneri* hominem palam jactitabat: qî enim fieri potuiſſe, ut *volucres bini* qiqe in *arcam Noachicam* diluvii œcumenici tempore ingrederentur, ſi qis *ales ſingularis ac ſolitarius* extitiſſet? Apage ergò fabulam hanc ex hiſtoriâ etiam exoticâ, qam demtâ veritate Polybius *l* 1. *animal oculis orbatum, nulli uſui futurum,* ego *corpus* etiam *animâ deſtitutum* dixerim; Timæus *nec hiſtoriam* qidem dicendam pronunciavit, apud eundem *l.*12. Et à fidei negotio multo magis. ἀ δὲ λεῖ) πανελὲς συμμάχε ἡ ἀρετή. ut Syneſius *Epiſt.*5. *neqe enim avt virtus*

ius vitii, aut veritas divina mendacii ope indiget, nedum ut pagina ſacra ad teſtimonium perhibendum figmento tam abſurdo invita pertrahatur. Unum iſtud ex Plinio *l.13 c.4.* ubi adjectum fuerit, Phœnicem noſtrum ablegabimus. de *pumilâ* qdam *palmâ*, qæ *in Chorâ* eſſe dicitur, locutus is; *Mirum*, inqit, *de eâ accepimus, cum Phœnice ave, qa putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, emori ac renaſci ex ſeipſâ.* Ita (qod Eraſmus alicubi) *fabula trahit fabulam, ut anſa anſam.* & qod diverbio celebratum Avſonius *idyll.12. Vara Vibiam ſequitur.* In hanc forſan ſi incidiſſent boni illi patres, fuiſſet ea φοίνιξ *palma* arbor potiùs qàm avis ab hymnodo deſignata.

De *Palmâ* avtem cum agere ceperimus, cujus occaſione de *Phœnice* ave commentum illud excuſſimus, de iſtâ etiam opinionem qandam vulgo receptam pavcis obiter examini ſubjicere fert animus. Ad hymnographi ergó verba illa, qibus virum juſtum *palmæ arbori*, non *Phœnici aliti*, uti ſuprà demonſtratum eſt, confert, ſic Victorinus Strigelius, qi codicis ſacri partem maximam commentariis, havd prolixis, ſed nec infructuoſis prorſus tamen, ſtrictim illuſtravit; *Cum in primo Pſalmo ſatis multa de palmâ ſint dicta, nunc tantùm Epigramma Alciati aſſcribam, in qò imago Eccleſiæ, —oneri impoſito non ſuccumbentis, ſed conſtantiam præſtantis, in arumnis, pulcerrimè pingitur.* Tum Andreæ Alciati ex *emblematum* libro, qo palma dum mole ſaxeâ incumbente premitur, in altum palmites ſurrectos emittens exhibetur, carmen ſubjungit; cujus *diſtichon* primum iſtud eſt,

Nititur in pondus palma, & conſurgit in altum;
Qo magis & premitur, hoc magè tollit onus.

At verò, ut nihil dicam de avtorum veterum, qi *plantarum hiſtoriam* conſcripſerunt, alto planè & perpetuo hac in parte ſilentio; ipſa arboris natura palmitúmqe ratio commento iſti penitus adverſari clariſſimè deprehenditur. Palmæ ſiqidem cum folia, qæ ramorum vicem gerunt, tum & palmites, unde fructus exoritur, ſponte ſuâ deorſum vergunt, ut arte etiam opus novellæ coma habeat adhibitâ, cujus ope erigatur. Theophraſtus *hiſt.plant.l.2. c.8.* Ἀναδοῦσι δὲ κόμην, ὅπως ἐφοφυῶσ, καὶ βλαστοὶ μὴ ἀπαρτῶσ. *Comam conſtringunt, ut cre-*

Ita ſuccreſcat, nec deorſum vergant dependentes virgulæ. Proinde nihil hâc in parte peculiare, avt præ aliis inſigne, palma obtinet. Unde ergò enata opinio iſta, tam pervulgata, & pro compertâ prorſus hactenus à pleriſque habita? Frondi mirum ni tribuerint quod eſt ligni, ſive materiæ, dos peculiaris. Hoc à Plutarcho diſcimus, qi *ſympoſiac. l.8. c. 4.* ſcribit, *ideò in certaminibus palmam ſignum eſſe victoriæ placuiſſe*, (Gellium avdis, qi Plutarchum tranſcripſit, *noct. Attic. l.3. c.6.*) *quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibúſque non cedat.* Plutarchi ipſius verba vis? habeas. φοίνικος δὲ ξύλον, ἂν ἄνωθεν ἐπιθῇς βαρὺ (forſan βάρος vel βαρύ τι) πίζης, ὑ κάτω θλιβόμενον ἐκλίσασιν, ἀλλὰ κυρτοῦ σχῆμα τίνασσον, ὅπερ ἀνθιστάμενον τῷ βιαζομένῳ, id eſt vertente Gellio: *Si ſuper palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam gravitor urgeas oneréſque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec infra flectitur; ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recurvatúrque.* Hoc & in *ſeptimo problematum* tradidiſſe Ariſtotelem idem avtor eſt Gellius: qod in eis tamen, qæ ſub Philoſophi nomine jam proſtant, nec unius hominis eſſe videntur, nuſqam comparet. A Xenophonte mutuatum, (nec falſus ariolus, puto) avguror Plutarchum, cujus etiam è verbis perperam acceptis errorem illum de arbore ipſâ enatum non ineptè ſuſpiceris. De *Cyri inſtitutione lib.7.* hæc ille. πίζόμενοι οἱ φοίνικες ὑπὸ ζάρος ἄνω κυρτοῦνται, ὅπερ οἱ ὄνοι οἱ ϗαμηλίσιοι. *Palmæ pondere gravatæ ſurſum recurvantur, velut aſini elitellarii*; ita enim ϗαμηλίσιοι malim, licet renitente Henr. Stephano, quàm cum Svida, *μεγάλους, magnos*, ſive, ut Stephanus, *pregrandes*, vertere. Satis nota ſunt aſinorum dorſa repanda, qorum ab imitamento ϗαμήλια etiam ſunt dicta, τὰ ἐν τῇ πρύμνῃ τῆς νεὼς ὀπισθεμπῆ ξύλα πεπλάσθαι πρὸς σκιωποιΐαν, *incurva qædam ligna in navis puppe poſita, qæ tugurii vicem præſtent.* Avtor Heſychius. De ſuccreſcente ergò palmâ cepiſſe videntur commenti iſtius parentes primi, qod de ſucciſâ ille dixerat. Cyrum refert τὰς πύργους, ſive *turres*, qos ad fluminis oram extruebat, φοινιξὶ διμελῶσι, *palmis exciſis ſubſtratiſque* ideò *fundaſſe*, qòd ex ponderi, qod erat inducendum, ſuſtinendo ob cavſam prius aſſignatam, commodiſſimæ viderentur.

Cæte-

Cæterùm omnem nobis in negotio hoc ſcrupulum eximet Strabo, avtor probatiſſimus; cujus iſta ſunt, ex *geographiæ l.*15. Ἴδιον δέ τι πάχος ἡ φοινικίνων δοκῶν. στερεὰν γὰρ ἔχ παλαιωμένων, ἐκ εἰς τὸ κάτω τῶν ὑπόνων λαμβάνουσιν, ἀλλ' εἰς τὸ ἄνω μίγ& κυρτοῦσ τῷ βάρει, ἢ βέλτιον ἀνέχειν τῶν ὀρθίων. *Hoc ait eſſe peculiare* (non *palmæ arboris, frondis, foliii, palmitis,* ſed) *trabis è palmæ ligno confectæ, ut vetuſtate firmata, ponderi impoſito deorſum pergendo nequaquam concedat, ſed ſurſum fornicis inſtar convexa contendat, tectumque ædificii eo fortiùs ſuſtentet.* quanquam iſtud non eſt palmæ ſolius proprium, ſed aliis quibuſdam, havd multis tamen, cum palmâ commune. Siquidem Theophraſtus *hiſtor. plant. l.6.c.7.* Βάρ& δ' ἐνεγκεῖν ἰσχυρὰ, ἢ ἥ ἐλάτη, ἢ ἡ πεύκη, ἀπαλαὶ πλάγιαι. ἐδὲν γὰρ ἐνδιδόασιν, ἄσπερ ἡ δρῦς ἢ τὰ χαλέπα, ἀλλ' ἀντιβαίνει. *Pondus ferre valentes ſunt abies & picea, ſi virides ponantur, neque enim oneri cedunt; ut quercus & ſtirpes terreæ magis, ſed renituntur.* Et mox: Ἰσχνὸν δ ἢ ὁ φοίνιξ. ἐκπίπτει γὰρ ἡ κάμψις ἢ πῆς ἄλλοις γίνε. τὸ μὲ γὰρ εἰς τὰ κάτω κάμπτ. ὁ δ φοίνιξ εἰς τὰ ἄνω. φασὶ δ ἢ ἐλάτην ἢ πεύκην ἀντιβαίνειν. *Valet ad hoc & palma. in diverſum enim planè, quàm reliqua, incurvatur. hæ enim deorſum incurvantur, illa ſurſum. quin & abietem & piceam pariter reniti ferunt.*

Cap. III.

Oppoſita juxtà poſita lucem mutuam fœnerantur. Ariſtotelis codices emendati. Hymni primi Verſiculus 4. expenditur & explicatur. A bonorum ſtatu felici, ad improborum infelicem tranſitur. Non ſic, *formula ſolennis elliptica. Rabbinorum commentum putidum. Lectio varia Gen.*4.15. *Loca ambigua Prov.*15.7. *Deut.*18.14. *Beza conjectura de Eph.* 4.20. *probata. Locus ſubdifficilis 2 Reg.*23.5. *diſcuſſus. Interrogationis index nota ſæpe deſiderata. Eſaiæ* 16.6. *& Jeremiæ* 48.29.30. *collati & conciliati.* בדיו *quam varia deſignet.* נין ſoboles. מיפיו palmites, cogitationes. *Chriſti verba Matth.*20.25,26. *& Luc.*22.25,26. *collata, expenſa, explicata. Poteſtas politica miniſtris Evangelicis interdicti eis exiſtimata. Syneſius emendatus.* κατανοήσατε &

καταξιοῦσθαι de imperio tyrannico uſurpata ibi fruſtrà cenſeri; in partem meliorem frequenter ſumi. Τῶν δ' ἐργετῶν, ſive Beneficorum appellatio, Hebr. לְנֹדְבִים reſpondens; qibus tributa. Non videri poteſtatem ullam eis verbis interdictam. Ad Chriſtianos qoſque pertinere documentum eo loci datum. Mens verborum genuina propoſita, explicata, firmata. Οἱ δοκοῦντες ἄρχειν qui velit. Οἱ δοκιμώτατοι, non dici. Τὸ δοκεῖν, τὸ πολμᾶν, τὸ θέλειν, τὸ βούλεσθαι, & Latinis, videri, avdere, velle, πατεῖσθαι. Calix perpeſſionis; baptiſmus ſangvinis. Matth. 20. 23. Martyrium duplex; Bernardo etiam triplex. Infantes Bethleemitici κυριακοὶ martyres dicti. Euſebii Emeſeni nomen ementitum. Verſiculi illius Matth. 20. 23. pars altera expenſa. Variæ multorum expoſitiones. Ellipſes & ſupplementa minus neceſſaria. Ἀλλὰ & εἰ μὴ creberrimè permutata.

CIrca hymnum primum moramur adhuc, Εὐαισθητότερα τὰ παρ' ἄλληλα φαίνεται, inqit Philoſophus de cœlo l. 2. c. 6. Exactior rerum ſenſus eſt, qum ea inter ſe componuntur. Et de contrariis ſpeciatim idem rhetor. l. 3. c. 2. Παρ' ἄλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεται. Et ibid. c. 18. Παρ' ἄλληλα μᾶλλον τἀναντία γνωρίζεται. Sic enim loco utroqe diviſim legendum, παρ' ἄλληλα, non conjunctim, qod codices exhibent, παρήλληλα. Et rurſus in Sophiſt. Elench. l. 1. c. 14. Ἀναπεμφόμενον ἐγγὺς τῶν ἐναντίων, καὶ μείζω φαίνεται, καὶ θᾶττον τοῖς ἀνθρώποις, Oppoſita juxta poſita, lucem ſibi mutuò fœnerantur, & conſpicua magis fiunt. Viri itaqe boni ſtatum fœlicem priore hymni iſtius parte propoſitum & imagine luculentâ oculis ſubjectum, ab adverſâ improborum infœlicitate in reliqâ vates ſacer illuſtrat.

Hanc orditur à formulâ conciſâ ſacris ſcriptoribus ſolenni, לֹא כֵן רְשָׁעִים Non ſic impii. qod Græcus, qó dicti vehementiam pleniùs exprimeret, iteratum reddidit; οὐχ οὕτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ οὕτως. Mitto putidum illud Cabaliſtarum nugamentum, qi referente Joanne Revchlino, qi & Capnio, Cabaliſt. ſuec 3. ex literis trium harum dictionum noviſſimis tranſpoſitis, qæ אמן conficiant, cavſam colligunt, cur impii in gehennam mittantur, ſcil. qia non dicunt Amen. Verum ſic Jacobo patri Joſephus Gen. c. 48. ver. 18.

לא

לֹא כֵן אָבִי *Non ſic, pater mi;* faciendum ſcil. avt tale qid. οὐχ οὕτως. Græc. *non ita convenit.* Lat. Sic Moſi Pharaoh, Exod. c.10. v.11. לֹא כֵן μὴ οὕτως. Græc. *Non fiet.* Lat. Sic de Moſe Dominus, Num.c.12. v.7. לֹא כֵן עַבְדִּי מֹשֶׁה Græc. οὐχ οὕτως ὁ διαθέμενος μου Μωϋσῆς. Lat. Vulg. *Non ſic famulus meus Moyſes. ſervus meus,* Pagnin. *aliter cum illo ſe res habet.* Jun. Salomon Parœm.c.15. v.7. *Sapientum labia ſpargunt ſcientiam; ſtolidorum verò cor* לֹא כֵן Schol. Græc. οὐχ οὕτως, at LXX. qæ dicitur Verſio, ὡς ἀσφαλεῖς. Et Vulgat. *non ſecura.* Jun. *anima ſtultorum abeſt à rectò.* Tigurin. *cor non eſt ſolidum.* Pagnin. *non erit rectum.* Piſcat. *non eſt: proinde nec ſpargit ſcientiam.* Verùm ſimpliciùs juxta priora illa vertas, *non ſic.* ut id primâ & primariâ voculæ notione deſignetur, qod ſeqelæ ratione eliciunt iſti. atqe ita Verſiones Anglicanæ qæqe, tam antiqiores qàm & nuperæ. doth not ſo. Eandem formulam uſurparunt Græci interpretes. Geneſ. c.4. v.15. ubi, cum Cajn dixiſſet fore, ut ab occurrente qolibet ſtatim interficeretur, ſubjicit Deus, uti illi vertunt, οὐχ οὕτως, qod Latinus reddidit, *Neqaqam ita fiet.* τετέλεσται, οὐκ ἀναιρεθήσῃ. i. *non interficieris.* ut Baſilius exponit, *epiſt.* 117. ſcil. pro eo qod textus Hebraicus habet לָכֵן *idcircò, propterea;* & Avg. Stevchus, *imò ſic,* reddidit; illi לֹא כֵן *non ſic,* legerunt. Moſes an uſurpaverit (qod editores Genevenſes ſuſpicati videntur)Devteron.c.18. v.14. verbis illis, וְאַתָּה לֹא כֵן *at tu non ſic,* ut qæ ſequuntur נָתַן לְךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *dedit tibi Dominus Deus tuus,* integram per ſe & ab illis diſtinctam clavſulam conſtituant, meritò forſan dubitari poteſt; & interpretes pleriqe in diverſum abſcedunt: favere tamen videtur diſtinctionum ratio, & *Zaceph* ſimilitudinis notæ inſidens: atqe ita Sanct. Pagninus reddidit: *Sed tu non ſic: dedit tibi Dominus Deus tuus.* Hieron. etiam ab oleaſtro, ita eſt interpretatus; *Conciſa,* inqit, *eſt locutio. Et ſenſus eſt, Et tu non ſic, ſcil. facies, vel non ſic edoctus es; avt, non audies præſtigiatores & divinos. Dedit tibi Dominus Deus tuus, Prophetam ſcil. qi tibi futura prædicat, ita ut non ſit opus ad iſtos pergere.* Sed & Fr. Vatabli *annotationes,* qæ cum Leonis Judæ Tigurini verſione ſunt editæ, eôdem planè concedunt. Sic enim habent. *Tu autem non ſic: dabit tibi Dominus Deus*

tuus, concisa oratio, in qâ sunt multa subaudienda, hoc modo; Tu autem non sic facies; non consules divinos: qia daturus est tibi Dominus Deus tuus terram illarum gentium in hereditatem, propterea qòd divinos consulunt. De clavsulâ extremâ Oleastrium qàm Vatablum seqi malim: de distinctione ipsâ alii viderint. Mihi interim cumprimis perplacet à Theodoro Bezâ, sed qasi ambigente, proposita distinctio parilis in verbis Apostoli ad Ephesios c.4. v.20. Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χριστόν. *Qid si*, inqit, *post* οὕτως *distinctionem adscribas? sic enim Hebraï,* וְאַתֶּם לֹא כֵן הוֹרִיתֶם *vos autem non ita, subfacere convenit, qi didiciſtis* &c. Ego lubens verterim, *Vos autem non sic: Christum didiciſtis.* Ita certè disertè Theophylactus: Τὰ μὲν ἔθνη οὕτως οὐχί· ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως,—ἐπειδὴ ἐμάθετε τὸν Χριστόν. *Gentes qidem sic se habent: vos autem non sic,—qia Christum didiciſtis.* Nec secus exteri qandoqe. Sic enim apud Maronem *Æneid. l.2.* Æneas urbe jam conflagrante, in Helenam obviam exardescens,

Scilicet hæc Spartam incolumis, patriáſqe Mycenas
Aſpiciet? partóqe ibit regina triumpho?
Non ita.—— Sed de Apostoli loco isto alibi plura.

Occurrit interim eadem formula Regum l. 2. c.23. v.5. loco certè satis difficili. Verba sic habent; כִּי לֹא כֵן בֵּיתִי עִם אֵל Ea sic reddunt; Græcus, ὅτι οὕτως ὁ οἶκός μου μετὰ τοῦ θεοῦ. Pagnin. *Non enim sic domus mea cum Deo.* Tigurina, *Non inqam, sic erit domus mea cum Deo.* Junius, *Qamvis non ita* sit *domus mea erga* Deum *fortem.* Piscator, *Qamvis* autem *non* sit *ita* comparata *domus mea erga Deum.* hoc est, uti sese isti explicant, (neqe enim alteri illi ulteriùs exponunt) *qamvis ego & regnum meum, non ita exactè præstemus hæc*; ut ad illa Vers.3. respiciatur, *dominator justus sit, & in Dei timore dominetur.* Eôdem ferè concedit Versio nostra novissima. Cæterùm ad verba Vers. 4. proximè antegressa respectum potiùs haberi, cùm Judæi, tum & nostri pleriqe consentiunt. Ita tamen, ut in periochâ illâ constituendâ in diversa à se invicem abeant. Qidam enim ita sententiam diffindunt, ut collationem duplicem institui velint, in parte priore alteram, à sole clarissimo citra nubeculam ullam offusam exoriente, qi gradatim attollatur, splendorémqe justum nubilo nullo

inter-

interveniente imminutum conſtanter retineat, cui regnum Davidis compar (in Meſſiâ ſaltem) futurum ſit; alteram, à ſolis ejuſdem qidem ſplendore, ſed qi nebulis, nubibus, pluviis, imbribus intercurſantibus creberrimè intercipiatur; ſive, ut horum nonnulli, ab herbâ tenerâ, qæ ſolis calore pluviæqe humore ad tempus breve confota atqe enutrita, poſt pavlo penitus exareſcat: cui ſimile illud nevtiqam futurum ſiet. Ita ferè Judæi, Camius, Jairus, Gerſomides: qos Interpretes noſtri, tam Genevenſes, qàm & his proximè priores ſecuti ſunt. Ei ſic reddunt, *Et ſicut lux matutina, ubi ſol oritur, matutina, qæ ſine nubibus eſt*, ita futura eſt domus mea; at non *ſicut herba terræ à ſplendore & pluviâ*; ſive, *à pluviâ ſplendidâ. Neqe enim ita* erit *domus mea cum Deo.* Verùm V.Cl. Ludov. de Dieu, in *Animadverſionibus poſtumis*, ut ut minimè omnium placere ſibi Junium profiteatur, maximè verò qos ſuperiùs expreſſimus, Genevenſes; ab his tamen etiam diſcedit; & cum verba commatis 4. ſic reddiderit, *Et ſicut luce matutinâ oritur Sol*; ſicut *tempus matutinum* eſt *ſine nubibus*; ſicut *è pluviâ exiſtit herba tenera è terrâ*; ut triplicem velit collationem inſtitui, *à tribus* ſcil. *rebus naturalibus, qæ gratiſſimæ hominibus ſint, & inſignia contineant beneficia*; iſtud ſimul in his tacitè innui cenſet, *res iſtas conſtantes ac ſtabiles non eſſe*; *ſolem ſiqidem*, etiamſi *luce matutinâ oriatur*, *ſub veſperam* tamen *occidere*; *avroræ ſerenitatem*, licet *primo ſplendoris ortu nubes diſcutiat*, *eaſdem* tamen, *ubi ſol aſcenderit*, *redire*, *aliáſve ſuccedere*, *qæ cœlum obſcurant*; *herbam denique teneram per pluviam è terrâ progerminare*, *ſed qæ ſubitò flacceſcat.* iſto itaqe reſpectu dici, *utiqe non ſic* eſt *domus mea apud Deum*, cùm *fœdus æternum habeat.* Ego priora illa ſic reddiderim, *Et ſicut ad lucem matutinam, ſole manè citra nubes exorto, à ſplendore pluviæ ſuccedente herba tenera è terrâ* ſuccreſcit: ut (qod Junio viſum, cui hac in parte accedo) imagine iſtâ, cùm regni gloria, qæ ſolis ipſius ſplendorem referat, tum populi ſtatúſqe totius proſperitas, ad herbæ inſtar, qæ pluviæ calorìſqe viciſſitudine tempeſtivâ cùm fruatur, perpetuò vireſcat, utraqe fuerit deſignata. Nimis ſiqidem, uti mihi videtur, licenter priores illi cùm contextum divellunt, tum de ſuo inferciunt: Vírqe ipſe doctiſ-

ſimus ſine fundo ſuggerit, qæ textus ipſe nevtiqam exhibet. At verò ſi favſta ac fœlicia omninò qælibet collatione iſtâ repræſentantur, qâ, inqies, de cavſâ negat David domum futuram ſibi iſtiuſmodi? Chaldæus itaqe ſic interpretatur, ut nolit iſta prorſus negari, ſed amplius longè aliqid his verbis ſubindicari; qæ ſic reddit, *Excellentior qâm ſic domus mea coram Deo.* Nam Latinus qi reddidit, *Nec tanta eſt domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum*; dictionis compagem planè reſolvit, dum à periochâ præcedenti, à qâ dubio procul dependet, iſtam parum conſultè dirumpit. Mihi ſtatim atqe D. de Dieu de eâ diſſertationem perlegiſſem, (neqe enim locum ipſum apud me unqam priùs perpenderam) ſubiit animum verba eſſe ἐρωτηματικῶς proferenda, ut dicatur, *An non ſic utiqe domus mea apud Deum* eſt futura? Dum avtem, ne, ſi id fieri poſſit, (qod cordi non eſt) ſolus incedam, comitem qæro, verſiones varias conſulendo evolvendóqe incidi tandem in noſtrarum, qæ typis excuſæ (puto) proſtant, antiqiſſimam, Gvil. Tindalo attributam. Ea ἀυτολεξεὶ ſic habet, **And is not mine houſe ſo with God?** Interrogationis indicem particulam apud Hebræos freqenter deſiderari, norunt ſatis qiqe in eâ lingvâ leviter etiam verſati: unde locis in havd pavcis verſiones variæ, de qibus in Cinno iſto alibi copioſiùs diſſeruimus. Iſti hîc obiter lucem aliqam dare conati, ad penſum inſtitutum denuò revertimur.

De Rege; an populo, an utroqe, Moabitico Deus, Eſaiæ c.16. v.6. *Audivimus faſtum Moabi, (faſtuoſus eſt admodum) faſtum ejus, & faſtidium ejus, & excandeſcentiam ejus:* לֹא־כֵן בַּדָּיו Qæ eadem latiùs pavlò Jeremias c.48. v.29,30. *Avdivimus faſtum Moabi,—altitudinem ejus, & faſtum ejus, & faſtidium ejus, & elationem cordis ejus. novi ego, inqit Jova, excandeſcentiam ejus:* לֹא־כֵן בַּדָּיו לֹא־כֵן עָשׂוּ Qæ utrobiqe noviſſima, dum formula qâ de agimus, apud utrumqe eadem, niſi qòd ſimplex alteri, alteri geminata, non attenditur, negotium interpretibus moleſtiámqe havd mediocrem creavere. unde etiam enatum, ut qamvis idem dubio procul verbis illis vates uterqe voluerit, non tamen pariter avt reddiderint avt explicaverint nonnulli. Apud Eſajam Græci, οὐχ ὕτως ἡ μαντία σου, οὐχ ὕτως *non ſic divinatio tua, non ſic.* geminarunt

minarunt ſcil. ubi gemina nulla ſe dabant; prout & in Hymno primo feciſſe ſuperius eſt animadverſum. qum avtem Ethnicorum *vates* ac *arioli*, utpote *mendaces* planè, בדים dicti reperiantur Eſajæ c.44. v.25. & Jer. c.50. v.36. inde de *divinationibus* loqi vatem ſacrum avtumabant illi, qæ eventum qem iſti pollicebantur, nevtiqam eſſent habituri. Verùm apud Jeremiam aliter planè eadem efferunt, ὐχὶ ἰσχὺν αὐτῷ ὐχ ὕτως ἰσχύσει; ita exhibet τὴ ἑβδομήκοντα editio Pariſina, qæ & Romanam repræſentare profitetur; ſed mutila, opinor. ſiqidem in Theodoreti commentariis pleniùs ſic datur, ὐχὶ χεὶ τὸ ἰσχὺν αὐτῦ ὕτως οἱ βραχίονες αὐτῦ; ὐχ ὕτως ἰσχύσει. *An non ſecundum ſufficientiam ejus ita brachia illius? non ſic ficit.* בדיו ſcil. *brachia illius* reddidere, qia *membra artúſve* corporis בדים dicta videantur Jobi c.18. v.13. &c. 41.v.12 eò qòd *ramalium* in arbore inſtar habeant, qibus nominis id datur Ezek. c.17.v.6. & c.19 v.14. Hoſh. item c.11. v.6. qod idem & ſecutus Tigurinus; *furori ejus lacerti ejus non reſpondent.* Et, *cui nec lacerti ejus, neqe facta ejus reſpondent.* Latinus, in Eſajâ; & *indignatio ejus plus qàm fortitudo ejus.* in Jeremiâ verò; *qòd non ſit juxta jactantiam ejus virtus ejus, nec juxta qod poterat conata ſit facere.* בדים mirum ni in *fortitudinis viriúmqe* notione ſumpſit. qia בדים *vectes* apud Moſem paſſim, Exod.c.26. v.13,14,15,27,28,&c. 27.v.6,7.&c. & Job.c.17. v.16. unde & *oſſa* præcipuè ſic dicta volunt Job. c.18.v.13. qo loco & *robur* reddidere noſtri. nec aliud puto, avt βραχίονων nomine Græci volebant, avt *lacertorum* Tigurinus. Eôdem ferè concedit, qod è Judæis qidam, in qibus eſt Jajrus, גבורים i. *robuſtos*, ſive *validos* exponunt, de viris fortibus & bellicoſis interpretati, qi tamen rem proſperè geſturi non ſint. Cæterùm Camius, & ex aliorum etiam ſententiâ Eſdraides בדים *mendacia* exponunt. qo modo & vox ea ſumitur Job.c.11.v.3. à radice, qæ *fingendi* ac *comminiſcendi* notionem obtinet Reg.l.3. c.12. v.33. & Nehem.c.6. v.9. nec deſunt, qi eiſdem teſtibus מחשבות i. *cogitata, conſilia, machinamenta*; ratione (puto) diverſâ interpretantur; qia ea utiqe à mente ſive corde emergunt. prodeúntqe, qo modo à ſtirpe ſive ſtipite *rami palmiteſqe*: unde & utriſqe commune nomen ענפים apud Hebræos adhæſit, Reg.l.3.

c.19. v.21. Hymn.119. v.113. Eſaj.c.17. v.6. & c.27. v.10. In hoc interim conſentiunt Judæorum Magiſtri, qòd ךָרְמֶא *verum, rectum* utrobiqe reddunt, ad illud Num.c.27.v.7. lectorem amandantes, *Zelophehadi filiæ, qod eſt rectum loquuntur.* qò modo & Pagninus, *non ſunt recta verba ejus.* qi tamen idem in Jeremiâ, *ira ejus non eſt ſtabilita*; *filii ejus* (forſan, qia *propaginum* inſtar ſunt filii; unde & ךָרְמֶא pro *ſobole*, Job. c.18. v.19. Eſa. c.14.v.22. Hymn.72. v.17.) *non ſic fecerunt ut putabant.* aliter nempe ךָרְמֶא apud vatem alterum, apud alterum aliter (in hoc ſaltem perperam) cepit. Ego ſanè, ſi ךָרְמֶא illud in *veri rectiqe* notione ſumendum eſſet, avt *verba*, avt *cogitata*, avt ejuſmodi qidvis potiùs, qàm *mendacia* בְּזִים redditum velim. ecqis enim *mendacia non eſſe vera* avt *recta* diceret? ut de Thraſone aliqo jactabundo, confictas à ſe de geſtis ſuis fabulas narrante, ſeriò pronunciaret, *mendacia hujus vera*, avt *recta non ſunt.* qum hoc ipſo qod *mendacia* eſſe pronunciatur, omnis prorſus eis veritas ac rectitudo abjudicetur. Cæterùm ipſe, particulæ hujus notionem uſitatiſſimam retinendo, à qâ recedere iſtic qod vel cogat, vel ſvadeat, nihil video, cum Junio lubens verterim, qod Eſajas protulit, at *non ſic mendacia ejus*; rem ſcil. effectura ſunt. uti ex Jeremiâ ille rectiſſimè ſupplevit. Ita idem prorſus vates uterqe dixit, niſi qod alter formulâ ingeminatâ ἐμφατικώτερον pavlò enunciavit.

Reſtat celeberrimus omnium, in qibus hæc formula deprehenditur, locus, in qo latiùs diſcutiendo atqe enucleando moram trahere non pigebit. Habetur is in Evangelio Lucæ cap.22. v.25,26. verbis hiſce; οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως. qod havd multo ſeciùs, niſi qòd plenius pavlò, apud Matthæum, c.20. v.25,26. Sic legitur: Οἴδατε, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. οὐχ οὕτω δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν. Marcus enim c.10. v.42,43. Matthæi veſtigiis præciſè inſiſtit, niſi qòd pro ἄρχοντες, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. dixit. de qo, cum Deo bono, deinceps videbitur. Summa huc redit; *Reges & magnates dominationem atqe imperium ſuper ſubditos ipſis uſurpant & exercent: Vos autem non ſic.* qæ clavſula noviſſima ſcriptorum calamis ſurſum deorſum

deorſum jam diu volutatur. Ex ævi ſuperioris nonnulli, verbis hiſce volunt *poteſtatem ſecularem & magiſtratum omnem civilem Apoſtolis Chriſti, & in eorum perſonâ ſacrorum adminiſtris qibuſqe, penitùs interdictum.* Horſum enim reſpexiſſe videtur Syneſius *Epiſt.* 57. qæ eſt adverſus Andronicum qendam λόγος τις σκληρότερος. Ὁ πάλαι χρόνος, inqit, ἔδωκε τοῖς αὐτοῖς ἱερέαις τι καὶ κριτάς. — εἶτ' ἐκεῖθεν, μοὶ δοκεῖ, τὸ θεῖον ἔργον ἀνθρωπίνοις ἐπιτρέπειν, διώκισεν (lege, meo periculo, διαίρεσιν) ὁ θεὸς τοὺς βίους. καὶ ὁ μὲν ἱερεὺς, ὁ δ' ἡγεμονικὸς ἀπελήχθη. *Priſca tempora ſacerdotes eoſdem ac judices tulerunt.* — *Deinde, poſteaqam, ut mihi videtur, opus divinum humano more agi ceptum eſt, vita inſtituta iſta ſeparavit Deus, ut ſacerdotium alteri, alteri principatus aſſignaretur.* Mox adverſus Andronicum ſtylum ſtringens; Τί οὖν ἐπιτάττεις; τί δ' ἔνδικον πρᾶξαι τὰ κεχωρισμένα θεοῦ τε καὶ θεοῦ, ὡς ὑ διοικεῖν ἡμᾶς, ἀλλὰ παραδιοικεῖν ἀξιοῖς; *Quid tu igitur antiqata revocas? qid ea connectis qæ à Deo ſunt diſcreta, qi regimine apud nos non uti, ſed abuti, perverſè ac præter jus fáſqe gubernando, poſtulas?* concludit denique, Ὅτι πολιτικὴν δύναμιν ἱερωσύνῃ ξυνάπτειν, τὸ κλέπτειν ἐστὶ τὰ ἀνέγκλητα. *Poteſtatem civilem ſacerdotio adjungere, eſt ea contexere, qæ contexi ſimul negeunt,* ſive, *qæ contexenda ſimul non ſunt.* Sed omnium diſertiſſimè Bernardus Clarævallenſis *ad Evgenium P.R. de conſiderat. l.2. Qid tibi dimiſit ſanctus Apoſtolus? Qod habeo, inqit, hoc tibi do. qid illud? unum ſcio: non eſt avrum, neqe argentum; cum ipſe dicat, Argentum & avrum non eſt mihi. eſto, ut aliâ qacunqe ratione hæc tibi vindices; ſed non apoſtolico jure. non enim tibi ille dare, qod non habuit, potuit. qod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem ſuper Eccleſias. nunqid dominationem? avdi ipſum: Non dominantes, ait, in clero; ſed forma facti gregis. & ne dictum ſolâ humilitate putes, & non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qi poteſtatem habent ſuper eos Benefici vocantur. & infert; Vos autem non ſic. planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergò tu, & uſurpare tibi avde, avt dominans Apoſtolatum, avt Apoſtolicus dominatum. planè ab alterutro prohiberis. ſi utrumqe ſimiliter habere voles, perdes utrumqe:* Hæc ille. concludit planè ex Chriſti interdicto poteſtatem civilem nemini Apoſtolico competere.

Urgent

Urgent ulteriùs è recentioribus havd pavci, & poteſtatis in miniſtris Evangelicis qibuſqe paritatem atqe æqalitatem hinc aſtruunt. Iſtis ex adverſo qi conſiſtunt nonnulli, τὸ κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν opponunt; non *poteſtatem meram* aliorum ſuper alios, ſed *poteſtatis abuſum* ſive uſum inſolentem & tyrannicum duntaxat interdici. Aſtipulatur his V.C. Iſaacus Caſavbonus *annot. in N T.* κατεξουσιάζειν, inqit, *non eſt ſimpliciter habere poteſtatem*; *ſed uti eâ tyrannicè adverſus ſubditos.* qod & confirmat adducto Theophylacti teſtimonio, qi *ad Marc.*10. exponit, ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς μεταφέρεσθαι. Corn. item Janſenius *comment. in concord. Evang.c.*103. *Notanda vis Græcæ dictionis* κατεξουσιάζουσιν, *qæ non ſimpliciter ſignificat, uti poteſtate: ſed ratione præpoſitionis* κατὰ *ſonat in malam partem, ſignificans uſum poteſtatis tyrannicæ, qi cum malo ſubditorum ſit conjunctus*; *ut qod Græcè eſt* κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, *rectè ſic verti poſſit, poteſtatem exercent adverſus eos. ſic etiam in priore ſententiâ, non eſt ſimpliciter* κυριεύουσιν, *i. dominantur eorum, ſed cum præpoſitione* κατὰ, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, *i. dominium exercent in vel adverſus eos, ut ſignificetur ſuo bono & ſubditorum malo eos gerere principatum.*

Verùm adverſus hæc denuo regerunt illi. 1. primatum fratres duos illos & locum in Chriſti regno, qod monarchiis mundanis geminum ſomniabant ipſi, eminentiorem præ reliqis, poteſtate eâ, qæ faſtigia iſtiuſmodi comitari ſolet, inſtructum, non *tyrannidem* aliqam, avt poteſtatis alicujus tyrannicè ſive faſtuoſè exeqendi facultatem poſtulaſſe. 2. qod Matthæus & Marcus κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν dixere: Lucam ſimpliciter κυριεύειν & ἐξουσιάζειν dixiſſe; addidiſſe inſuper, διεργέται καλεῖσθαι, *Beneficos appellari* conſveviſſe, etiam eos qi ſic imperant. Monet C.V. Joan. Druſius in *proverbiis claſſ. 2. lib. 1. parœm.* 254. Græcum εὐεργέται Hebræorum גְּדִיבִים reſpondere. Titulum avtem iſtum, tanqam honorificum cumprimis, regibus attributum docet nos Demoſthenes *adv. Æſchinem orat. pro coron.* verbis illis, φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα ἢ Φίλιππον ἡγεῖτο. Eo Oſiridem ab ortu, ſtatim inſignitum refert Plutarchus, voce in hæc verba cœlitùs datâ, Μέγας βασιλεύς, διεργέτης, Ὄσιρις γέγονε. *Rex magnus, beneficus, Oſiris natus eſt.* Eo Cyrum majorem Armenios aliósqe ple-

pleroſque honoraſſe, Xenophon *inſtitut. l.3.* Ὁ δὲ Ἀμύντου πρέσβυς, καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι, ἀναγκαῖον ἡγοῦνται εὐεργέτην. Eo Mithridatem primum Ponti Regem ſuos, Strabo *lib.*10 & Appian. *bel. Mithridat.* Eo Ptolemæum à Lagi filio tertium, Græcos, Strabo *geograph. l.*17. ob beneficia in gentem ſuam collata: qo modo & Lagidem σωτῆρα cognomine Rhodii, avtore in *Atticis* Pavſania. Is itaqe inter illos locum forſan tueri poterit, qos τιμῇ ἀληθείᾳ εὐεργέτας nuncupatos vult Pavſanias. Cave enim de iſto dictum accipias, qod de nominis hujuſce ſeptimo, qi & Phyſcon, ut eſt apud Strabonem videre, Athenæus *dipnoſophiſt.l.*12. Ὁ αὐτὸν δὴ εὐεργέτην ἀναγορεύων, ὑφ' ἧς ἔτι Ἀλεξανδρέων κακοεργέτης ὀνομαζόμενος. *Beneficum ipſe ſe indigetabat, cum ab Alexandrinis Maleficus appellaretur.* qod & *l.*4. extremo ante monuerat. Qanqam nec Lagidæ σωτῆρα titulum Joſephus lubens conceſſerit, qem ait, Σωτῆρα χρηματίζοντα, πάντα τὰ παθεῖν αὐτῇ τῇ ἐπιλύσει, *Servator cùm diceretur, appellationi adverſa planè geſſiſſe. antiqit.l.*12.*c.*1. Eodem & Catonem cives Uticenſes, μᾶλλον σωτῆρα ἢ εὐεργέτην καὶ σωτῆρα κληθῆναι, Plutarchus in *Cat.min.* qi idem in diſſertatione *de ſeſe laudando*; Τῶν βασιλέων, τοὺς μὲ θεοὺς, μηδὲ παῖδας θεῶν ἀναγορεύειν θέλοντας, ἀλλὰ φιλαδέλφους, ἢ φιλομήτορας, ἢ εὐεργέτας, ἢ θεοφιλεῖς, οὐκ ἠνέσχοντο, ἀλλ' ἀνθρωπίνοις καὶ πᾶσι συνηθείαις τιμῶντες. *Reges illos, qi non Deos, Deorúmve filios ſe dici volebant, ſed fratrum matrúmve amantes, vel beneficos, vel Deis charos, titulis hiſce, præclaris qidem, humanis tamen, homines havd gravatim honorabant.* Qanqam & iſtos, uti ſuprà indicatum, qibuſdam fruſtra gratíſqe arrogantibus, meritò denegabant; aliis verò, non θεοὶ τιμῇ, ſed θεοὶ χλευασμῷ, *per deriſum*, uti de Ptolomæo Philometore Pavſanias, imponebant qandoqe. Qin & aliis qàm regibus, avt provinciarum rectoribus, privatis qoqe nonnunqam honoris ergô, avt beneficii alicujus inſignioris ratione, titulos iſtiuſmodi deferebant. Hinc Cratoni cuidam Charontis ſcapham ingreſſuro apud Lucianum Mercurius, Κατάλιπε τὸ γένος, καὶ δόξαν, καὶ εἰ ποτέ σε ἡ πόλις ἀνεκήρυξεν εὐεργέτην. *Depone proſapiam gloriámqe, & ſi te qando cives tui Benefici præconio publicitùs coheneſtaverint.* Agriaſparum deniqe, an Ariſmaſporum gentem totam, mutato nomine,

Εὐεργέτης deinceps nuncupari jusserat Cyrus, quum frigore victûsque penuriâ laborantem, quem adversus Scythas ducebat, exercitum, tectis excepissent, & commeatibus juvissent. Autores Diodorus *l.*17. Arrian. *l.*3. Curtius *l.*7. De nominis ipsius ratione optimè Leo imperator in *Constitut.* Τιμᾷ τῷ βασιλεῖ τὸ ἐυεργετεῖν. διὸ καὶ Εὐεργέτης λέγεται. καὶ νίκην ἡ ἐυεργεσίας ἐξαπίνης, ὡσεὶ πιβδηλίαν καὶ τὰς πόλεις καὶ τὴν βασιλείαν καταλῦσα. Interpretabitur Annæus Seneca, qi *de clement. l.*1. *c.*19. Neronem suum sic affatur. *Proximum Diis locum tenet is qi se ex Deorum naturâ geris, Beneficus, ac largus, & in melius potens. hoc affectare, hoc imitari decet, Maximum ita haberi, ut Optimus simul habeatur.* Et *ad Eugenium de consider. l.* 3. Bernardus; *Mendaciter hoc diceris, si non tam Beneficus esse, quàm benefacere praesse intendas.* Dio sophista, ille ὁ χρυσόστομος dictus, *orat.*49. τοῖς ὑπηκόοις ἀνθρώποις καὶ πεπαιδευμένοις, ὅτι ἀυτοῖς τὸ ἄρχειν, ὅτι χαριστόν. ὅσον δὲ μᾶλλον μᾶλλον, ἢ τῷ ἐυπειθεῖν. τῷ δ' ἄρχοντι, ὃ μόνον ἐξουσία πλείστη τοῦ ἐυεργετεῖν ἔστι, ἀλλὰ καὶ ἀνάγκη μεγίστη. qi & idem *orat.*41. τοὺς ἐυεργέτας tyrannis opponit verbis illis; ἀλλὰ μᾶλλον φιλεῖ τὸ τυραννικὸν (τὸ μισόκαινον μήτε ἁπλόϊκον, μήτε μίμφιλον) συμβαίνειν τοῖς τυράννοις, ἢ τοῖς ἐυεργέταις.

Qin & τὸ κατακυριεύειν in partem potiorem adhibitum frequentissimè deprehenditur. Apud Græcos interpretes Hymno 110.v.2. de Christi dominatione, κατακυρίευε ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν σου. *dominare in medio hostium tuorum.* Hymn.72. v.8. de Solomonis imperio. κατακυριεύσει ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης. *à mari usque ad mare dominabitur.* Et Hymn.49 v.14. de bonorum futuro regimine, κατακυριεύσουσιν αὐτῶν οἱ εὐθεῖς. *Justi ipsis dominabuntur.* Genes. c.1. v.28. de potestate homini super cæteras creaturas concessâ. πληρώσατε τὴν γῆν, καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς· καὶ ἄρχετε τῶν ἰχθύων &c. *replete terram & dominamini ei; & imperium obtinete super pisces* &c. qem locum alludens Clemens Alexan. *Stromat. l.*6. Μὴ τοῦ ἄξω μόνον θηρίων κατακυριεύειν ἐπάγηται, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐμῶν αὐτοῖς ἀρχόντων παθῶν. Idémqe *pædagog. l.*2.c.1. ὁ γὰρ καθάπερ ἀποτιθέμενος, ἡμᾶς ἀφεκτέους τοῖς τοῦ πατρὸς διορίσασι χαίρειν ἐᾷ αὐτοῖς, ὡς ἀρχοῦσι, ἀπεσταλκόσι. καὶ τὸ βασιλεύειν ἐπέχειν, καὶ κατακυριεύειν, ἐχὶ δεσπόζειν τῶν βεβήλων. Vides ἄρχειν, βασιλεύειν, κατακυριεύειν, tanquam

qam qæ idem prorſus valeant, uſurpari. Accedit, qòd κατακοιρανεῖν, qod idem ferè ſonat, eodem planè modo poetarum princeps ἀντὶ Ϝ κοιρανεῖν non ſemel uſurpavit.

Iliad. μ. v.318. ὃ μὲν ἀκλειῆς Λυκίλλι κατακοιρανέωσιν
Ἡμίτεοι βασιλῆες.
Noſtri haud incelebres Lyciæ reges dominantur.

Et *Odyſſ.* α. v.247. Ὅσσοι γὰρ νήσοισιν ὑπερτέλλουσιν ἄριστοι,
Ἠδ' ὅσσοι κραναλὴν Ἰθάκλιν κατακοιρανέουσι.
Namqe qot inſulæ habent paſſim proceres dominantes,
Qótqe tenent Ithacam ſaxoſam, huic imperitantes.

ad qem locum Evſtathius; τὸ κατακοιρανέουσι δηλοῖ τὸ ζευπιδύουσι, καὶ ὡς ἀνωτέρω ἔφη, ὑπερτέλλουσιν, ἢ τὰ βασιλικὰ δρῶσιν. ὡς καὶ Ὀδυσσεὺς ἐν Ἰλιάδι (β. v.207.) κοιρανίην διέπειν φρατέρων, ἤγουν δρᾶν ἔργα βασιλικά. ut κατακοιρανεῖν Homero nihil ſit aliud qàm ſimplex κοιρανεῖν, i. βασιλεύειν, ὑπερτεῖν, *regnare, cum imperio eſſe.*

Verùm nolo ego controverſiis iſtis immiſcere me. Quod ille olim,

Nimium altercando veritas amittitur.

Senſum loci genuinum tantùm eruere & in lucem protrahere, ζὺν Θεῷ, conabimur. Ac primò, poteſtatis civilis uſum atqe exercitium omne iſtic interdici prorſus eis, ad qos verba hæc ſpectant, mihi nevtiqam fit vero ſimile: & minùs multo, prælationem omnem & imparitatem inter ſuos vocibus illis Dominum Chriſtum ſublatum ire voluiſſe. ſiqidem & gradus inter eoſdem diſertè agnoſcit ipſe, qibus alii tanqam majores minoribus præficiantur, ubi ſubjicit, Lucæ c.22. v.26. ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος· καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν. *qi major eſt* (reliqis) *inter vos, eſto ſicut minor* (reliqis, ſcil.) i. e. minimus. *et qi præit, ſicut qi miniſtrat.* tum & ipſum ſe eis εἰς παράδειγμα proponit. Ἐγὼ δὲ εἰμὶ ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ὁ διακονῶν. ibid. v.27. *Ego,* inqit, *ipſe* (qem *vocatis magiſtrum ac Dominum: & benè ſic vocatis: ſum enim.* Joan.c.13. v.13.) *tanqam is qi miniſterio fungitur, inter vos ago.* ut ne adjiciam qæ Matthæus c.20. v.8. & Marcus c.10. v.45. eôdem planè ſpectantia referunt. non magis ergò Chriſtus interdicto iſto ſuorum in ſe invicem quorumvis, qàm ſuiipſius in ſuos, poteſtati qicqam detraxit.

Deinde, qæ iſtic locutus eſt, non Apoſtolos ſolos, avt etiam miniſtros Eccleſiaſticos duntaxat; (neqe enim in contextu qicqam ſe prodit, qod vel ad hos vel ad illos reſtringenda evincat) ſed Chriſtianos qoſvis, tam Principes qàm & Plebeios, ſpectare videntur. Ita certè vetuſtiores qiqe ferè cepere. Joannes Chryſoſtomus in Matthæum *orat.65.* Hieronymus *in Matthæum l. 3. c. 20.* Theophylactus *in Matth.c.20.* & *in Marc.c.10.* (ubi & diſertis verbis, Οἱ ἐμοὶ μαθηταὶ, οὐχ ὕπως. *diſcipuli verò mei non ſic.*) Evthymius deniqe *in Matth.c.43.*

His itaqe præmiſſis, ad mentem Domini genuinam aperiendam accedimus. Inſederat altiùs diſcipulorum animis, qàm ut facilè eximi potuerit, perſvaſio iſta, fore ut Dominus Jeſus, qem affectabantur, regnum ſplendidum atqe magnificum admodùm, pro regum exterorum more, in ſeculo iſto obtineret: in eo, qis primas, qis ſecundas ferret, ambitioſè ſatis inter ſe ſæpenumero contendebant. Propinqitatis ratione, in primis conſiſtere poſtulabant, Zebedæi filii duo, Joannes & Jacobus; anſamqe fortè arripuerant ex Domini ipſius dicto, qo prædixerat futurum, ut *cum in regni ſui ſolio ipſe conſideret; illi qoqe duodecim in ſoliis 12 ipſi ſimul aſſiderent, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth c.19. v.28. hi ergò proximè Dominum in ſoliis illis, ad dextram iſte, ad ſiniſtram ille, ut conſiderent, prece ſupplice per matrem ſuam ab eo depoſcunt. Chriſtus verò, qo illos omnes, non fratres duos ſolos, qos ſeorſim priùs increpuerat, erroris coarguat, docet aliter habere ſe regnum ſuum, qàm ſeculi iſtius regna ſe habeant. in iſtis enim dignitates externas, principatus, ſatrapias, dominationes haberi, qæ in eos etiam qos honore afficere volunt, conferre pro libitu ſuo reges conſveverint: cæterùm in regno ſuo nihil hujuſmodi reperiri (ὃ δὲ παρ' ὑμῖν, οὕτω πὼ ἔξωθεν. Jo. Chryſoſt. *in Matth.orat.65.*) non qòd in Eccleſiâ Chriſti atqe inter Chriſtiani nominis profeſſores iſta avt non ſint, avt non licitè uſurpentur; ſed quod ad regnum Chriſti ſpirituale, ad qod ſuos invitat, non pertineant, nec proveniant inde. proinde non eſſe, cur ipſum ſectando, iſtiuſmodi ſibi qiſqam ſpondeat præfecturas: neqe enim tale qippiam cuiqam ſe polliceri, cùm nec uſurpet avt exerceat ipſe:

ipſe: ſuis ſe non dignitatum ſecularium dilargitorem, ſed humilitatis & modeſtiæ ſpiritualis exercendæ avtorem doctorémqe tam praxi, qàm præcepto, profiteri. ad hanc igitur, ambitione omni prorſus amotâ, cujus ipſum pro exemplo habeant, componant ſe ipſi, ſuos monet univerſos. Hæc eſt mea de verborum iſtorum ſenſu genuino ſententia: de qâ tamen, ſicui minùs probabitur, ego cum illo contentionis ſerram nevtiqam reciprocaverim.

Atqe hæc de formulâ illâ Ⲟ ⲛ̄ⲧ *Non ſic*, dicta ſunto. hujus avtem occaſione cùm dictum, an interdictum, illud Evangelicum explicandum ſuſceperimus, de phraſi inſuper unâ & alterâ, qæ occurrit ibidem, pavcis aliqid ſubnectemus. Qæritur ergò apud Marcum, c.10. v.42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, qid ſibi velit. Qidam vertunt, *Qibus imperare placet*. inde certè δόγματα & τὰ δοκοῦντα pro *philoſophorum placitis*, τὰ τοῖς φιλοσόφοις ἀρέσκοντα, uti Plutarchus, ſi Evſebio credimus *præpar. Evangel. l.*15. an alius qis ſub Plutarchi nomine deliteſcens, ut Lipſius & Critici recentiores, farragini ſuæ titulum dedit. Sed hæc *inſolens locutio* Caſavbono videtur. nec eſſe tamen contendit C.V. Ludovicus de Diev: qum τὸ δοκεῖν *pro ſtatuere inſolens non ſit. Matth. c.3. v.9. Joan. c.5. v.39. Cor. ep.1. c.4. v.9. Poſſunt itaqe dici*, inqit ille, οἱ δοκοῦντες, *qi ſtatuunt imperare gentibus, qi capeſſunt gentium imperium.* οἱς δόξαι. Vetus interpres, eúmqe ſecutus Eraſmus, *Qi videntur.* at hoc Cl. Bezæ nevtiqam placet; qia *hoc de eis dici ſolet, qæ re ipſâ non ſunt, qod eſſe videntur: qod huic loco non conveniat:* At Piſcatori tamen *convenire cumprimis* videtur. *Eſſe enim perinde, ac ſi dicatur, Qi non tam imperant, qàm hominibus videntur imperare: qum ſolus Deus imperium in res omnes creatas perfectè habeat.* Certè Dominus Chriſtus, μόνος δυνάστης, *dynaſta ſolus*, Pavlo dicitur. 1 Tim. c.6. v.15. Et (juxta Martialis illud *l.*2. *Epigr.*18.

Qi rex eſt, regem, Maxime, non habeat)

Solus verus rex eſt, qi regem non habet. *Solus verus Dominus es, qi dominum non habes.* Deo Avguſtinus *confeſſ. l.*10. *c.*36. Verùm mavult Beza, *qi cenſentur.* i. *qos gentes habent & agnoſcunt, ex quorum imperio pareant.* οἷς δόξαι, *ab ipſis videlicet populis.* nec abſcedit Caſavbonus; *qi habentur pro*

principibus gentium, qi agnoſcuntur principes gentium. at tunc, inqit D. de Diev, *eſſet potius*, οἱ δοκοῦντες. imò, bonâ cum veniâ dicere liceat, hoc nevtiqam eſſet Græcum. etſi enim, οἷς δόξαι, & τὰ δεδοξάσμενα, dicantur; οἱ δοκοῦντες tamen, opinor, non dicitur. Qid ipſe tandem de Diev? nam Cadmæam aciem hactenùs experti ſumus. Οἱ δοκοῦντες, inqit, οἱ ἐν δόξῃ ὄντες, *qi in gloriâ & honore ſunt, & ſuper alios eminent. ut Galat. c.2. v.2.* τοῖς δοκοῦσι. *& v.6.* οἱ δοκοῦντες, *qi in pretio & honore ſunt. Et apud Evripidem* οἱ δοκοῦντες τοῖς ἀδοξοῦσιν *opponuntur, ut Henr. Stephanus obſervavit.* locus extat in *Hecubâ*:

Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν
Πείσῃ. λόγῳ δὲ ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἂν τ' δοκούντων, ἀνδὸς ὑ πανδὸν σθένῃ.

qod Ennius reddidit, ſed à Gellio *l.*11. *c.*4. eo nomine notatus.

Hæc tu etſi perverſè dices, facilè Achivos flexeris.
Nam cùm opulenti loquuntur pariter atqe ignobiles;
Eadem dicta, eadémqe oratio æqa, non æqè valet.

meliùs forſan Grotius:

Ut prava dicas, qa tua eſt avtoritas,
Movebit animos. nam viri prænobilis,
Et tenuis, idem ſermo diverſum valet.

Itaqe Domino de Diev, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν idem valet, ac ſi diceretur, *qi in honore ſunt ad imperandum Gentibus.* qod necui duriuſcula Syntaxis videatur, adducit geminum ex *Suſannæ hiſtoriâ* v.6. locum, ubi legitur, ſubjuncto pariter verbo infinitivo, οἱ ἐδόκουν κυβερνᾶν, *qi in honore erant ad gubernandum.* cæterùm non minus controverſus eſt Apocryphi ſcriptoris locus iſte, qàm eſt is ad qem ſtatuendum adducitur. nec certè puto, facilè qenqam repertum iri in literis Græcis ſubactum, qi conſtructionem ejuſmodi admittat. Etiamſi enim οἱ δοκοῦντες idem valeat ſæpenumero, qod οἱ ἐν δόξῃ, ſicut οἱ κρατοῦντες, qod οἱ ἐν κράτει, nuſqam tamen poſteriori huic formulæ ſubjunctum verbum infinitum deprehendas, ut dicatur ſcil. οἱ ἐν δόξῃ, ſive ἐν δόξῃ ὄντες, ἄρχειν. nec verò ut ſubjungatur in alterutro, ſenſus patitur: qid eſt enim, *in honore eſſe, imperare*, vel, *ad imperandum*, etiam? qod tamen εἰς τὸ ἄρχειν

potiùs

potiùs diceretur. Tum ubi οἱ δοκοῦντες ſimpliciter ponitur, pro eo quod eſt, οἱ ἐν δόξῃ ὄντες, *qi in exiſtimatione ſunt aliquâ*, (qo modo apud Tragicum & Apoſtolum qoqe priori loco uſurpatur) ſubeſt ellipſis manifeſta; qam & loco poſteriore ſupplevit Apoſtolus, dicendo, ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶ τι. quod nemo, opinor, *qi in honore erant aliqid eſſe*, ſive, *ut aliqid eſſent*, verterit; ſed potiùs, *qi eſſe aliqid videbantur*, avt, *exiſtimabantur*. Eòdem tamen, cum D. de Diev concedere videtur V.Cl. Hugo Grotius *Annotat. in Marc.c.*10. eiſdem etiam, qibus ille, uſus avtoritatibus. Cæterum idem ipſe, hac in parte adverſus ſibi, *in Matth. c.*3.*v.*8. exponens Baptiſtæ illud, Μὴ δόξητε λέγειν, *Ne lubeat vobis dicere. ut Demoſthenes*, οὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾶν ἔτι, *non lubebat ipſis amplius me videre. Neqe longè diſcedit*, inqit *illud*, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν. *Marc. c.*10. *v.*42. *qi in eo ſibi placent, qòd gentibus imperant. Simile, ad Cor.ep.*1.*c.*11.*v.*16. Hæc ille. ita vir doctiſſimus, pedem hîc ubi figat ambiguus, vacillat; & fluctuabundus, modò in hanc, modò in illam partem propendet. Ego verò præ iſtis malim, qod Thom. Cartvrightus noſter *in Matth.c.*20. *adverſus Rhemenſes* exhibet, οἱ δοκοῦντες, *qi apparent, præ ſe ferunt, pompâ ſcil. ſplendidâ ſatellitioqe inſigni majeſtatem palam facientes, prout in Agrippâ cernere datur*, μετὰ πολλῆς φαντασίας *in publicum prodeunte*. Act.c.25. v.23. ad qam interpretationem ſtabiliendam adducit ille, cum Evripideum illud, qod in partem ſuam trahere D. de Diev ſatagebat; tum ex Plutarchi *Antonio* iſtud, ὑπὲρ ἀναριθμήτων τῶν ἀνθρώπων ἓν τινι τεθαρρηκέναι δοκοῦντα. qanqam nec iſtud ſatis placet.

Mihi in tantâ ſententiarum varietate optio libera ſi detur, illis havd illubenter calculum conceſſerim, qi οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, vertunt, *qi pro imperantibus habentur*. favétqe huic interpretationi Syrus, דמסתכרין רישא *qi reputentur capita gentium*. Sed ut in hoc tamen acqieſcere potiùs, liberè profitear, ſiqis formulam μεσογειακὴν ſcriptoribus xvi cum illius, tum & inſeqentis, ſacris verò cumprimis familiarem cenſuerit. Ita Marco οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, nihil aliud fuerit, qam qod οἱ ἄρχοντες Matthæo. qis enim Marci interpres Matthæo potior? οἱ ἐδόκουν κυβερνᾶν pſevdo-Danieli, idem qod οἱ ἐκυβέρνων. hoc ſanè ſenſu ſumi videtur, ad Hebr.c.4. v.1. μήποτέ δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν

ὑμᾶς ὑστερηκέναι. i. μηδενὸς ὑστερῆται, *ne fruſtretur, privetur*, uti Apoſtolus ad Rom.c.3. v.23. forſan & ad Cor.ep.1. c.10. v.12. ὁ δοκῶν ἑστάναι. i. ὁ ἑστηκὼς, *qi ſtat:* qomodo Rom.c.11. v.20. σὺ γὰρ τῇ πίστει ἕστηκας. atque ita reddidit And. Dunæus noſter in *ad Chryſoſtomum notis*: *Qi ſtat, videat ne cadat.* qi idem ibidem ὁ δεῖ γὰρ ἑστάναι, ſive ἑστηκέναι conſuli dignus. Omninò certè ſic ſumendum, qod Apoſtolus idem ad Cor.ep.1. c.11.v.16. εἴτις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι), *Siqis videtur litigioſus eſſe.* Longè enim aliter hoc eſt dictum Pavlo, qàm eſt illud Jacobo, c.1. v.26. εἴτις δοκεῖ θρησκὸς εἶναι). *Siqis videtur eſſe religioſus.* Siqidem nihil magis iſti, qàm ut religioſi; nihil agebant minùs illi, qàm ut litigioſi viderentur. Proinde meritò qidem Viro Cl. non ſatisfacit Veteris Interpretis (qam tamen retinuere recentiores qiqe) verſio illa, *Siqis videtur*; & Cypriani ad Julianum multo minùs illa, *Siqis putatur.* Nec eſt ideò tamen neceſſe, ut εἴτις δοκεῖ Pavlo idem ſit, qod, εἴτις θέλει. qia τὸ δοκεῖν utiqe ſit qandoqe ἐθελοδοξίας nota: ut cum Matth.c.3. v.9. dicitur, Μὴ δόξητε λέγειν. *Ne velitis dicere*; *Ne placete in eo vobis, qod dicatis.* ut ſenſus Apoſtoli exiſtat, *Sicui placeat contentioſus eſſe*; avt, *Siqis in eo ſibi placet, ut contentioſus ſit.* qod eſſet potiùs, εἴ τινι δοκεῖ. Cum & ſimplicior ſit, qam dedimus, interpretatio: qam & Avtor iſte ipſe confirmat, ubi exponit, εἴτις φιλονεικως διάκειται). & τὸ θέλειν etiam non minùs qàm τὸ δοκεῖν, (qod mox videbimus) πλεονασικῶς uſurpetur. Qin & in Matthæi loco adducto, illud, Μὴ δόξητε λέγειν, nihil aliud ſonare videtur, qàm ſi ſimpliciter dictum fuiſſet, Μὴ λέγητε, *Ne dicatis.* qod formulâ pleonaſticâ parili Lucas expreſſit c.3. v.8. Μὴ ἄρξησθε λέγειν. *Ne incipiatis dicere.* pro eo qod eſt, *Ne dicatis.* qæ formula, ab Hebræis mutuata, (qod alibi latiùs oſtendimus) eſt ſcriptori huic cum primis familiaris. uti patet ex Evang. c.4. v.21. & c.5.v.21. & c.7. v.15,24,38,49. & c.11.v 29,51, & c.12.v.1. 45. & c.13.v.25,26, &c. Qin & qod Lucas idem habet, c.8. v.18. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ; καὶ ὃς ἐὰν μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. id Matthæus planè ſic extulit, c.25.v.29. & c.13.v.12. Τῷ γὰρ ἔχοντι παντὶ δοθήσεται· καὶ περισσευθήσεται· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. nec non eiſdem prorſus verbis Lucas ipſe, c.19.v.26. *Habenti cuiqe dabitur*; *non habenti verò auferetur*

feretur etiam id quod habet. Facit hue, Jo. Chryſoſtom. illud *in ad Cor. ep. 2. orat. 8.* Καὶ τὰς ἡμετέρας συγγόνους, τὰς δοκούσας φιλοσοφεῖν. *qi videbantur philoſophari*, i. qi Philoſophabantur. Facit horſum & (nec priſcis enim, elegantioribus etiam, ignotæ avt inſvetæ prorſus formulæ iſtiuſmodi) quod apud Sophoclem in *Ajace* Menelao Tevcer;

Οὐκ ἄν ποτ', ἄνδρες, ἄνδρα θαυμάσαιμ' ἔτι,
Ὅς μηδὲν ὢν γοναῖσιν, εἶθ' ἁμαρτάνει·
Ὅθ' οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι,
Τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔτι.
Non obſtupeſcam, ſi qid olim in poſterum
Ignobilem ortu videro delinqere;
Quando hi, videntur ſorte qi natalium
Præſtare, fando talia admittunt mala. Grot.

οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι, *qi videntur natu nobiles eſſe*, pro eo qod eſt, οἱ εὐγενεῖς πεφυκότες, h.e. *qi natu nobiles ſunt*, atqe ita οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, *qi videntur imperare*, pro eo qod eſt, οἱ ἄρχοντες, *qi imperant.*

Qidni avtem & illud Luc. c. 22. v. 24. Τίς δοκεῖ αὐτῶν εἶναι μείζων, Pari ratione interpretemur? præſertim cum Lucam (uti mox videbitur) hac in parte præeuntem ipſum habeamus. Nam qod D. de Diev opinatur τὸ δοκεῖ ibi verti poſſe, *putaret*; *dum*, inqit, *dicunt, Ego me puto, & ego me*: etiamſi Theophylactus ejuſmodi qiddam ſubinnuere videatur, verbis illis, ἐπεὶ γὰρ πρὸς ἀλλήλους εἶχε λέγειν, ὅτι ἐγὼ μείζονα προσδόναι, ἢ σοὶ ἐκείνῳ τούτῳ, ὅτι ἐγὼ, ἐν τούτῳ προήχθην εἰς τὸ λέγειν, ἐγὼ εἰμι χρείττων, ἢ ἐγὼ εἰμι μείζων· ſyntaxis tamen duriuſcula videtur, nec Græcis tantùm, ſed Latinis qoqe avribus inſolens, δοκεῖ εἶναι μείζων, *putat eſſe melior.* qanqam paſſivè ſi ſumere libuerit, *qiſnam putetur, reputetur, cenſeatur maximus*, qod impediat nihil video. Eodem enim modo δοκεῖ εἶναι dicitur, qo & qandoqe οἶος εἶναι. Plato Protagorâ: ὁ μόνον αὐτὸς οὐκ καλὸς κἀγαθὸς εἶναι. *non ipſe tantùm bonus probúſqe vidêris.* Homer. *Odyſſ. ρ.* v. 586.

ὣς ἄφρων ὁ ξεῖνος ὅστις, ὅστε ἄν εἴη.
Deſipere havd hoſpes, fuerit qicunqe, videtur.

Et Ariſtotel. *rhetor. l. 2. c. 12.* de adoleſcentibus: τῇ μὲν πρώτῃ ἡμέρᾳ, μεμνῆσθαι μὲ οὐδὲν οἴονται, ἐλπίζειν δὲ πάντα. *Ætate primâ nihil meminiſſe videntur*, (malè vertunt, *arbitrantur ſe*: qod

nec verum eſt) *at nihil non ſperare.* accedit propiùs Homericum illud, εὔχεσθαι εἶναι, *Iliad.α. v.91.*

Ὅς νῦν πολλὸν ἄριστος ἐὼν μετὰ πᾶσιν ἀνάσσει.

Et *Iliad.β.v.173.* Οὐδέ τις ἐν Λυκίῃ σέθεν ἔσσεται εὔχεσθαι ἀμείνων.

& v. 246. —Τῶν δ' αὖτε Λυκόφρονος εὔχεσθαι εἶναι.

Siquidem illud δοκεῖ εἶναι ſimpliciter poſitum, qid aliis qis exiſtimetur; iſtud verò εὔχεται εἶναι, qid ipſe de ſe cenſeat avt præ ſe ferat, deſignat; qod phraſi illâ ſignificari vir eruditus ille, ſed fruſtrà, opinatus eſt. Cæterùm Lucas ipſe alibi c.9.v.46. de negotio eodem planè agens (neqe enim ſemel tantùm lis hæc inter domini aſſectatores agitabatur) ait ſimpliciter, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν, *eqis eorum maximus eſſet.* Sed neqe Theophylacto aſſentiri poſſum, qi de præſtantiâ præſenti, animíqe probitate, non de futurâ, qam ſomniabant nimirum, dignitate ac poteſtate litem habitam exiſtimare videtur. Qin nec Latinis magis qàm Græcis inſolens eſt dictionis iſtius redundantia: qam apud *Hiſtoriæ Avguſtæ ſcriptores* creberrimè occurrere obſervarunt Duumviri incomparabiles. Sic enim Capitolinus in *Vero*; *Viſum eſt nonnullis, qòd ejus fravde putaretur occiſus.* pro, *nonnullis viſum eſt, ejus fravde occiſum fuiſſe.* Lampridius in *Alex. Severo*; *Fures judicare juſſit in civitatibus nllis numqam videri.* h. e. *vetuit judicare.* Trebellius in *Galieno*; *Neqe uſqam qies ſalutem oſtentare viſa eſt.* pro, *oſtentavit.* Spartianus in *Getâ*, *Funus Getæ accuratius fuiſſe dicitur, qàm ejus qi à fratre videretur occiſus.* pro, *occiſus eſſet.* Vopiſcus in *Probo*; *Lugdunenſes ab Aureliano coxtuſi videbantur.* pro, *contuſi erant.* Et iſtic perinde apud *Hiſtoriæ Evangelicæ ſcriptores*, τὸ δοκεῖν εἶναι, *videri eſſe*, nihil aliud eſſe poteſt qàm ſimpliciter *eſſe.*

Geminum τὴν τολμᾶν pleonaſmum cenſet V.Cl. Dan. Hejnſius ſubeſſe verbis illis Evangeliſtæ Joan.c.21.v.12. οὐδεὶς ἐτόλμα ἐξετάζειν. *nemo audebat rogare.* i.e. *nemo rogabat.* Et Apoſtoli illis ad Rom. c.5.v.7. τολμᾷ τις ἀποθανεῖν. *mori audeat*, ſive *ſuſtineat*, i.e *moriatur*, *mori velit.* qo modo Maro Æn.l.8.

Avde hoſpes contemnere apes.——

qod eſt ſimpliciter, *contemne.* Flaccus *l.1. epiſt.2.*

—*Sapere avde.* h.e. *ſapere aliqando incipe, ſapi.* Et *ad Piſon.* *Avdebit*——*Verba movere loco.* i.e. *Verba movebit loco*

loco, & mutabit. Plato *Polit. l.* 1. Ὃς ἂν μένῃ ἐν τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ πολιτικὸν ἀπέχηται τοῦ ἀλλοτρίου. *Qui perseverat esse justus, & alienis abstinuerit.* Nec desunt apud Latinos verbi quod *potentiam* propriè denotat, redundantis exempla. Sic enim Marcellinus *hist. l.* 22. *c.* 13. *Digresso offeruntur rectoris Aegyptii scripta, Apim bovem operosâ quæsitum industriâ, tamen post tempus inveniri potuisse firmantis, inveniri potuisse*; pro, *inventum esse.* Idem *l.* 25. *c.* 1. *Pallescentem morte propinquâ extrahere pugnâ viribus valuit magnis. Extrahere valuit*; pro, *extraxit.* Ibid. *c.* 11. *Licet majore venturi pavore constringeretur, spe tamen sustentari potuerunt exiguâ.* Pro eo quod est, *sustentabantur*; sive, *sustentati sunt.*

Nec absimilis huic τοῦ συμβαίνῃ redundantia, apud Procopium *bell. Gothic. l.* 4. de Sardiniâ verbis hisce loquentem; Ἐνταῦθα φύεται ξυμβαίνῃ πόαν, ἧς δὴ ἀπογευομένοις ἀνθρώποις ἀντίκα σπασμὸς ὀδόντων, ἀφ' ἧς δὴ πολὺ τῶν πολλῶν ὕστερον, γέλωτα γελᾶν ἀπὸ τοῦ σπασμοῦ δοκοῦντές πνα, ὃν ὁμωνύμως τῇ χώρᾳ σαρδάνιον καλοῦσι. *Ibi contingit nasci herbam, quam gustantibus hominibus obvenit convulsio, à quâ haud ita multo post dum intereunt, risum quendam per eam oris obtortionem ridere videntur; quem regioni cognominem Sardonium appellant.* ξυμβαίνῃ φύεται, *nasci contingit*; pro eo quod est simpliciter, φύεται, *nascitur.* qo modo *ad Maron. eclog.* 7. Servius, *In Sardiniâ nascitur herba quædam*, &c.

Qin & pleonasmum istis parilem havd sine fundo probabili suspicetur qis, in Domini Servatoris illis Matth. c. 20. v. 26. ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι. *qi voluerit inter vos magnus esse:* qod & verbis totidem ferè reperitur Marc. c. 10. v. 43. pro qo Lucas tamen c. 22. v. 26. ὁ μείζων ἐν ὑμῖν. *qi inter vos maximus est:* & Matthæus ipse c. 23. v. 11. ὁ μείζων ὑμῶν. *qi maximus est vestrûm.* Certè τὸ θέλειν καὶ τὸ βούλεσθαι sæpenumerò παρέλκειν, notius est, quàm ut multis ostendi sit opus; Plato in *Sympos.* ἐὰν ἐθέλῃ παύεσθαι ἡ λύγξ. *si cessaverit singultus.* Libanius *orat.* 3. qz & βασιλικὸς. Καὶ χρεῖττονας φανεῖσθαι τοῦ παρεῖναι, ἢ τοῖς ὀφθαλμοῖς δεῖξαι τοῦ αἰδοῦς βούλεται. *qz pudorem oculis definit.* Lucas, Act. c. 2. v. 12. τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; *ecqid hoc esse velit?* sicut & Latini, *qid hoc sibi vult.* pro eo quod est, *Istud qid est?* Seneca *de irâ l.* 2. *c.* 9. & 10. promiscuè usur-

pat formulas iſtas; *Qid ſi quis iraſcatur*: &, *qid ſi iraſci velit*? *qid ſi miretur*? &, *qid ſi mirari velit*? Cicero ipſe *pro Cœlio, Nolite velle hunc jam naturâ ipſâ occidentem maturiùs extinguì vulnere veſtro, quàm fato ſuo*. Marcus imp. *l.*10.§98. Τὸ δὲ ἐβάλετό σοι σημαίνειν. *Hoc volebat tibi ſignificare*. i.e. hoc tibi ſignificat. ad qem locum iſtiuſmodi plura congeſſimus. Nec ſpreverim tamen prorſus Joannis τὸ χρυσορρήμων & obſervationem, qi Chriſtum Dominum vult verbis illis pro more ſuo ἀντιπεπασμόν τινα ποιεῖν (ut cum [a] Diodoro Siculo loqar) & medicos imitari, qibus ſolenne eſt, (ut [b] Fernelius docet) *erumpentem ſanguinem venâ ſectâ ſiſtere, & revulſionis vi revocare*. Ἴδιες, inqit, *orat. in Matth* 65. πῶς παντοχοῦ ἀπὸ τῶν ἐναντίων αὐτὰς ἀγαγεῖν, (ἀγειρεῖν *forſ.*) διδιὰς αὐτοῖς ὁδὸν ἐπιδυμοῦσιν. *Viâ adverſâ eos, ad id quod appetunt, circunducit*. εἰ θέλεις ἡγεμὼν μέγας μὴ ζήτει ἡγεμόνας μέγας, ἀλλὰ τότε ἔσῃ μέγας. *magnus eſſe vis*? *magnus fieri ne quæras, & magnus futurus es*. Nec poſſum omittere, qod ex occaſione hac de Chriſto ſeſe ſummittente adjungit; Κατάβασις αὕτη πάντων ἀνάβασις γέγονε. *Chriſti deſcenſio noſtri omnium aſcenſionem procuravit, ſummámqe ipſi gloriam apud omnes comparavit*.

[a] *L.*4.*c.*14.

[b] *Method. med. l.*2.*c.*6.

Sed pergamus pavlo ulteriùs. Nulla eſt in eis verbis difficultas inſignis, qibus Dominus fratres duos allocutus, ait, Matth.c.20. v.23. Τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε. *Poculum qidem meum bibetis, & baptiſmo, qo ego ſum baptiſandus, baptiſabimini*. de *calice* ſiqidem *paſſionis, baptiſmo ſanguinis*, qod & τὸ διὰ πυρὸς βάπτισμα vocat Origenes apud Evſebium *hiſt. Eccleſ. l.*6.*c.* 4. dictum omnes intelligunt. τετέχνηται, μαρτυρίᾳ κατηξιωθήσεσθε, καὶ ταῦτα πείσεσθε ἄχρι ἐγὼ, βιαίῳ θανάτῳ τὸν βίον καταλύσητε, &c. Jo.Chryſoſt. in locum. in Joanne tantum qæritur, qi præſtitum id fuerit, cum ſolus Apoſtolorum morte naturali defunctus, ac ſine cæde ac ſangvine ad cœleſtia tranſlatus perhibeatur. Sed reſpondet Theophylactus in locum, *ad mortem fuiſſe damnatum*; Et, *animum martyrio non defuiſſe*, Hieronymus. *Aliud eſt* avtem *martyrio animum dee ſſe, aliud animo defuiſſe martyrum*. Cyprianus *orat. de mortalit.* Certè, qemadmodum Tertullianus *de fugâ in perſecut.c.*5. *Qi negaturus eſſet, jam negavit*. ita, *Qi ſe tormentis & morti ſub Dei oculis obtulit, paſſus*

ſua eſt, qicqid pati voluit. non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt. qod in ipſo erat, toleravit, qicqid tolerare paratus & promptus fuerat. Cyprianus *l.3. ep 6.* de ſe Pavlus ad Cor.ep.1. c.15. v.31. καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, *qotidie morior.* τῇ προθέσει, nimirum: i.e. *propoſito, non actu*; ut Jo. *Chryſoſtomus in Pſal.95.* & *adv. Judeos l.5.* ἢ τῇ πρὸς ἅπαν προθυμίᾳ, *qod ad mortem excipiendam aſſiduus in procinctu ſtaret:* ut Iſidorus Peluſ. *l.3. ep.399.* Sed & ad eoſdem Apoſtolus idem epiſt.2. c.11.v.23. ἐν θανάτοις πολλάκις. *in mortibus ſæpe.* i.mortis periculis; Hugo Card. & Nic. Liranus. et c.4.v.11. ἡμεῖς γὰρ οἱ ζῶντες ἀεὶ εἰς θάνατον παραδιδόμεθα. *nos etiam dum vivimus, morti jugiter tradimur.* i. εἰς κινδύνους θανάτου ἔχοντας. *in pericula mortifera.* Chryſoſtomus; & ex Chryſoſtomo, Theophylactus & Oecumenius. Ὁ γὰρ παραδιδόμενος εἰς π, εἰ καὶ μὴ τῇ πίστει ἀνῃρέθη, ὑφίστατο τῇ προθυμίᾳ καὶ τῇ προθυμίᾳ. Iſidorus, ubi ſuprà. Hinc Gregorius Romanus *in Evang. conc. 35. Duo eſſe Martyrii genera: unum in mente; aliud in mente ſimul & actione: unum in occulto opere, aliud in publico.* illo *Joannem martyrem* fuiſſe, *in mente paſſum, non in corpore.* His duobus Bernardus & tertium adjungit, *concione* habitâ *in feſto Innocentium. Habemus*, inqit, *in B. Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in B. Joanne: ſolum in B. innocentibus opus.* Ita tria vult eſſe Martyrum genera; ut alii Martyres ſint *voluntate & opere*, in qibus Stephanus; alii *voluntate, non opere*, in qibus Joannes; alii *opere, non voluntate*, in qibus parvuli illi ab Herode cæſi, Matth.c.2. v.16. Qanqam enim ἀκύρως nimis & καταχρηστικῶς ſic dicantur: utpote in qibus *interfectio fuit, confeſſio non fuit*; qiqe *in præmium regni ſine conſcientiâ perveuere martyrii*; ut Evcherius, an qis alius Eviebii Emeſſeni nomine emiſſus, *ad populum concion.11. Martyrum* tamen & illi nomine ab antiqis freqenter inſigniuntur. Tertullianus *adv. Valentin. c.2. Infantes teſtimonium Chriſti ſangvine litaverunt.* Cyprianus *l.4. ep.6. Chriſti nativitas à martyriis infantium ſtatim cepit, ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam.* Hinc Prudentius περὶ στεφάνων.

Salvete flores martyrum;
Qos lucis ipſo in limine

Chriſti inſecutor ſuſtulit,
Cev turbo naſcentes roſas.

Et Petrus Ravennas, qi & *Chryſologus* dictus, *ſermon.* 153. *Verè gratiæ Martyres; confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcii, moriuntur inconſcii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes, infantia paſſionis ignara, martyrii palmas rapuit & coronas.*

Cæterùm in proximâ clauſulâ plus difficultatis ſeſe objicit, de qâ nonnulla ubi adjecerim, caput hoc clavdam. οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασαι ἀπὸ τοῦ πατρός μου. Vetus interpres: *Sedere autem ad dextram meam & ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed qibus paratum eſt à patre meo. Vobis*, interſerit, qod cum Deſiderio Eraſmo & Luca Brugenſi Beza meritò repudiat, nec Syrus agnoſcit. Eraſmus: *Non eſt meum dare, ſed eis (continget) qibus præparatum eſt à patre meo.* Beza pariter; niſi qod pro *continget*, *dabitur*, mavult. Hilarius *in Matth. can.* 20. ſolus ferè ex antiqis pronominis illius rationem habens; *non Apoſtolis*, ſed *aliis quibuſdam honoris id reſervatum* adfirmat, ut *à dextrâ & ſiniſtrâ in judicio noviſſimo aſſideant Chriſto*; *Moſi* nempe & *Eliæ*: nec illis tamen à ſeſſione penitus excluſis. Verùm hoc Hieronymo non arridet; nec Hilarium, qi hac in parte ſeqatur, qenqam hactenus deprehendi. Recentiores avtem Hugo Barch, Lyranus, & Remigius; *Non eſt meum dare vobis, qales nunc eſtis, nondum humiliatis, adhuc carnalibus, & terrena petentibus.* Verùm miſſis his, illud maximè qæritur, qomodo *ſuum* eſſe *id dare* Chriſtus neget. Eraſmus, *Non eſt*, inqit, *meum dare*; *ut ſit abſolutum, & intelligas totum hoc rejici in patrem.* Illyricus: *Non eſt meum in hoc ſeculo dare*, ut de dandi tempore tantùm negatum ſit. Calvinus: *Monet minimè fuiſſe ſibi injunctum à patre, ut cuiqe propriam & diſtinctam ſedem in regno cælorum aſſignet.* ut non gloriæ cœleſtis dilargitio, ſed graduum diſtinctio rejecta intelligatur. Avguſtinus, qem & Thomas ſeqitur, *ſecundum formam ſervi* dictum cenſet: ut intelligatur, *non eſſe humana poteſtatis hoc dare, & dare tamen, qâ Deus eſt, & æqalis patri: de trinit. l.* 1. *c.* 12. Hieronymus ſic intelligendum contendit: *Regnum cælorum non eſſe dantis, ſed accipientis: itaqe qicunqe talem ſe præbuerit, ut regno cælorum dignus*

gnus fiat, accepturum hunc, quod non persona, sed vita paratum est. Nec abscedit multum Jo. Chrysostomus: Οὐκ ἔστιν ἐμὸν, ἀλλ' ἐκείνων, οἷς ἡτοίμασαι. *meum non est, sed eorum, pro qibus præparatum est.* quod illustrat exemplo agonothetæ sive βραβέως cujuspiam, qi propinqitatis ratione præmium sibi adjudicari poscenti alicui respondeat, οὐκ ἔστιν ἐμὸν σοὶ δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασαι ἀπὸ πόνων καὶ ἱδρώτων *non est meum hoc dare, sed qibus præparatur laboribus sudoribúsqe comparandum.* concedit eôdem Theophylactus: Qin & his omnibus prior Basilius *adv. Eunom. l.4 c. penult.* Τῶν λαμβανόντων ἐστὶν ἀξίως ἑαυτὸς ποιῆσαι, —— ὃ δύναμένου δοῦναι, κἂν ἄδικος καὶ αἰτίας ᾖ. *Eorum qui accipiunt est, ut sessione istâ dignos se faciant, non ejus qi dare possit, etiamsi petitio injusta sit.* h.e. etiamsi qis id injustè petat. Argutè sanè hi; sed ut argutè nimis, vereor; qòd antithesin statuunt inter *dantem* Christum, & *accipientes* ac sibimet comparantes: qum inter *donationem* potiùs *suam* & *patris* sui *destinationem* ea consistat. Appositè magis forsan Isidorus Pelus. *l.1. ep.137.* οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι ἁπλῶς τοῖς αἰτοῦσιν, ἀλλὰ θεραπεῦσαι μᾶλλον τοῖς κεκμῶσι. *Non est meum simpliciter petentibus dare, sed tanqam mercedem eis qi laboraverint tribuere.* qod Euthymius, *Non est meum gratis dare, &c.* forsan, χαρίζεσθαι dixerat. qomodo Festus Act. c.25. v.16. οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίων χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν. *gratis, & qasi gratificando alicui dare.* qale qiddam & Basilius innuere videtur. Optimè Jacob. Faber Stapulens. *Ordinationis est paterna, non arbitrarium hunc vel illi dare.* Ducunt itaqe qasi manu nos novissimi hi ad Christi mentem genuinam, non negat simpliciter suum esse hæc largiri; sed propinqitatis ratione, aut petitionis intuitu cuiqam talia concedere, aut cuiqam simpliciter etiam *præterqam eis, qibus à patre suo præparatum est.* Nihil itaqe opus videtur ellipsi aliqâ admissâ, qæ verbo, *continget*, qod Erasmus vult, aut *dabitur*, qod Beza mavult, supplenda sit. tantum, ut ἀλλὰ hîc idem qod ἀλλ' ἤ, vel πλὴν, vel εἰ μὴ, i. *nisi, præterqam*, significet. certè ista invicem permutari sæpenumerò videntur. ἐὰν μὴ pro ἀλλὰ, Galat. c.2. v.16. οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. *non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem.* i. *sed per fidem.* sicut Rom.c.4. v.13. οὐ διὰ νόμου, ἀλλὰ διὰ πίστεως. *non*

per

per legem, ſed per fidem. & ibid. c.9. v.32. οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου. *non ex fide, ſed tanqam ex operibus legis.* Sic εἰ μὴ pro ἀλλὰ Matth.c.12. v.4. ὃς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις. *qos non erat licitum ei comedere, neqe eis qi cum ipſo erant, niſi* (i. ſed) *ſacerdotibus* ſolis. contrà, ἀλλὰ pro εἰ μὴ, 2 Cor.c.2.v.5. οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν, ἀλλ' ἀπὸ μέρους. *non me contriſtavit, ſed* (i. *niſi*) *ex parte.* Marci c.9. v.8. περιβλεψάμενοι οὐκέτι οὐδένα εἶδον, ἀλλὰ τὸν Ιησοῦν μόνον μεθ' ἑαυτῶν. *neminem viderunt, ſed Jeſum.* i. εἰ μὴ, *niſi Ieſum,* ut Matthæus habet c.17. v.8. qod & Beza obſervavit; qi & idem ad Marci c.10. v.40. אֶלָּא ſive ἀλλὰ *apud Syrum interpretem* pro ἀλλ' ἢ paſſim monet uſurpari. Cur autem ellipſin illam & iſtic & apud Marcum maluerit admittere, qàm particulæ huic eam ſignificationem concedere, cavſam ego certè nullam video. Hæc in adverſaria mea ubi miſeram, animadverti poſtea Corn. Janſenium *harmon. Evangel.* c.103. in eandem mecum ſententiam deſcendiſſe. *Perſpicuum erit,* inqit, *& apertus ſenſus, nihil interjiciendo, ſi* ἀλλὰ pro εἰ μὴ *ſumatur; & hoc vult. Non eſt meum dare, qomodo vos putatis eſſe in manu meâ, ut ſcil. pro libitu dare poſſim ratione conſanguinitatis avt familiaritatis.* Demum cum in *commentarios* C.V.D. Ludovici de Diev, cujus & ſuperiùs mentio facta, incidiſſem, hunc etiam ζύμφηφον deprehendi. Sic enim is *ad Marci c.4. v.22.* qo loco ἀλλὰ & ἐὰν μὴ tanqam idem valentia uſurpantur: Ἀλλὰ, inqit, *pro* εἰ μὴ *vel* ἀλλ' ἢ, *niſi. non enim negat ſuum eſſe dare: ſed negat licere ſibi aliis dare, qàm qibus id à patre paratum eſt. atqe ita jubet, antequam eam gloriam poſtulent, ita ſe gerant, ut conſtet ex eorum numero ipſos eſſe, qibus id à Patre eſt deſtinatum.* Et ad Marci c.10. v.40. docet ex Davide de Pomis אֶלָּא *apud Rabbinos* valere inter cætera אֶלָּא אִם *niſi tantùm,* &c. Horum itaqe duorum calculis iſta conſignata ſunto.

CAP.

Cap. IV.

Hymni 1. verſiculus penultimus expenditur, & explicatur. Verſiones variæ; & pro verſionibus expoſitiones. negativa ex membro priore ſuppleta. copulativa in notione disjunctiva. Sic Gen.2.6. קוּם reſurgere. Reſurgentium claſſes. *aliis plures. qatuor qibuſdam contra ſcripturas, Improbos non omnino reſurrecturos, Camius. Verba Chriſti Ioan.3.18. expenduntur. Præteritum pro futuro. Rom.8.30. Omnes homines claſſibus duabus contineri. In die noviſſimâ* congregatio, degregatio, ſegregatio, aggregatio. Judicium *duplex*; diſcriminationis, damnationis, *Ioan.4.24.* Reſurrectio duplex, *communis, Act.24.15. peculiaris, Luc.14.14.* judicii, *& vitæ, Ioan.5.29.* ἡ ἐξανάστασις, *Phil.3.11.* ἐκ νεκρῶν, *Luc. 20.35.* οἱ ἐκ ἀναστάσεως, *Luc. 20. 36.* תְּחִיָּה תְּקוּמָה קוּם exurgere, conſiſtere. non conſiſtere, *plus quàm* caviſſâ cadere, *animo dejici.*

AB Hymno primo, cujus αἰνιγμὰς qaſdam vel explicare, vel illuſtrare conati ſumus, manum nondum abducere poſſumus.

Commatio penultimo Hebraica lectio ſic habet עַל כֵּל לֹא יָקֻמוּ רְשָׁעִים בַּמִּשְׁפָּט וְחַטָּאִים בַּעֲדַת צַדִּיקִים qod οἱ ἑβδομήκοντα ſic reddidere: Διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσονται ἀσεβεῖς ἐν κρίσει, οὐδὲ ἁμαρτωλοὶ ἐν βουλῇ δικαίων. Vulgatus Interpres illorum veſtigia premens: *Ideo non reſurgunt impii in judicio: neque peccatores in conſilio juſtorum.* Sed & Hieronymus: *Propterea non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione juſtorum.* In qo noviſſimo conſentientes habet Aqilam, Symachum, & Theodotionem, qi verterunt, ἐν συναγωγῇ, *in congregatione, cœtu, conventu.* Leviculum illud, qod negativam ἐν τῷ κοινῷ in membro altero ſubſtituunt. Sicut & Hymno 9. v.19. *neqe enim oblivioni tradetur egenus; expectatio pauperum peribit in æternum.* pro, *neqe exp. pavp.* qnqam Junius, qod eôdem recidit, copulativæ loco disjunctivam ſubſtituit, avt *peccatores in cœtu juſtorum.* ſicut & Geneſ.c.2.v.6. *avt vapor aſcendens à terrâ, qi terram totam irrigaret.* qæ genuina

Moſis mens videtur, cum Dei nutu ſolo verbóve mero citrà media ulla externa adhibita ſtirpes herbáſque è terrâ primitus enatas indicaturum ſe profiteretur: de qo loco alibi ampliùs videbitur.

Cæterùm, qod יָקוּמוּ ἀναστήσονται alteri, *reſurgunt* alteri, verterint, novas ſtrophas comminiſcendi antiqioribus ejuſdem, anſam dederunt. Harum fundamentum qis primus jecerit, incertum eſt. Fundandis qi congeſſerit aliqid primus mihi compertus Clemens Alex. *Stromat. l.* 2. οὐκ ἀναστήσονται, inqit, ἀσεβεῖς ἐν κρίσει· οἱ ἤδη κατακεκριμένοι. ἐπεὶ ὁ μὴ πιστεύων, ἤδη κέκριται. οὐδὲ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἐν βουλῇ δικαίων· οἱ ἤδη κατεγνωσμένοι, εἰς τὸ μὴ ἐνωθῶσι τοῖς ἀπ' αἰῶνος βεβιωκόσιν. *Non reſurgent impii in judicio: utpote qi judicati jam ſint. qi enim non crediderit, jam judicatus eſt.* (Joan. c. 3. v. 18.) *nec peccatores in conſilio juſtorum. utpote qi jam damnati ſint; ut ne cum eis qi inculpatè vixerint, uniantur.* Cyprianus itidem *ad Qirinum l.* 3. *tit.* 31. hæc Pſaltæ verba componit cum illis Chriſti, *Qi non credit, jam judicatus eſt.* Qod latiùs explicatiúſque Lactantius *Inſtitut. l.* 7. *c.* 20. de ſeculi fine, judicióqe noviſſimo diſſerens, *Nec tamen univerſi tunc à Deo judicabuntur, ſed ii tantùm qi ſunt in Dei religione verſati. nam qi Deum non agnoverunt, qoniam ſententia de his in abſolutionem fieri non poteſt, jam judicati damnatique ſunt: ſanctis libris conteſtantibus, non reſurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergò, qi Deum ſcierunt; & facinora eorum, id eſt, mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut ſi plura & gravia bona fuerint, juſtificentur ad vitam æternam; ſi autem mala ſuperaverint, condemnentur ad pœnam.* Hinc fortean de *Michaelis* trutinâ fabulam commenti ſunt Papicolæ. Involutiùs Hieronymus *adverſ. Pelag. dialog.* 2. *Non reſurgent impii in judicio, jam enim in perditionem ſunt præjudicati.* qin & idem ibidem inter *impium* atqe *iniqum*, ſive *peccatorem* ita diſtingvit, ut *impius omnis ſit iniqus & peccator*; at *non* è converſo, *iniqus omnis aut peccator impius* exiſtat: *impiúſque* is dicatur, *qi ſine lege fuerit, & in æternum ſit periturus; in lege peccator, qi cùm in Deum crediderit, per legem judicandus, ſed non in æternum periturus ſit*; juxta Apoſtolum ad Rom c. 2. v. 12. ſed & aliud eſſe, *perdere gloriam reſurrectionis*, aliud *perire perpetuò*. Qæ qidem argu-

tiæ, an ænigmata, qid velint, ego non aſſeqor. Clariùs Theodoretus *in Pſalm.* Οὐκ εἶπεν, οὐκ ἀναστήσονται ἀσεβεῖς, ἀλλ' εἰς κρίσιν οὐκ ἀναστήσονται· ἀντὶ τοῦ, οὐκ εἰς κρίσιν, ἀλλ' εἰς κατάκρισιν. ὅτι γὰρ ἀλήσχων ἔσονται, σαφῶς ἀσέβειαν ἔχοντες, ἀλλὰ τὴν πανοῦργίαν μόνην προσδέχονται. καθάπερ τοὺς ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλόντας, οὐκ ὀφὴ τὸ διελέγξαι εἰσάγουσιν οἱ δικάζοντες, ἀλλ' ὅτι τοῖς νόμοις ἀκολούθως ψῆφον ἐξενεγκεῖν κατ' αὐτῶν. οἱ μέν τοι οἱ τοιαυτέων ἀσεμάτων ἀπολαγμένοι, βίον δὲ βεβιωκότες παρέχονται, πόῤῥω τε τοῦ δικαίου συλλόγου ἔσονται. *Non dixit, Non reſurgent impii; ſed, non reſurgent in judicium; pro eo quod eſt, non in judicium, ſed in condemnationem. neque enim redargutionibus opus habent, cùm impietatem manifeſtam præferant, ſupplicium tantummodò præſtolantur. quemadmodum in flagranti crimine deprehenſos, non quo redarguantur judices ad tribunal ſiſtunt, ſed ut ſecundum leges ſententiam adverſus illos ferant. ei verò, qi etiamſi dogmatum impiorum expertes extiterint, vitam tamen à legis normâ alienam egerint, à juſtorum cœtu longè ſemoti agent.* Hæc illi, qæ ulteriùs adhuc producens Auguſtinus; ubi dixerat; *idem forſan* in Pſaltæ verbis pleniùs planiúſqe, *repetitum*, ut *iidem* ſint *impii & peccatores, idem in judicio, & in conſilio juſtorum*; ſubjungit: *Aut ſi aliud ſunt impii, aliud peccatores, ut quamquam omnis impius ſit peccator, non tamen omnis peccator ſit impius; Impii non reſurgent in judicio, qia jam pœnis certiſſimis deſtinati ſunt. peccatores autem non reſurgent in conſilio juſtorum, id eſt; ut judicent, ſed fortè ut judicentur; ut de his dictum ſit, Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* ad Cor.ep.1. c.3.v.15. Cæterùm fundamento huic ampliùs ſuperſtruens Gregorius Romanus, *moralis in librum Iob expoſitionis l.26. c.24. Duæ ſunt partes*, inqit, *electorum ſcil. atqe reproborum. ſed bini ordines eiſdem ſingulis partibus continentur. alii namqe judicantur & pereunt; alii non judicantur & pereunt: alii judicantur & regnant; alii non judicantur & regnant.* qod Auguſtini verbis exprimere ſic licuerit; *Alii judicantur, non judicant; alii nec judicant, nec judicantur: alii judicantur & judicant; alii judicant, nec judicantur.* In primâ claſſe collocat *infideles* omnes ſive *ethnicos*, à nomine Chriſtiano prorſus alienos, de qibus Hymnographus hîc dicat, *Non reſurgent impii in judicio.* Et Dominus in Evange-

lio, *Qi non credit, jam judicatus eſt.* Joan c.3. v.18. Et Apoſtolus, *Qi ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Rom. c.2. v.12. *hi enim qaſi jam prajudicati, ad tormentum reſurgent, non ad judicium.* in ſecundâ claſſe *Chriſtianos improbos, qi fidem profeſſi, opere non firmaverint.* de qibus Apoſtolus dixerit, *Qi in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Rom.c.2. v.12. Et qibus Dominus in die noviſſimo dicturus ſit, *Eſurivi & non dediſtis mihi* &c. Matth. c.25. v. 42. illuſtrat hoc *principis terreni* exemplo, qi *aliter adverſus civem delinqentem, aliter adverſus hoſtem bellum inferentem procedit. illum judicio ſiſtendum procurat, hunc vi & armis citra judiciarium proceſſum omnem ſubigere conatur.* in tertiâ claſſe eos ſtatuit, qi *vitæ maculas lachrymis terſerint, mala præcedentia benefactis compenſaverint.* his enim Chriſtum dicturum, *venite benedicti,* &c. *qia eſurivi, & dediſtis mihi,* &c. Matth. c.25. v.34,35. in noviſſimâ, eos, *qi præcepta legis perfectione virtutum tranſcenderint.* at, qi illi? qæſo. qibus ſcil. voce Dominicâ dicitur; *Vos qi reliqiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth. c.19. v.28. verùm, an non iidem illi ſunt, qibus Dominus idem, Lucæ c.17. v.10. *vos, cum omnia vobis demandata feceritis, ſervos vos inutiles dicite, utpote qi quod debueratis feceritis?* imò an non iidem ſunt, de qibus Apoſtolus, *In multis impingimus omnes?* Jacobi c.3. v.1. ad qem locum optimè Beda; *Non dixit,* Offenditis: *ſed,* offendimus, *inqit: Et,* in multis, *præmiſit;* omnes, *ſubjunxit.* qomodo avtem legis præcepta tranſcendunt, non jam dico, qi nihil amplius, qàm qod ex debito exigitur, præſtant, ſed qi in multis etiam à legis ratione exactiſſimâ deficiunt? imò, *qorum juſtitia omnis injuſtitia eſſe convincitur,* (Gregorium ipſum ſibi adverſantem avdis, ejuſdem operis *l.9. c. 14.*) *ſi diſtrictè judicetur.* Diſcimus ſanè ex literis ſacris, ſtatim à mortuorum omnium reſuſcitatione, qam *tam injuſtorum qàm & juſtorum* futuram eſſe novimus atteſtante Apoſtolo Act.c.24. v.15. conſecuturam *congregationem, degregationem, ſegregationem, aggregationem. Congregationem* dico, qâ *univerſi, boni, mali,* invicem permiſti, *coram Chriſto* ad judicium confidente *comparebunt.*

rebunt. Congregabuntur coram eo gentes omnes. Matth.c.25. v.31. *Siſtemur omnes ad tribunal Chriſti,* &c. 2 Cor. c. 5. v.10. *Degregationem,* qâ de toto illo *grege* eximentur *electi* qiqe. *Emittet enim cum clangore tubæ angelos ſuos, qi electos è reliqâ turbâ extrahant.* Matth.c.24. v.31. *Segregationem,* qâ cœtus uterqe à ſe iuvicem *ſeparabitur. Segregabit enim alios ab aliis, ſicut paſtor oves ab hœdis diſpeſcit, & ad dextram bonos, ad ſiniſtram improbos collocabit.* Matth.c.25. v.31, 32. *Aggregationem* deniqe, qam &ἐπισυναγωγὴν Apoſtolus, 2 Theſ. c.2.v.1. qâ *pii* ab impiis jam *ſegregati,* his in terrâ relictis, *in aerem rapientur, Domino Chriſto occurſuri,* 1 Theſſ. c.4. v.17. & cum ipſo unâ in judicio conſeſſuri. *Duas* ergò duntaxat reſurgentium *claſſes,* nec plures, ſacra nobis pagina prodidit, *electorum & rejectorum, proborum & improborum, agnorum & hœdorum.* iſti, impii nempe improbíqe, *judicantur* univerſi, *nec judicant,* nam qod de *præjudicatis,* ex Chriſti verbis, ἤδη κέκριται, Joannis c.3. v.18. adducitur, tam de Chriſtianum nomen fidémqe profeſſis, qàm & de exteris qibúſqe enunciatum eſt; éſtqe ei geminum, qod Apoſtolus de prædeſtinatis, οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε *qos juſtificavit, hos & glorificavit.* Rom.c.8. v.30. τὸ μέλλον ὡς παρωχημένον. Jo. Chryſoſtom. *in Ioan.orat.28. Velut præterita dicit, qæ futura prædicit.* Avguſtinus *in Ioan. tract. 86. Ideò autem tanqam præteritum dicitur, qia tam certum eſt, qàm ſi factum ſit.* Idem *in Pſal.43.* & *de corrept. & grat.c.9. Verba præteriti temporis poſuit de rebus futuris, tanqam ea jam fecerit, qæ facienda decrevit, qi fecit, qæ futura ſunt. Apud Deum enim jam facta ſunt, qæ fieri præordinata ſunt.* Gregorius ipſe *in 1 Reg.l.5. c.3.* Illi, *pii* ſcil. probiqe, *& judicabuntur & judicabunt* univerſi. neqe enim Apoſtoli ſoli cum Chriſto Domino avt judicaturi ſunt avt regnaturi, (qanqam hi peculiari qodam modo, tanqam à Chriſto proximi, eos ad qos ſunt primitùs miſſi è populo Iſraelitico Matth.c.19.v.28.) ſed & fideles atqe electi qiqe. *Qiſqis,* enim, inqit, *vicerit* (per fidem ſcil. 1 Joan. c. 5. v.4. in qâ ad extremum perſtiterit Apoc. c. 2. v.10.) *conſidebit mecum in ſolio meo.* Chriſtus, Apoc. c. 3. v. 21. Et Apoſtolus, *Sancti mundum judicaturi ſunt;* vóſqe inter cæteros, Corinthii, vocationis di-

vinæ, qæ ſanctos facit, conſortes. 1 Cor. c. 6. v. 2. cum c. 1. v. 2.

At Dominus, ὁ πιστεύων, ὐ κρίνεται. *qi crediderit, non judicatur*, vel *non judicabitur*. Joan. c. 3. v. 18. καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται. *nec in judicium venit*, avt *veniet* etiam. Joan. c. 5. v. 24.

Reſponſio proclivis ex eis qæ ſuperiùs dicta ſunt. ſed Auguſtini verbis dabitur, ex *tract. 22. in Joan. Judicium duplex* eſt; aliud *diſcriminationis & diſcretionis*, aliud *damnationis & deſtructionis*. per illud ergo tranſituri, at non & iſtud ſubituri, ſunt pii.

Qanqam, ſi *reſurgendi* vocabulum in Hymnographi dictione retinere libitum eſſet, & ad examen noviſſimum referre, ut ne eis tamen faveret, qi *improbos reſurrecturos* negant prorſus; utpote qorum *anima* unâ *cum corporibus diſpereant* (qod David Camius, cùm iſtic, tum & *ad Hymn. 82. v. 7.* ſtatuere videtur; qod purgare tamen diſſertatione peculiari conatur V.Cl. Sixt. Amama) poterat de *reſurrectione* diſtingvi, ut ea duplex ſtatuatur: altera, ὐ κοινὴ καὶ καθολικὴ, ut Theophylactus *in Ioan. c. 6. v. 40.* qam ἀνάστασιν δικαίων τε καὶ ἀδίκων nuncupat Apoſtolus, Act. c. 24. v. 15. & *piorum impiorúmqe communis* ſit: altera, qam Dominus ἡ ἀνάστασις τῶν δικαίων appellat Lucæ c. 14. v. 14. & *piorum peculiaris* exiſtat; qi & eâ ratione ἡ ἀναστάσεως υἱοὶ, *reſurrectionis filii* dicuntur. Lucæ c. 20. v. 36. ab hac avtem excludi impios qoſqe, qum illâ tamen cum piis unâ comprehendantur, atqe hoc eſt qod V.C. Jo. Druſius *qæſit. per epiſt. l. 1. q. 75.* aliud eſt *non reſurſurgere ſimpliciter*, aliud *non reſurgere in cœtu juſtorum*. ut commatii pars poſterior priorem explicet. Vel ſic etiam diſtingvere licebit ex verbis Domini, Joannis c. 5. v. 28. ut *reſurrectio* rurſus duplex ſit: altera qæ ἀνάστασις κρίσεως. i. κατακρίσεως, *reſurrectio judicationis*. i. *damnationis* ſive *ad damnationis judicium*. (κεῖται γὰρ ἡ κατάκρισις λίαν, ut rectè monet Theophylactus) altera qæ ἀνάστασις ζωῆς, *reſurrectio vitæ*, ſive *ad vitæ æternæ participationem*; & peculiari etiam vocabulo ἐξανάστασις Apoſtolo Philipp. c. 3. v. 11. nuncupetur, qaſi *reexſurrectionem* dixeris. ratio nominis ab *aggregatione* illâ, cujus ſuprà meminimus. Theophylactus *in Ioan. c. 6. v. 40.* Ταύτῳ δὲ ἀνάστασιν ὁ Παῦλος ἐξανάστασιν ὀνομάζει,

μάζει, διὰ τ ἐν τ γῆς ἔπαρσιν. οἱ γὸ ἁμαρτωλοὶ ἀνίσανται μὲν ἐν τ μνημείων, ὁν ὃ τ γῆς ὐκ ἐξανίσαν) εἰς ἄιδα. κεῖται γὸ μένειν, ὡς κατάκριτοι καὶ κατέχεται. οἱ ὃ δίκαιοι καὶ ἀνίσανται (τ μνημείων ἐκπεμφθέντες, Joan. c.5. v.27.) καὶ ἐξανίσανται, ἁρπαζόμενοι ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τ Κυρίε. 1 Theſſ.c.4.v.14. *Hanc reſurrectionem Paulus vocat exſurrectionem nuncupat, propter illam à terra ſublevationem. etenim ſurgunt quidem è monumentis peccatores, ſed à terrâ in aerem non exſurgunt: infra namque ſubſiſtunt, ut damnati & maledicti. juſti verò & reſurgunt, (è monumentis prodeuntes) & è terrâ in aerem exſurgunt; ad occurſum Domini in nubes rapti.* De reſurrectione iſtâ poteſt dictum intelligi & Chriſti illud Joan.c.11. v.25. Ego ſum, ἀνάστασις καὶ ζωὴ, *reſurrectio & vita.* h. e. *reſurrectio vitæ*, ſive *ad vitam:* is qui reſurrectionis iſtiuſmodi in me credentes compotes facio. Proinde & ὁ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασις, i.e. *reſurrectio è mortuis* eâdem ratione dici videtur, Lucæ c.20. v.35. qanqam argutiùs pavlò qam ſolidiùs exiſtimo, qod CL. Scaliger in *annot. ad N.T.* vult aliud eſſe νεκρῶν, aliud τ νεκρῶν ἀνάστασιν. Cæterùm eodem planè modo diſtingvunt etiam Scriptores Judæi, ut illam תְּקוּמָה five ἀνάστασιν nuncupent, qæ juſtorum ac improborum communis ſit, iſtam תְּחִיָּה ſive ἀναβίωσιν, & pleniùs etiam adhuc, καὶ ἐκ τ ἀπεθνηκότ, ἀναβίωσιν ζωῆς, Avtor τ Μακκαβαικῶν, l.2. c.1. v.9. qod juſtorum duntaxat eſſe dicunt. Vide Druſium *de tribus ſectis Iud. l.2. c.14.* & Amamam in *diſſertatione* ſuperiùs indicatâ. Hac ergo *reſurrectione* verum eſt, *non reſurrecturos* unqam *impios.*

At Junius, *Non exurgent impii.* i. *ne ſublato qidem vultu ſe avdebunt ſiſtere.* cui expoſitioni firmamentum dederit, qod ad ſuos Dominus Lucæ c. 21. v.28. ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν. cùm ex ſignis jam datis judicii œcumenici illius diem inſtare dignoveritis, tum *ſuſpicite & attollite capita veſtra.* contrà ſcil. qàm eſt improbis tunc ex uſu futurum, qibus & capita & corda etiam dejicientur omninò, ὥστε λυθῆναι γένατα καὶ φίλον ἦτορ, καί τι δέδηε πρὸ θύμον καταπτήσειν. ut Poetæ verbis utar. Verùm malim ego cum Piſcatore, *non conſiſtent in judicio.* tam enim *conſiſtere* ubi ſurrexeris, qàm *ſurgere* ſive *exurgere* τὸ קוּם ſignificat. Itaqe qod στῆναι *conſiſtere* coram Chriſto judice, Lucas dixit cap.21. v.36. Syrus

rus תקומין קדם reddidit. Sic Numer. c.30. v.5, 12. וְקָמוּ כָּל־נֶדֶר֔יהָ *ſtabunt, conſiſtent, ſtabilientur omnia vota ejus.* Regum l.1.c.24.v.20. וְקָמָה בְיָדְךָ מַמְלָכְתֶּךָ *& ſtabit, ſtabilietur, perſtabit regnum in manu tuâ.* Et qæ ad hunc locum explicandum optimè qadrant. Joſ.c.2.v.11. וְלֹא קָמָה עוֹד רוּחַ *cor noſtrum liquefactum eſt, neqe conſtat ampliùs ſpiritus in qoqam à facie veſtrâ.* Et c.7. v.12. לֹא יָכְלוּ לָקוּם *non poterunt conſiſtere à facie hoſtium ſuorum.* Et rurſus v.13. לֹא תוּכַל לָקוּם *non poteris coram hoſtibus tuis conſiſtere.* amplius avtem eſt hoc qàm *cavſſà cadere*, cui *in judicio ſtare* opponatur, qod iſtic Druſio & Piſcatori cumprimis placuit. poteſt enim qis de actionis eventu anxius & ſolicitus animi pendere, qi cavſſam tamen probam juſtámqe habeat, & in judicio idcircò ſuperaturus ſit. poteſt & qis obfirmato nihilominùs animo perſtare, etiam qi cavſam nevtiqam obtinuerit. *In re avtem malâ*, inqit ille, *animo ſi bono utaris, juvat* nonnihil. Fieri, inqam, poteſt, ut *cavſſà* qis *cadat*, nec *animo* tamen idem *concidat*. qo modo de Martyribus Chriſtianis Septimius ad *Scapulam*, *Magis damnati, qàm abſoluti, gavdemus*: ſcil. qia, ut idem *apolog.c.50. Cùm damnamur à vobis, à Deo abſolvimur.* Et *ibid. vincimus, cùm occidimur; evadimus, cùm obducimur; nec unqam magis triumphamus, qàm cùm pro fidei obſtinatione damnamur. ibid. c.* 27. Cæterùm ea futura eſt improborum in die illâ conditio, tam anxia, tam animi conſiliíqe omnis expers, ὡς μὴ τολμῆσαι ἀντοφθαλμεῖν (ut cum Polybio *l.*3. loqar) ut *ne oculos qidem attollere contrà ſuſtineant*, ſed in *angulum* qemvis, avt *terræ cavernam*, avt *rupis fiſſuram* lubentiſſimi condere ſe exoptent, modò ne coram facie Domini Chriſti, tunc in ſolio conſidentis, cogantur comparere. Eſajæ c. 2. v. 21. & Apoc. c.6.v.15,16.

CAP.

Cap. V.

Hymnum primum Davidis videri, cujus ſecundum eſſe conſtat. In unum quoſdam compingere. קום reſurgere, conſiſtere. Ἀνά, rurſum, ſurſum. Ἀναστῆναι, *Ioan.*3.3. Ἀναζῆσαι, ſuſcitare, reſuſcitare. *Act.*13.32. reſuſcitare *pleriſque.* Genui, *i. genitum declaravi. expoſitio coactior. Hymni* 2. *verſ.*7. *expenditur. De generatione Filii ab æterno, nonnulli.* Hodiè, *quid denotet. Hymn.*110. *v.*3. *ad generationem Chriſti ab æterno fruſtra torqueri. De hac Paræm.*8.22.-26. *Expenduntur verba Pauli Act.*13.33. Ἔγειρε, *ſive* ἀνάστασις *duplex. Junii è* Parallel. *locus diſcutitur.* Φύσει *vocabulum de Deo uſurpatum; cùm antiquis crebrò, tum Petro Paulóque.* Ἰδία φύσις *Petro qid.* חילל *tam de viris, quàm de fœminis uſurpari.* חילל *de fœminâ. Generatio* κατ' ἀνάγκην τῆς κατ' ἀλήθειαν *minùs commodè oppoſita. Luc.*1.35. *& Hymn.* 2.7. *parallela.* Filii Dei, *ſanctiqiqe adoptione & regeneratione. Adam creatione ad effigiem divinam, Angeli itidem. Antiquorum halucinatio. Magiſtratus, eminentiæ & poteſtatis ratione. Chriſtus, quâ homo, ratione, & creationis, & aſſumptionis à Verbo. Felicis & Elipandi error. quâ Deus, naturâ, quâ homo gratiâ. Eſaiæ* 53. *v.*8. *expenditur. de generatione ab æterno priſci pleriqe. de duratione in æternum, alii. de prole numeroſâ.* דור *pro ſobole.* Γενεὰ *qid Marc.*13. 36. *Petri Picherelli verborum Gen.*3.14. *Hymn.*2.7. *& Luc.*1.28. *ſyntaxis nova.*

DE Hymno primo, nî mens læva, Davidico, diſſertationem infindere non abs re fuerit, ut ſecundo, qem tamen multi cum iſto committunt, (de qo videri poſſunt heroum literatorum nobile par, Cl. Fr. Junius in *parallel.l.*1. *par.*95. & Jo. Druſius *obſervat.l.*1. *c.*15.) operam pavliſper locemus. Monuimus capite proximè antegreſſo, qàm non inepta tantùm, ſed & impia, qidam verbi Hebraici קום, qod modò *reſurgere*, modò *conſiſtere* ſignificat, ambiguitate decepti, ex Hymnographi verbis perperam acceptis procuderint. nec minùs avtem torſit viros havd incelebres qamplurimos, ἡ ἀναστῆναι vocabuli notio ambigua in verbis Lucæ hiſtorici ſa-

 cri,

eri, qibus dum concionis Pavlinæ, ad populares ſuos Antiochiæ agentes habitæ ſummulam recenſet, ex Hymno ſecundo deſumptum ac negotio præſenti accommodatum ab Apoſtolo teſtimonium ſic refert, Actor. Apoſtol. c. 13. v. 32, 33. Καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπέπληρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, ἀναστήσας Ἰησοῦν. ὡς καὶ ἐν τῷ Ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται. Υἱός μου εἶ σύ. ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Quum enim ἀνὰ præpoſitio nunc *iterationis*, nunc *aſcenſionis* deſignandæ vim habeat; nunc *rurſum*, nunc *ſurſum* denotet. (unde & τὸ ἄνωθεν verſio diverſa, Joan. c. 3. v. 3. vetere interprete, *de ſupernis*; recentioribus, *denuò*, idque rectiùs, vertentibus) & ex eo coalitum verbum ἀναζῆσαι, modò *reſuſcitare* & *reſtituere*, modò *ſuſcitare* & ſuſcitando exhibere, ſignificet: in priore ſenſu pleriqe dum apud Lucam τὸ ἀναζῆσαι eô loci ſumunt, de Chriſti reſurrectione verba Pavlina accipiunt. tum, qomodo Pſaltæ dictum ad hanc accommodari poſſit, dum ruſpantur, torqentur miſerè, nec expediunt ſeſe. unicum habent, qò ſe recipiant, κυφεύσιον. locus is eſt Pavli ad Rom. c. 1. v. 4. qo Chriſtus dicitur declaratus fuiſſe Dei Filius, ἐξ ἀναστάσεως, *per reſurrectionem à mortuis*. cùm enim Chriſtus *per reſurrectionem à mortuis Dei filius declaratus* dicatur, eo ipſo *qo reſurrexit die à patre qaſi genitum* intelligi volunt; qod Patris ſoboles eſſe & ab æterno fuiſſe, eo ipſo qòd reſurrexit, fuerit demonſtratus. verùm coacta nimis interpretatio iſta, *genui te*. i. *genitum te indicavi, patefeci, declaravi*. nec convenit ſatis cum dictionis Propheticæ membro priori, cujus in poſteriori ratio ſubjungi videtur. *Filius meus es tu*. qare filius? qia, nempe, *hodiè genui te*. Qin & in Vatis ſacri ſenſu explicando, dum ad *ineffabilem* illam Chriſti, qâ Deus, ante ævum omne *generationem* trahere conantur, ſudant fruſtra ex antiqis etiam, in qibus Avguſtinus, nonnulli. itaqe *hodiè* illud, qidam *ab æterno* interpretantur; alii *actum continuum* deſignari contendunt; neqe enim Patrem filium ab æterno tantùm, ſed *qotidiè* etiamnum *gignere*. Cæterùm utraqe hæc expoſitio voculæ huic vim facere videtur: qum ea in maximâ etiam latitudine ſumpta, tempus ſemper & qod adſit, & qod terminatum ſit, deſignet; nec avt ad ſeqla diu antegreſſa, nedum ad id qod

ævum

ævum omne anteverterit, referri, aut de eo, quod nunquam non & fuerit & futurum ſit, enunciari, ſuſtineat. Conſultiùs proinde Theodoretus in hunc locum. Ἀλλ' ὅμως ἔχων, ὡς θεὸς ἡ τῆς υἱῦ προσηγορίαν, λαμβάνει ἀντὶ καὶ ὡς ἄνθρωπος. διὸ καὶ ἐπάγει, Κύριος εἶπε πρός με, Υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. παύτῃ δὲ φωνῇ ἐκ δυνάμεως, τῇ τῆς θείας πνευματικῆς διδασκαλίας συνθήκῃ, τῇ θείᾳ προσαφεὶς ἡ παντὸς χειρούσης. σὲ γὰρ ἐκείνης ἀκούσεσθαι τῆς θείας ἦλθον λέγοντος, ἐκ μήτρας πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. ὡς ἄνθρωπος πίνων καὶ παύτῃ τῇ φωνῇ, φησὶ, ὡς ἄνθρωπος καὶ τὴν ἐπαγγελίαν ἀκούει. Chriſtus, quamvis, quâ Deus, jam habeat Filii appellationem, quâ homo tamen, eam accipit. itaque ſubinfert, Filius meus es tu; hodiè ego genui te. Hanc autem vocem nemo Spiritus ſancti doctrinæ obſecutus, divinitati Domini Chriſti applicuerit. de eâ enim univerſi Deum dicentem audiamus, ex utero ante Luciferum genui te. quâ homo igitur & hanc vocem admittit; quâ homo & quæ ſequuntur, audit. Nec à Theodoreto hîc diſcedit Cyrillus. Sic enim & iſte *ad Herm. de Trinit. dialog.* 5. Ἀκούει ὡς ἄνθρωπος, καί τοι θεὸς ὢν φύσει καὶ ὑὸς, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. *Audit igitur, quâ homo, quamvis Deus exiſtens naturâ & Filius, Ego hodiè genui te.* Idémque *de rect. fid. ad Imperat. c.* 26. & hunc locum, & ad Rom. illum explicans ſimul: Τὸν αὐτὸν ὁμολόγησας θεοῦ, καὶ ἐκ σπέρματος τοῦ Δαβὶδ γεγενῆσθαί φησι, ὡσεὶδς τι διϊσχυρίζεται καὶ εἰς υἱὸν θεοῦ. πῶς ὢν θεὸς, ὁ ἐκ σπέρματος ἀναρχὸς τοῦ Δαβὶδ; ὁ δὲ δὴ καὶ πρὸ αἰώνων καὶ ἀϊδίως υἱὸς, καὶ ὁπόταν ἐκ θεοῦ, ἵνα δὴ τρόπον εἰς υἱὸν ἀφίδρυται θεοῦ, καθάπερ εἰς ἀρχὴν τοῦ ὑφεστάναι παραπεπεχθεὶς; ὅρα γὰρ αὐτὸς πρὸς αὐτὸν, εἶπε κύριος πρός με, Υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. καί τοι τῶ, σήμερον, δοκεῖ πως ἡμῖν, ὡς ὅπ ἀπροσκόπτα, ἢ ἐνεστῶτι ἢ μᾶλλον παρωχημένῳ χρόνῳ. Et paulo poſt, myſterium hoc explicans; Ὁ γὰρ τῷ φύσαντι συναΐδιος, καὶ πρὸ παντὸς αἰῶνος υἱὸς, ἐπιδὴ καταβέβηκεν εἰς ἀνθρώπου φύσιν, οὐκ ἀπολωλέκασι τοῦ εἶναι θεὸς, προσλαβὼν δὲ καὶ τὸ ἀνθρώπινον, νοεῖτ' ἂν εἰκότως, καὶ ἐκ σπέρματος γεγενῆσθαι Δαβὶδ, καὶ πεπάτων ἔχειν ἡ ἐν ἀνθρωπότητι γένεσιν. *Dem Dei Filium nominaverat, eumdem & ex Davidis ſemine prognatum ait, & in Dei filium quoque deſtinatum, ſive ſegregatum, affirmat. At quomodo Deus, qui ex ſemine Davidis enaſcitur? qui autem ante ſecula & ab æterno Filius, quâ ex Deo ortus, quo pacto in Dei filium deſtinatus, ſive ſegregatus eſt, quæ*

ad ſubſiſtendi principium productus? Etenim de ſe ipſe ait, Dixit mihi dominus, Tu es Filius meus; hodiè ego genui te. quum, hodiè, nobis, non præteritum ferè, ſed præſens potiùs tempus deſignet. —— Etenim qui genitori coæternus eſt, & ante omne ſeculum Filius fuerat, ad humanam ubi deſcendit naturam, non à Deitate delapſus, ſed humanitatem aſſumens, rite intelligatur, & ex ſemine Davidis oriundus eſſe, & novitiam in humanitate generationem habere. Quæ eadem & verbatim habet repetita, *in dialog. ad Herm. 8. de incarnat. unigen.* Quanquam hîc, ἀλλοφόσυλλος, parúmque conſtare ſibi videri poſſit Cyrillus. Siquidem in *Theſauro l. 35.* hanc ipſam allegat Pſaltæ periochen, qò probetur, γνωτὸν εἶναι ἐκ τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὡ πεποιημένον. *à patre genitum, non factum Filium.* Et in *orat. 2. de rect. fid. ad Reginas c. 8. Filii nomen* hoc loco, τὸ ἐκ πατρὸς ὕπαρξιν ὑποδηλοῦν τι καὶ φυσικῶς κατεσκευάσθαι, *à patre exiſtentiam eſſentialem & naturalem deſignare* affirmat. Cæterùm conciliari forſan ſibi hîc Cyrillus poterit, ſi dicatur, priora commatii verba, de *generatione Chriſti, qâ Deus*, ab æterno, poſteriora de ejuſdem, *qâ homo, productione* in tempore noviſſimo, cepiſſe. qo modo Methodium in *Orat. de caſtitate*, interpretatum, ex Photio *myriobibli cod.* 237. diſcimus: qi tamen memoriâ, uti videtur, lapſus, voces has ad Chriſtum in Jordane tinctum cœlitus à Patre χρηματισθῆναι refert. Hujus verba eô loci recitata ſic habent. Παραπρητέον, ὅτι τὸ μὲν, υἱὸν αὐτῷ εἶναι, (alii, αὐτὸν εἶναι, ego αὐτῷ εἶναι αὐτὸν) ἀοριστως ἀποφαίνεται καὶ ἀχρόνως. εἰ γὰρ ὑὸς, αὐτῷ ἔφη, καὶ ὑ, γέγονας· ἐμφαίνων, μήτε προσφατον αὐτὸν πεπυσμένος ἢ ὑοθεσίας· μή τ' αὖ φθασπάρξαντα τέλεον ἐγκεῖναι, ἀλλ' εἶναι ἀεὶ ἢ αὐτὸν. τὸ δὲ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, ὅτι χρόνοις ἤδη σὲ τῶ αἰώνων ἐν τοῖς ὑφαιροῦς, ἐβουλήθη καὶ τῷ κόσμῳ γνωρῆσαι, ὃ δὴ ἔστι πρόδηλον ἀγορεύθηναι γεγράφθαι. *Obſervandum eſt, qòd Filium ſuum eſſe ipſum, indefinitè, citra temporis determinationem enunciat. Es enim, inqit, Filius, non, fueras, aut factus es: declarans, neqe recentem adeptum eſſe filiationem, nec finem habuiſſe qod prius extiterat, ſed eundem eum ſemper exiſtere. illud autem, hodie genui te, qod eum qi ante ſecula in cœlis priùs exſtiterat, mundo voluerat generare, hoc eſt, ignotum antè notum facere.* Cyrillus ipſe *ad Regin. orat. 2. c. 19.* Ὁ μὲν καθ' ἡμᾶς υἱὸς θεοῦ καὶ παῖς, καὶ τὸ σωτήριον γέγονεν, ὡς ἂν ἀνθρωπος καθ' ἡμᾶς,

ἡμᾶς, χρόνῳ πρωτότοκον, ἧς ἀεὶ ὄντος λογικοῦ καὶ τὸ ζῆν μετὰ χρόνου ἔχειν γὰρ ἡμῖν ζῆν σημαίνει τὸ ἐνεστηκότα. οἰκείως δὴ τὸν καὶ τὴν σαρκικὴν αὐτοῦ γέννησιν ὁ πατὴρ. οἶδεν ἴδιον ὄντα υἱὸν, καὶ ἐξ ἑαυτοῦ ποιήσας, καὶ ἐκ γυναικὸς ἀνθρώπους. *Qi hoc modo filius est Dei & patris ſecundum generationem ſeculo omni priorem, idem & homo juxta nos eſt, ſecundum nuperam & carnalem, quam hodiè iſtud hîc admittit. tempus enim præſens nobis deſignat. carnalem itaque generationem pater etiam aſſumit ſibi. ſuum eſſe novit filium, & ex ſe juxta divinam naturam, & ex Mariâ ſecundum humanam.* Et *adv. Neſtor. l* 1. *c.* 6. Δύο φαμὲν γενέσεις ἀποτέλεσις, ἵνα μὲ δι' ἀμφοῖν υἱὸν ὄπτω μὲ ἐκ Θεοῦ λόγον· καὶ αὐτὸν μὲ τὸ σαρκωμένον, καὶ διὰ γυναικὸς ἀναλάβετα γέννησιν καὶ σάρκα. *Duas fuiſſe dicimus generationes, unum verò per utramque filium: anteqam in carne extitit, ex Deo Verbum: eundémque poſteà carnem factum, & per mulierem ſecundum carnem generationem ſubeuntem.* Illius ratione Chriſtum μονογενῆ, *unigenitum*; iſtius, πρωτότοκον *primogenitum* dici obſervat, *adv. eund. l.* 2. *c.* 12. Et *cap.* 8. Γέγονε πρωτότοκος ὁ μονογενὴς, ὅτι καὶ ἄνθρωπος πέφυκε καθ' ἡμᾶς. *Unigenitus primogenitus factus eſt, quando juxta nos homo editus eſt.* qod & idem habet *ad Herm. dialog.* 4. Δι' ἡμᾶς μὲ πρωτότοκος, ὅτι γέγονε καθ' ἡμᾶς· μονογενὴς δ' ἂν, ὡς ὑλικὸν τὸ σύμπαν ζωοποιούμενος, ἐπεὶ τοι μόνος ἐξέφυ, καὶ ἐξ αὐτῆς γεγέννηται ὑσίας τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. *Pro nobis primogenitus, quando juxta nos factus: rurſus unigenitus, utpote nulli omnino conferendus, quandoqidem ſolus & natus, & ex ipſa Dei patriſque ſubſtantiâ genitus.* Idem denique *Orat. in Feſt. Palm. Davidem de Chriſto dicentem audiamus, ex utero ante Luciferum genuit me Pater ſupernus. Et rurſus, Filius meus es tu; ego hodiè genui te.* Δύο ἔχει γενέσεις ὁ εἷς καὶ μόνος Χριστὸς, μίαν ἐκ πατρὸς ἀχρόνως, καὶ ἄλλην ἐκ μητρὸς ἀσπόρως. *Duas habet generationes unus idem ſolúſque Chriſtus: alteram ex Patre ſine tempore, alteram ex matre ſine ſemine.* Et ibid. rurſus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* τῇ προσφάτῳ σαρκώσει τοῦ λόγου, *recente Verbi incarnatione.* ὁ γὰρ ἄλλος ἦν, ὁ πρὸ αἰώνων ἐκ πατρὸς γεννηθεὶς, καὶ ἄλλος ὁ ἐν Βηθλεὲμ ἐκ μητρὸς σαρκωθείς. *nege enim alius erat, qi ex Patre ante Luciferum eſt genitus, ab eo qi in Bethlehem ex matre caro factus eſt.* Hæc illi. Locus autem qem pro ab æterno Chriſti, qâ Dei, generatione adducunt,

eſt ex Hymno 110. v. 3. ſed juxta Græcorum interpretum verſionem veritati Hebraicæ minùs conſentaneam, cujus itaque vice ſubſtituere licuerit, Salomonis illa ex Parœm. c. 8. v. 22,-26. qibus *ante terram, abyſſum, orbes cœleſtes, creaturam omnem, principium omne, editam ſe & extitiſſe Sapientia*, qi & *Dei Filius* Aguri ſapienti Jakei filio dictus ibid. c. 30. v. 3. verbis clariſſimis profitetur. Accedit his Hilarius: *Cùm ante tempora*, inqit, *filius Dei natus à Patre, unigenitus Dei filius maneat, nec conveniens, nec conſonans eſſe intelligitur, ut in die genitus ſit, cùm dies omnis in tempore ſit.* & qæ ſequntur. Etenim argumentum iſtud prolixius, qàm ut tranſcribi ex uſu ſit, proſequitur. Qin & Avguſtinus ipſe, etiamſi in *commentariis in Pſalmos* in diverſum concedat, tamen in *qæſtionibus ſuper Geneſin qæſt. 59. Nam ſecundum hujus rei*, inqit, (h. e. *formæ ſervi*) *Prophetiam illud eſt in Pſalmo, Dominus dixit ad me*, Filius meus es tu. Verùm ad *reſurrectionis* tempus demum delabitur Hilarius, de eâ verba Apoſtoli interpretatus, & dicta ſuperiùs delibata, cum ſubjunctis, qæ aliò ſpectant, confundens.

Primo Joanni Calvino, viro omni lavde ſuperiori, id qod res eſt, ſuboluit. Is ad Act. c. 13. v. 33. *Hîc*, inqit, ſuſcitandi *verbum, latiùs patet, qàm ubi paulo poſt reperitur. neqe enim tantùm dicit Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ſed divinitus ordinatum, & qaſi manu Dei productum in lucem, ut Meſſiæ partes impleret, ſicut paſſim docet Scriptura, excitari à Domino Reges & Prophetas. nam verbum ἀναϛήσω hoc ſenſu interdum capitur. hac autem ratio me movet, qòd Deus filium ſuum in mundum mittendo, promiſſionem olim ſervis ſuis datam exhibuit ipſo effectu.* Hæc ille. Vidit & advertit idem, etiam Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus. *Dixerat*, inqit, *Jeſum eſſe Meſſiam, & ipſum eſſe illum de qo facta eſt repromiſſio ad Patres antiqos: & ad hoc affert hanc ſecundi Pſalmi autoritatem.* Mox; *Comprobat à æternitate Meſſiæ qantum ad divinitatem, probat ex alterâ autoritate perpetuitatem ejuſdem ſecundum vitam corporis poſt reſurrectionem ejuſdem.* Rem fuſiùs atqe explicatiùs proſecutus eſt V. Cl. Fr. Junius in *Parall. l. 1. par. 95. Narrationis Apoſtolicæ*, inqit, *duo præcipua ſunt membra: unum de Chriſto exhibito; alterum de excitato à mortuis. utriuſqe*

uſque confirmationem adhibuit; prout evidentiſſimè diſtinxit 32. & 34. *verſu. nam verſu quidem* 32. *ſimpliciter de Deo in carne patefacto his verbis utitur*, Nos quoque vobis Evangelizamus eam promiſſionem quæ patribus facta eſt, Deum expleviſſe filiis iſlorum; qum excitavit nobis Jeſum &c. *in verſu autem* 34. *ut alterum caput narrationis à ſe inſtitui oſtenderet, rem diſertis verbis expoſuit* διαχριτικῶς. Quòd autem excitaverit eum ex mortuis, nec ampliùs reverſurum, &c. *quæ antitheſis commonſtrat evidentiſſimè, priorem quidem confirmationis locum ad excitationem. i. exhibitionem Chriſti pertinere; poſteriorem verò ad* ἔγερσιν *& excitationem à mortuis, quam reſurrectionem dicimus. atque in eam ſententiam verbum* ἀνίστημι *non raro accipi, cùm verbi ipſius etymon arguit, tum etiam perſimilium locorum comparatio*, ut Act. c. 2. v. 30. & c. 3. v. 26. *& alibi.* Hæc Junius: Cui σύμφωνον deprehendo & V. Cl. Dan. Chamierum. Sic enim is *Panſtratia tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 3. *ſect.* 22. *Non de reſurrectione* (Verſ. 32.) *ſermo eſt; ſed de promiſſione patribus factâ poſteríſque præſtitâ. Nam quod Latinus dixit*, reſuſcitavit, *impoſuit Salmeroni & aliis.* Græcè eſt ἀναστήσας, *quod verbum, etſi uſurpatur de reſurrectione, tamen non ſemper. hoc loco ejus verbi is uſus eſt, qi in Deut.* c. 18. v. 15. & Act. c. 7. v. 37. προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει θεός. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus. *De reſurrectione autem Paulus ſtatim pòſt agit; & probat ex alio loco.* Hæc ille Junio planè σύμφωνα.

Horum itaque ex ſententiâ, cum Chriſti διαστάσεις duplex ſit ἔγερσις ſive ἀνάστασις: (utro ſiquidem modo vocare libuerit, de ſenſu nihil deceſſerit) altera *incarnationis*, altera *reſuſcitationis*: utramque diſtinctim Apoſtolus tum *prædicat*, tum & *probat*: *prædicatur* prior illa verbis illis, verſ. 23. *Hujus è ſemine juxta promiſſionem ſuam* ἤγειρε, *excitavit Deus Iſraeli ſervatorem Jeſum. prædicatur* poſterior verſ. 30. *Deus autem ipſum* (occiſum & in ſepulcro poſitum) ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *ſuſcitavit ex mortuis.* priorem, Deum nempe promiſſionem illam verſ. 23. prædicatam, impleviſſe, ἀναστήσαντα, *excitando Jeſum*, probandam *proponit* verſ. 32. *probat* verſ. 33. ex Pſalmi 2. v. 7. verbis illis, *Filius meus es tu: hodie ego genui te.* poſteriorem, ὅτι ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, Deum ſcil. *à morte* eundem *reſuſcitaſſe*, probandam *proponit* verſ. 34. *probat*

verſ.

verſ. 35. ex Pſal. 16. v. 10. verbis illis, *Non permittes ſanctum tuum corruptionem experiri.* Habes & utramqe hanc ἀνάστασιν à Petro ſeorſim enarratam, in concione illâ celebri Hieroſolymis habitâ, qam ſcripto commendavit nobis Lucas idem Act. c. 2. primò, verſ. 30. *David*, inqit, *propheta cum eſſet, ſcirétqe Deum jurejurando ſibi adſeveraſſe, ex fructu lumbi ipſius, qod ad carnem attinet, ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, excitaturum ſe Chriſtum, qem in ſolio ipſius collocaret*, &c. habes *incarnationis* ἀνάστασιν. Mox verſ. 31. *Præſcius*, inqit, *idem locutus eſt*, περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, *de reſurrectione Chriſti, non derelictum iri apud inferos animam ejus, neqe carnem ejus corruptionem experturam.* tum ſubjungit, verſ. 32. *Jeſum hunc ἀνέστησεν ὁ Θεὸς, Deus reſuſcitavit: cujus rei nos omnes teſtes exiſtimus.* habes & *reſuſcitationis* ἀνάστασιν. ita Petro cum Pavlo in argumento iſto explicando ad amuſſim planè convenit.

Cæterùm de Hymnographi verbis qæ adjecit D. Iunius, diſcuſſione aliqâ non indigna videntur. *Filium*, inqit, *Pater gignere dicitur ab æterno κατὰ φύσιν*, (ſi φύσις, i.e. *natura in hoc myſterio dici poteſt*) *vel potiùs κατ' ἀλήθειαν: in tempore verò genuiſſe dicitur κατὰ φανέρωσιν, qam qidem φανέρωσιν luculenter à Spiritu Sancto fuiſſe demonſtratam arbitror apud Prophetam Hebræo illo gignendi verbo, qod fœminæ potiùs, qæ in lucem edit, qàm viro gignenti, tribuitur. Non ſum neſcius hunc Prophetæ locum ab aliis aliter explicari: qia hi divinum ſolùm illum æternæ generationis modum, ut plerique Patres; alii temporariæ generationis; alii utrumqe his duobus membris, qibus Propheta utitur, narrari putant. Sed unicum ſolùm ſi intelligas, non eſt ſatis ad juſtam fidei analogiam: ſin autem utrumqe, plus controverſiæ & obſcuritatis habitura eſt interpretatio, & verba non ſunt ταυτολογία qadam caritura. qamobrem prius membrum convenienter ſcripturæ de æternâ illâ generatione malo accipere, fretus avtoritate Apoſtoli, ad Hebr. 1. poſterius, de illâ temporariâ, qâ factus eſt ex muliere, factus ſub lege, in temporum plenitudine*, (Galat. cap. 4. verſ. 4.) *qum Deus explevit promiſſionem Patribus olim factam, ut hoc in loco Pavlus interpretatus eſt.* Hæc ἀνάλυσις vir Cl. de qibus pavliſper diſpiciamus.

Primò, qòd φύσεως vocabulum in hoc argumento uſurpatum

tum minùs probare videtur: non eſt, opinor, qòd ad eam voculam tam anxiè hæſitemus, qum & apud Theologos tum antiquiſſimos, tum qàm maximè orthodoxos, qaſi conſenſu qodam unanimi receptum habeamus. unde adverſus Arianos orat. 3. Athanaſius, ἡμᾶς θέσι, ὐ φύσι, *nos adoptione, non naturâ, Dei filios,* τ ὲκ ἡμῖν λόγον φύσι, ὐ θέσι, *verbum naturâ, non adoptione, Dei filium & eſſe & ab æterno extitiſſe,* multis oſtendere conatur. Cyrillus itidem in *Theſavr. l.* 12. *obj.* 4. *reſp.* 1. & alibi paſſim. Ἡμεῖς χ͞ῳ χάριν ὑοὶ· ὁ ἢ λόγ& χ͞ῳ φύσιν. *Nos ſecundum gratiam filii Dei; verbum autem ſec. naturam* Sed & *de Trinit. fide Dialog.* 5. ſummâ, Ὅτι ἐξ ἀυτ͞ῦ (τ͞ῦ πατρὸς) χ͞ῳ φύσιν γέγνητὸς ὁ ὑὸς. *Qòd ex patre ipſo ſecundũ naturam natus ſit filius. De Sp.* qoqe *Sancto* idem *eadem in dialog.* Τὸ ἐκ θεοῦ πατρὸς δι' ὑ͞ῦ φυσικ͞ῶς προερχόμενον, *à patre Deo per filium prodire naturaliter.* Et *de rect. fide ad Imp. c.* 28. φύσ θεὸς, ὁ ὑὸς. *naturâ Deus idem & filius.* Sed nec ab eâ etiam abhorreant Spiritus Sancti amanuenſes. Etenim cum Petrus θείας φύσεως meminit, epiſt. 2. c. 1. v. 4. cujus κοινωνοὶ fiant οἱ πρό· qod etiamſi aliò trahant nonnulli, mihi tamen clarum ſatis videtur D. Ludovici de Diev interpretamentum, qi nihil eſſe vult aliud θείαν φύσιν, qàm *Deum* ipſum. qemadmodum & φύσις ἀνθρωπίνη, pro *hominibus*; & φύσις ἀνθρίων, pro *beſtiis* ipſis uſurpatur, Iac. c. 3. v. 7. Θεοῦ avtem κοινωνοὶ dicuntur fideles, qomodo Χριστοῦ μέτοχοι Heb. c. 3. v. 14. Tum & Pavlus, cùm ad Galat. c. 4. v. 8. τοῦ μὴ φύσ θεοὺς de fictitiis exterorum numinibus dixit, τ φύσ θεὸν ex adverſo, Deum verum intelligi diciqe citra ſcrupulum omnem poſſe, tacitè ſaltem ſubindicavit. qod & Cyrillo obſervatum *de rect. fid. ad Imp. c.* 31. Deinde, illud minùs placet, qòd generationem alteram, qæ ab æterno extiterit, καθ' ἀλήθειαν, alteram qæ τ ἐνσαρκώσεως fuerit, κ͞ῳ φαντασίαν, factam dicit. non qòd virum clariſſimum exiſtimem hæreticorum illorum ſententiæ ſuffragari, avt vel leviculè favere, qi δοκήσει μόνον κ͞ῳ φαντασίᾳ, non avtem κατ' ἀλήθειαν, Chriſtum natum paſſũmqe contendebant: ſed qòd tam ipſa Chriſti incarnatio, qàm illa ab æterno generatio, κατ' ἀλήθειαν geſta verè dicatur, imò neceſſariò dicenda ſit; nec à veritate itaqe ἡ φαντασία hac in parte diſtingui avt diſterminari debeat. Tertiò, nec τ φαντασίας nomen ita incarnationi

nationi tributum qadrabit, ut eâ φανερωθῶναι, i. e. declarata ac manifestata intelligatur generatio illa Christi, qâ Patri ὁμούσιος, qæ ab æterno extiterit. neqe enim ea τῇ ἐνσαρκώσει merâ, tam manifestata atqe exposita, qàm obducta potiùs & obvelata videri potest: ut Apostolus ad Philip.c.2. v.6,7. Θεὸν ἐν σαρκὶ φανερωθέντα reverâ prædicat Apostolus ad Timoth. ep.1 c.3. v.16. qia carnis indutæ beneficio obtutibus humanis conspicuus sit factus, ut Joan.ep.1.c.1. v.1,2. sed aliud est θεοῦ, aliud θείας γυνήσεως, φανέρωσις. Alioqi si τὸ γεγεννῆσθαι pro *edi, produci, in lucem prodire* sumatur, tam de Christi qæ ab æterno generatione à patre, qàm & de eâ, qæ in temporis plenitudine ex matre fuerat, à Cyrillo, in eis qæ ex eodem sunt superiùs pavlò adducta, usurpatum est deprehendere. Qartò, qòd Prophetam ait qasi consultò hac de causâ eo *gignendi* verbo usum, qòd *fœmina potiùs in lucem partum edenti, qàm viro gignenti tribuitur*; nihil solidi continere videtur. Neqe enim minùs freqenter de *viro gignente*, qàm de *muliere pariente*, verbum יָלַד in sacrâ paginâ usurpatur: (videantur Genes.cap.5. & 10. qibus numerosè id occurrit) nec ex virginis matris, sed ex Dei Patris personâ istud istic enunciatur. qin & illud etiam adjicere licet, usurpatum Solomoni vocabulum יָלַד in æternâ τοῦ λόγου generatione narrandâ, Parœm. c.8. v.24,25. qod de fœminâ, Sarâ scil. usurpatum reperitur, Esajæ c. 52. v.3. de viro, nusqam. Quintò, qòd *plerique patres de divino solo æternæ generationis modo Psalmi locum explicare* prædicantur; havd esse vero prorsus consentaneum, ex eis qæ ex scriptis horum superiùs adducta sunt, patet. Sextò, *si altera sola hic intelligatur generatio*, qòd dicitur, *non sufficere ad justam fidei analogiam*, nullius mihi planè momenti videtur. neqe enim poscit *justa fidei analogia*, ut ubicunqe de alterâ mentio fit, de alterâ qoqe unâ dicatur. satis fuerit, si dicatur nihil, qod alterius fidei detrahat. Septimò, παραλογίας vitio qare laboratura dicatur dictio prophetica, si utraqe intelligatur, nihil video: imò nec si de alterâ duntaxat membrum utrumqe sumatur, qum prioris membri ratio posterioti reddi qeat. Octavò, generationis ullius in priore membro, mentio, expressa saltem, nulla est. *Filius* tantùm dicitur is, ad qem ex Dei patris per-

sonâ

ſonâ ſermo dirigitur. tam avtem *nativitatis* ratione, *Dei filius* eſt Chriſtus ἀνθρωπος, qàm & ab æterno ὁ λόγος *Dei filius* extiterat. Vatem vates, Davidem Gabriel (nam & vatis munere in legatione illâ ὡς ἡ ἀποστολος functus eſt) liqidò explicans attentiùs avdiatur. Lucæ c.1. v.35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi inumbrabit te: proinde etiam ſanctum id, quod ex te gignetur, Filius Dei vocabitur.* qod qid eſt aliud, qàm qod per Citharœdum ſacrum Deus Pater, *Filius meus es tu: hodie ego genui te?* niſi qòd hic tanqam factum jam nunciat, qod tanqam futurum prænunciat ille. Deniqe de loco illo ad Hebr. cap. 1. ver. 4, 5. qo Chriſtus *Angelis præſtantius nomen* ſortitus perhibetur; ídqe cùm ex his ipſis Pſaltæ verbis, tum ex Dei ipſius ad eundem habitis, Hiſtor. Reg. l.2. c.7. v.14. & Annal.l.1. c.17.v.13. & c.22. v.13. comprobatur, qibus *Filii* nomen Chriſto itidem tribuitur, havd difficilis eſt ſolutio. Chriſtum ſcil. ἀνθρωπον peculiari qadam ratione, qæ nec mortali, nec angelo etiam cuiqam, competat, *Filium Dei* nuncupari. Etſi enim fideles omnes *Dei filii* paſſim dicuntur, partim θέσει, ſive adoptionis, partim etiam γενήσει, ſive *generationis*, vel potiùs ἀναγεννήσει ὕπο παλιγγενεσίας, *regenerationis* ratione. Ioan.c.1.v.12,13. Galat.c.4. v. 4, 5, 6. Iac.c.1. v.18. 1 Pet. c.1. v.3.23. Tit.c.3. v. 5. magiſtratus qoqe χειροτονίᾳ ἢ ἐπιγραφῇ, *munere* ac *præfecturæ*, qam obtinent exercéntqe, ratione, (unde & exteris ipſis Διοτρεφεῖς βασιλῆς) *Dei filii* vocitentur, Hymn.82. v.6. nec τῷ ἀνθρωπάδει tantùm, noſtri omnium parenti, κτίσει, ſive *creationis* nomine, qia non à Deo tantùm, ſed & in ejuſdem *imaginem* ac effigiem qodammodo conditus fuerit, nominis id hæſerit, Lucæ c.3. v. ult. ſed & *ſpiritibus* illis glorioſis, qos miniſterii ratione *angelos* appellamus, titulus idem eâdem de cauſſâ communicatus deprehendatur. Iobi c.1. v.6. & c. 2. v.1. & c.38. v.7. Fruſtra enim ſunt Doctores è Græcis antiqi, qi appellationis hujus honorem *angelis* abjùdicant, in qibus eſt Io. Chryſoſtom. *in Geneſ. orat.* 22. qi dum abſurdum qorundam de *Filiis Dei* Geneſ.c.6. v.1. qos illi *angelos* opinabantur, delirium everſum it, errorem errore refellere ac revellere conatus; Πρῶτον, inqit, ἀξιόπιστος, ποῦ ἄγγελοι υἱοὶ θεοῦ ἀκούσας

ἐδ'ὅτε· ἀλλ' οὐκ ἀρξάμενον ὑδαμοῦ λεῖξαι. ἄνθρωποι μὲν γὰρ ἐκλήθησαν υἱοὶ τοῦ θεοῦ, ἄγγελοι δ' οὐδαμῶς. *Ostendant primò ubi angeli filii Dei sint nuncupati. at nusqam hoc factum ostendere poterunt. etenim homines qidem Filii Dei dicti sunt; at angeli nusqam.* imò dicti sunt, nec id semel avt bis duntaxat, in eis, qos suprà indicavimus, locis. Verùm fefellerat virum præstantissimum, cum aliis havd pavcis, versio Græca, qæ in Iobi historiâ, pro eo qod ex Hebraicâ veritate, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ dici debuerat, mentem historici secuta magis qàm verba, οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, reddidit. Etiamsi, inqam, aliis havd pavcis appellationis istud tributum legatur, tamen peculiari qadam, nec alii cuiqam cum ipso communi, ratione, Christo τῷ θεανθρώπῳ ea asscribitur; partim qòd natura ipsius, qam nobiscum eandem specie, sed numeris omnibus absolutam, gerit, humana, Dei solius virtute merâ in utero virginali condita; partim qòd eadem ὑπὸ τοῦ λόγου, qi ab æterno *Dei filius* extitit, ita est assumpta, ut unam eandémqe cum illo junctim, personam constituat. qod ad Apostoli propositum abundè suffecerit. Qamvis avtem reverâ repudiandum & rejiciendum sit dogma illud pestiferum in Concilio Francofurtensi jam olim damnatum, qod Pavlinus Aqilejensis libro peculiari *adversus Felicem Urgelitanum & Eliphandum Toletanum* ejusdem patronos conscripto oppugnavit. qo illi Christum *Filium Dei adoptivum* esse, contendebant; qum nec de *angelis* ipsis, qi à statu in qo primum conditi sunt, nunqam defecerint, nisi ἀκύρως καὶ καταχρηστικῶς enunciari istud posse videatur. Aliter tamen *Christus*, qâ *Deus*, aliter, qâ *homo*, *Dei filius* idem dicitur. qâ *Deus* enim, *naturâ*; qâ *homo*, *gratiâ*, titulum hunc obtinet. Inculcat istud creberrimè Avgustinus, gratiæ divinæ patronus & propugnator acerrimus, *in Ioannem tract.* (citante & Petro Lombardo, ubi controversiam hanc disceptat, & prius illud rejiciens, istud tamen admittit, *sentent. lib. 3. dist. 10.*) *Qòd unigenitus est æqualis Patri, non est gratiæ sed naturæ: qod avtem in unitatem personæ unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ:* Et *de prædestinat. Sanctor. c. 15. Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. qi hoc ut esset, qibus tandem suis vel operum vel fidei*

præ-

precedentibus meritis natura humana, qa in illo eſt, comparavit? reſpondeatur, qaſo, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, filius Dei unigenitus fieret, unde hoc meruerit. quod ejus bonum qalecunqe præceſſit? qid egit antè, qid credidit, qid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? nonne faciente ac ſuſcipiente verbo, ipſe homo ex qo eſſe cepit, filius Dei unicus eſſe cepit? nonne filium Dei unicum fœmina illa gratiâ plena concepit? nonne de Spiritu Sancto è virgine Mariâ Dei filius unicus natus, non carnis cupidine, ſed ſingulari Dei munere? nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt, noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis. gratiâ ille talis ac tantus eſt. Appareat itaqe nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundum uniuſcujuſqe menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit: eâ gratiâ ſit ab initio fidei ſuæ hoc qicunqe Chriſtianus. qâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus; de ipſo ſpiritu & hic renatus, de qo eſt ille natus. qiſqis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis requirat. neqe enim retributa eſt Chriſto illa generatio, ſed tributa. Hæc ille. qibus gemina habet & de *dono perſeverantiæ* (ita enim ex Remigio Lugdunenſi legendum monet Præſulum decus ille Jacobus Armachanus *hiſtor. Pelag. c.* 8.) *cap.* 24. Et, *de corrept. & grat. c.* 11. Nec aliud, opinor, volebat Cyrillus *ad Herm. dialog.* 3. cum *Chriſto* dixit, *nomen ſupra omne nomen* tunc datum, ὅτε καὶ τὸ καθ' ἡμᾶς ἐπιδύς, ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, ὃς ἦν ἐκ θεοῦ, θεὸς ἦν πρὸ ἡμῶν, καὶ δι' ἡμᾶς ὁ γενόμενος, ἵνα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτὸν, υἱοὶ τῇ κατὰ φύσιν ἐνωτικῇ ἐκ θεοῦ ἐκλεκτοὶ κοινωνοί. qod vertunt, *cùm etiam formâ noſtrâ aſſumptâ, velut unus è nobis, in filium adſcriptus eſt Dei, adoptatus nobiſcum & propter nos, ille verus ac germanus* (genuinus, malim) *ut & nos propter ipſum filii ſupernaturalis gloriæ ſimus participes.* Siquidem τὸ θεοδῶναι (qod *adoptari* reddunt) vocabulum eo modo uſurpavit, qo τὸ θεοδῶναι apud Apoſtolum ad Rom. c. 1. v. 4. ſumere ſe paſſim oſtendit.

Liceat obiter & de Eſajæ clavſulâ illâ c. 53. v. 8. qæ & Act. c. 8. v. 33. recitatur, *Generationem ejus qis recenſeat?* qid ſentiam, pavcis proponere. Antiqi qiqe ferè, dum adverſus A-

rianos dimicant, ad *Chriſti*, qâ *Deus*, *ab æterno generationem*, ſed nolentem trahunt. recentiores pleriqe ad vitæ *durationem* referunt, ut דור voce ſatis affini, *duratio* vertatur. qia ſeqitur, v. 10. *Prolongabit dies*. Ego de *ſobole* numeroſâ ad Deum perducendâ, malim interpretari. qia ſeqitur v. eodem, *videbit ſemen*. Et v. 11. rurſus: *Videbit ſemen, & ſatiabitur: cognitione ſui* (i. fide in ipſum) *juſtificabit multos juſtus ſervus meus*. *Semen* autem *Abrahæ*, in ſemine ejuſdem ſingulari illo benedicendum, tam numeroſum fore promittitur, ut *ſtellarum numerum* exuperet, nec illius magis turba, qàm harum turma recenſeri à qoqam qeat. Geneſ. c. 15. v. 5. Ita דור creberrimè ſumitur. Hymn. 24. v. 6. זֶה דּוֹר דֹּרְשָׁו *Hæc eſt generatio qærentium ipſum*. & Eccleſ. c. 1. v. 4. דּוֹר הֹלֵךְ וְדוֹר בָּא *Generatio vadit, & generatio venit*. i. ſuccedunt ſibi invicem generationes mortalium: ἵνα ἀεὶ νεαρὸς ᾖ ὁ κόσμος. *ut mundi facies jugiter innovetur*. uti M. Antoninus Imper. *de inſtitutis ſuis l.* 7. §. 25. Σάζου τὸ κόσμον, ὥσπερ αἱ τῶν στοιχείων, ὕπου καὶ τῶν συγκριμάτων μεταβολαί. *Ibid. l.* 2. §. 3. Et *l.* 6. §. 14. Ῥύσις καὶ ἀλλοιώσεις ἀναιτίων τῶν κόσμων διηνεκὴς. ὥσπερ οὖν τὸν χρόνον ἀδιάλειπτος φορὰ τῶν ἅπάντων αἰῶνα νέον ἀεὶ παρέχει. ita enim reſtituenda ſunt, qæ in excuſis loco mota habentur. Gemino ſenſu τὴν γενεὰν non deſunt qi ſumant, Marci c. 13. v. 30. in verbis illis, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται. *non tranſibit generatio iſta, donec hæc omnia facta fuerint*. ut mens Chriſti ſit, perennaturam & permanſuram, non obſtantibus tot malis cladibuſque qibus ea affligenda & qaſi conterenda ſit, *gentem* Judaicam, uſqe dum omnia ibi prædicta complementum ſuum ſortita ſint, hoc eſt, ad ipſam ſeculi ipſius conſummationem diémqe noviſſimam. Verùm de hoc aliorum eſto judicium.

Qibus &, & ubi propoſuerim, cenſendam relinqam, Petri Picherelli (de qo viro eximio ſcriptiſqe illius alibi dicendi locus deinceps dabitur) verborum Pſaltæ ſyntaxin novam; qam in *Annot. poſtum.* reperio, ad Dei verba, Geneſ. c. 3. v. 14. qæ is hoc modo ἐποίησας, *Quia hoc feciſti, maximè omnium animantium, etiam ferarum, maledicte, pérqe omne vitæ tempus humi ſerpture, & pulverem eſure; ob id inimicitias inter te & mulierem excitabo, intérqe tuum & illius ſemen*: hæc inſuper ad-

adnotans; אֲרוֹר verto per vocandi caſum, uſque ad verſus ſequentis initium. Sic Luc.c.1.v.28. Angelus Mariæ, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, εὐλογημένη σὺ (בְּרוּכָה אַתְּ) ἐν γυναιξίν. i.e. *Dominus ſit tecum*, (ſalutationem aliis verbis geminavit) *maximè mulierum benedicta*. Tale eſt σὺ per vocandi caſum reddendum, Act. c.4.v.24. Δέσποτα σὺ ὁ θεὸς, ὁ ποιήσας, &c. *Domine Deus tu, qi feciſti*. Sic de ſuo præter Hebræum addiderunt Græci σὺ, Jer.c.16. v.19. Κύριε σὺ ἰσχύς μου, *Domine tu fortitudo mea*. Sic quod Pſal.1. v.7. eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me.' &c.* poteſt verti, *Fili mi, qem ego hodie genui, poſtula à me*, &c. Nec obſtat, quod Act.c.13.v.33. & Heb.c.1. v.5. & c.5. v.5. citatur tantùm, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; qaſi in eo ſit abſoluta ſententia. nam citatur juxta Græcos, qi addunt σὺ, *es*; & id tantùm qod ad rem faciebat. Qale aytem in eo eſt præceptum, qod Chriſtus antè promittit ſe narraturum & prædicaturum, ſi abſit imperativus, *Poſtula à me?* Ad hanc verſionem facit textus Hebraicus Gen.c.49. v.8. יְהוּדָה אַתָּה; יְהוּדָה אַתְּךָ *Juda tu, celebrabunt te fratreis tui*. qem Græci & Hieronymus verterunt, *Juda, te laudabunt fratres tui*. Structura certè & congrua ſatis, nec minùs mihi probabilis videtur; ſed viderint eruditi.

CAP.

Cap. VI.

Hymni 1. *verſiculus ultimus explicatur.* Noſſe, *pro* probare, curare, cordi habere. Non noſſe, non agnoſcere. *Verba Pavli Act.*23.5. *expenduntur. Variæ variorum de eis ſententiæ.* Μεταχειρισμος *qid, & unde tractum. Hentenii halucinatio. In Lyſiâ hiatus expletus. Ananias utrum Pontifex ſummus fuerit. Ejuſdem ſumma apud ſuos avtoritas. Pontificum ſub Felice & Feſto ſucceſſio. Ananiam Annæ filium Camerarius fruſtra exiſtimat. Ananiam cum Anano eundem & Beza fruſtra. In antithetis ellipticis, membrum alterum ex altero ſupplendum. Verſiculi iſtius inciſa duo, quatuor incluſa gerere axiomata. Paræmiarum loca aliquam multa expenſa & explicata. Ex unico verſiculo octo elici documenta.*

ABſolvemus tandem capite iſto, qicqid de hymno primo animadvertere viſum eſt. Noviſſima periocha; *Novit enim Jova viam juſtorum; via verò improborum peritura eſt.* nihil ferè difficultatis habet. Etenim tritum eſt illud; *novit.* i. *agnoſcit, intuetur ad benefaciendum,* Camius. ſive, *novit,* i. *probat, curat, rationem habet.* Junius. cujus ſignificationis exempla havd pavca ſuppeditat, cum Camius ad hunc locum, tum & Druſius *qæſitorum l.*2. *c.*50. ex Exod.c.3.v.7. Devt. c. 34.v.10. Hymno 31. v.8. & 142. v.5. & 144.v.12. Hoſh. c.13. v.5. Matth.c.7. v.23. qibus adjicere liceat, ex Hymno 37.v.18. (qi locus huic geminus) *Novit Iova dies integrorum.* i.e. agnoſcit, curat, rationem habet. dierum ſive temporum. i.e. vitæ, ſtatus, conditionis, proborum ac piorum. ex Prov.c.12. v.10. *novit juſtus animam jumenti ſui.* i. vitam curat. Et ex ad Rom.c.7.v.15. ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω. *qod perpetro enim, non cognoſco.* i. non agnoſco, non probo. ſeqitur enim: ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. *hoc qod ipſemet odi, facio.*

Unum duntaxat locum juris controverſi ſubjiciam. Trahunt huc avtores non ignobiles, etiam Pavlinum illud de Ananiâ Pontifice, qi nullâ proceſſus judiciarii ratione habitâ, compa-

comparentem coram ſe Apoſtolum, citra cauſſam, cædi juſſerat, Act. c. 23. v. 5. *Neſciebam, fratres, eſſe Pontificem.* Neqe enim deſunt, qi Apoſtolum reverâ neſciviſſe hoc, avt potúiſſe etiam neſcire, negent prorſus. Itaqe *Pontificem neſcire*, interpretantur, *non agnoſcere, pro Pontifice non habere.* Verùm & iſti qoqe in partes varias diſcedunt. Alii enim *de officio ac munere* ipſo *Pontificio*, alii de *Ananiæ perſonâ* dictum intelligunt. De *munere* ipſo accipiunt alii, Pontificem nullum jam agnoſcere Pavlum præter Chriſtum; qia cum ad ipſius adventum ſacerdotium Judaicum ceſſaverit, qiſqis jam pro Pontifice geſſerit ſeſe, *parietis inſtar dealbati* habeat, noménqe tantùm inane, & umbram meram Pontificis, hoc eſt, titulum ſine re, gerat. Hâc præeunt Cyprianus *ad Cornel. l. 1. ep. 3.* & Avguſtinus *ad Marcellin. epiſt. 5. & de ſerm. Dom. in mont. l. 1. c. 14.* ſequntur Beda, Rabanus Mavrus, & Hugo Cardinal. qi alias tamen affert qoqe interpretationes. Verùm iſtud vix probabile; qia praxi Pavlinæ minus conſentaneum videtur. certè enim qi, ut eſt cap. 21. v. 26. ritus ipſos, qos unâ cum Sacerdotio ceſſare neceſſe fuit, & in tantum ceſſaverant, in qantum ipſum ceſſaverat, non pro nullis prorſus habuit, cum & obſervaret ipſe adhuc, & obſervantibus atqe exeqentibus adeſſet, ſacerdotium ipſum, à qo pendebant illi, non potuit pro nullo prorſus habere. Alii itaqe ad *Ananiæ perſonam* reſtringunt, hunc nimirum *pro Pontifice non habere, non agnoſcere* Apoſtolum; vel qia reverâ Pontifex tunc non eſſet, ſed *in veri Pontificis*, ſive Iſmaelis, ſive Joſephi, *partes ſeſe obtruſiſſet*, nudo illi Pontificatus relicto nomine. atqe ita Theod. Beza. vel qia *ſacerdotium*, qod eis temporibus venale erat, *pecuniâ comparaverat.* qod Hugo Card. ſuſpicatur. vel qòd *nihil in ipſo Pontifice dignum compareret.* qo inclinant Jo. Calvinus, Jo. Brentius, & Flac. Illyricus. *qis enim pro Pontifice illum agnoſcat, in qo nihil nomine ac titulo iſto dignum cernitur?* inqit Rhod. Gvalterus. vel qia adverſus Pavlum *non ſe pro Pontifice geſſerat*, ſed contra munus, qod obiret, imò contra jus fáſqe indemnatum ac inavditum cædi juſſerat. atqe in hanc partem propendent Io. Ferus, & Luc. Loſſius, ut eo modo ſit à Pavlo dictum, qo modo in faciem L. Philippo Coſſ. L. Craſſus (referente Cicerone *de orat. l. 3.* & Val.

Maximo *l.6. c.2.*) *Non es mihi, Philippe, consul: qia nec ego tibi senator sum.* Et Senatus Principi nescio cui (nisi si eadem est historia, & Hieronymum, qi in *epist. ad Nepotianum* narrat, memoria fefellit) Domitius; *Cur ego te habeam ut principem, cum tu non habeas me ut Senatorem?* sed & de Antonio Cicero *Philippic.2. Non tractabo ut Consulem: ne ille me qidem ut Consularem.* Caterùm ab Apostoli genio atqe ingenio alieniora planè videntur ista. Proinde alii censent citra figuram tropúmve ullum, *ignorantiam* disertè professum Apostolum. qanqam nec istis inter se convenit satis. qidam enim *dissimulanter* locutum volunt, ac ne animos illorum irritaret amplius, ejus rei ignorantiam præ se tulisse, qam probè tamen novisset. Ita Oecumenius (cui & Joach. Camerarius accedit) Ὥσπερ μεταμεληθεὶς, οὐκ ἤδειν, λέγει, καίτοι εἰδώς. ἀλλὰ συγκατατιθεὶς ἀγνοίαν, ὡ βλακτῆρες, ἀλλ' οἰκονομίαν· ἔστι δὲ μετοχείσεως χρῆσθαι ἐγκειμένης παῤῥησίας· πολλάκις δὲ παῤῥησία μὲν ἀνωφελὲς ἔβλαψε ἡ ἀλήθεια. μετοχείσεως δὲ τύπῳ κατώρθωσε τὸ πεπλημμέλημένον. Tanqam si increpationis pœniteret, Nesciveram, inqit, cum scirem tamen. sed ignoramiam præ se fert, non noxiam tamen, sed dispensatoriam. retractatio siqidem (sive etiam *tractatio commoda*) qandoqe adhibita, oratione liberiore plus valet: oratio enim liberior intempestivè adhibita veritati sæpenumero obfuit; cum retractatio, sive commoda tractatio, tempestivè usurpata, qod agebatur, negotium probè constituerit. μετοχείσεως, *retractationem*, sive *rei emendationem* Budæus significare istic opinatur. nam Jo. Hentenius ab avtoris mente parasangis multis aberravit, qum vertit: *Contingit enim ut qis graviori dispensatione libera loqutionis utatur. frequenter enim intempestiva loqendi libertas veritati nocuit; tempestivus avtem usus, qod propositum erat, correxit.* μετοχείσεως ad παῤῥησίαν refert, & antithesin inter παῤῥησίας ejusdem usum tempestivum atqe intempestivum constituit. at verò Scholiastes (sive Oecumenius, sive alius qis is est) μετοχείσεως τῇ παῤῥησίᾳ disertè opponit, eúmqe tempestivè adhibitum plus ista pollere affirmat. ita, inqit, μετοχείσεως est uti, ut παῤῥησίᾳ efficacior fit. proinde μετοχείσεως vocabulum, (sicut & verbum κατορθίζειν, Apostolo usurpatum ad Galat.c.6. v.2.) pro qo eodem χρείσεως usurpavit Hippocra-

tes

tes *libr.* περὶ τῆς κατ' ἰητρεῖαν παραλήψεως, à re chirurgicâ tractum existimo, in qâ scita commodáque loci affecti tractatio, plurimum valet, laborantémque molestiâ graviore dum liberat, curationis admittendæ reddit patientiorem. Alluſit eôdem elegantissimè Lysias *orat. de pecuniis è publico acceptis:* ἐγὼ δὲ πάντας τοὺς ἔχοντάς τι δυσχημα τοιοῦτο, [νομίζω δεῖν] τοῦτο ζητεῖν καὶ φιλοσοφεῖν, (ita enim supplendum restituendúmque locum eum avtumo) ὅπως ὡς ἀλυπότατα μεταχειεῖν) τὸ συμβεβηκὸς πάθος. *Ego eos omnes qibus infortunium istiusmodi contigit, hoc qærere ac meditari studiosè censeo oportere, qo modo malum id qod obvenerit, minimâ cum molestiâ tractent.* Certè qod medicorum princeps ille *lib. de fract.* monuit, tractatio minùs commoda, πόνους ἄλλους πολλοὺς περιτίθησι μείζονας τοῦ τρώματος, *dolores alios multos vulnere ipso graviores non rarò adjicit.* Itaqe μεταχειρισμοῦ nomine Scholiastes, ut mihi videtur, artificium qoddam designavit, qo cùm astantium, tum & considentium, animos, increpatione acriori jam exulceratos, ignorantiæ, sed simulatæ illius excusatione, qasi tractatione leniori, adhibitâ, mitigare atqe delinire conabatur. Verùm hoc, tanqam qod magis adhuc ab indole pugilis nostri istius abscedat, rejiciunt respúntqe meritò plerique.

Interim, nec qi simplicem ac proprium verbi usum dictionisqe notionem agnoscunt, de Apostoli mente secum invicem consentiunt. Nam Jo. Chrysostomus (cujus vestigia premit hîc, ut ubiqe ferè, Theophylactus) μὴ εἰδέναι αὐτὸν, ὅτι ἀρχιερεύς ἐστι, *nescivisse* reverâ contendit Apostolum, *fuisse Pontificem Ananiam* istum; nec id minùs verisimile, qum & Apostolus diu Hierosolymis abfuisset, ipsúmqe inter alios multos confidentem conspicaretur, havd notabili aliqo indicio à reliqis distinctum. qibus adjici potest eis temporibus, nunc à præfectis Romanis, nunc à regibus Judæis, pontificiam dignitatem modò huic, modò illi delatam, eisdémqe pavlò post pro libitu ademptam denuò, ut intra annum eandem tres qandoqe Pontificatum gessisse referantur. His ergo calculum dant suum Th. Cajetanus, Isidorus Clarius, Bened. Aretius, & eruditissimus Rich. Montacutius noster, *ad Origines Ecclesiasticas appar. 6. §. 32.* qibus & ipse lubentissimè

 accedo.

accedo. At Vir Cl. Andreas Rivetus (qem pavci, opinor, hîc comitantur) aliô istic concedit. in *Isagog. ad Scr. Sacr. cap.* 21. Neqe enim ambiguum opinatur fuisse, utrùm Ananias Pontifex esset, sed an ille istud locutus fuisset. *Id*, inqit, *mihi verisimile est, avdivisse qidem Pavlum vocem emissam ab aliqo ex eis qi ad judicandum sederant; neqe tamen sciviſſe è qonam eorum vox profecta erat. A pontifice avtem profectam non putavit, cùm propter ejus avtoritatem, à qâ indignum erat tam præcipitem offensionis significationem editum propter simulatam saltem sanctitatem, a qâ tam iniqa vox non videbitur eruptura. Accedit qòd concilium illud non fuerat coactum in loco consveto, ubi definitus esset judicantium seu deliberantium ordo, pro cujusqe dignitate & merito, sed prope arcem, qò accersitus fuerat à tribuno, & ubi Pavlus erat. qod illud indicat*, cap. 22. v. 30. jussit sacerdotes ἐλθεῖν venire. *Avdivit ergò Pavlus vocem in turbâ, & illi à qo emissa vſt denunciavit paratam esse à Domino pœnam. qi avtem cum Pontifice venerant, omnes ad judicandum sedebant.* Verùm ratio prior parum, puto, ponderis apud illos habebit, qi novit qales Pontifices eo seculo extiterant. altera sententiæ priori (cui ego itaqe potiùs adhæreo) favere magis videatur.

Cæterùm ambigitur, utrùm reverâ Pontifex summus fuerit tunc temporis Ananias iste, necne: qod virum summum negasse suprà monuimus. Et Josephus sanè Ananiam istum Pontificem, ante procurationem Judaicam Felici demandatam, Clavdio imperante, tradit à Numidio Qadrato Romam missum. *antiqit. l.* 20. *c.* 5. Jonatham verò Ananiæ sub Felice substitutum, havd diu postea, circa tempus secessionis Ægyptio illo avtore factæ, de qo mentio fit Act. c. 21. v. 38. Felice ipso cædem procurante, interemtum. Huic cæso Ismaelem Phœbei filium succesſiſſe: cui Romæ detento Josephus Simonis filius sub Festo ab Agrippâ Rege suffectus sit, Ibid. c. 7. Itaqe Ananiæ hujus, sub id tempus, qo de Pavlo cognitio ista est habita, Pontificatui locus nullus relictus videtur. Nodum hunc Baronius Cardin. *annal. tom.* 1. *ad annum Christi* 58. non tam solvit, qàm scindit & secat, Josephum erroris manifesti incusando. Mitiùs meliùsqe Jo. Calvinus, qi difficultatem istam triplici ratione conatur expedire. Primò

itaqe

itaqe Ananiam iſtum ab eo qem Joſephus ſub Clavdio collocat, alium eſſe ſuſpicatur: *qúmqe inter Ananiam priorem illum & Iſmaelem vacuum aliqod tempus reliqerit Joſephus, fieri poſſe putat, ut Ananias iſte ſummum ſacerdotium intermedio illo tempore obtinuerit.* Verùm ſuſpiciones reverâ meræ iſtæ, minúſqe probabiles videntur. neqe enim alius Ananias videtur iſte, qàm ille ſub Clavdio Nedebæi filius Joſepho Canei an Camydæ filio ab Herode ſuffectus. Joſeph. *antiq.l.*20.*c.*3. Tum inter Ananiam & Iſmaelem Jonathas à Joſepho collocatur. *ibid.c.*6. Nec diſpliceret viri doctiſſimi conjectura, ſi pro Ananiâ Jonatham dixiſſet. inter Jonatham enim Fœlicis fravde ſublatum, & Iſmaelem hujus loco ſubſtitutum, videtur temporis ſpatium aliqod interceſſiſſe, qo Ananias havd ita pridem loco amotus, Pontificis exeqi munus potuerit. Verùm alias ſuggerit Vir clariſſimus probabiles magis conciliandi rationes. Secundò igitur ἀρχιερέα iſtic *ſacerdotem primarium* magis qàm *ſummum* ſignificare poſſe monet. Et reverâ ſub Chriſto inter homines agente, Annas ſimul & Cajaphas ἀρχιερεῖς prædicantur, Luc.c.3. v.2. de qo loco videri poturunt Joſ. Scaliger. in *prolegom. ad theſavr. tempor.* Dion. Petavius *de doctrin. tempor. l.* 10. *c.*55. Cæſ. Baronius *annal. tom.*1. *ad ann.*31. §.8. Rich. Montacutius *ad Origin. Eccleſ. appar.*6. §.59—79. & Joan. Seldenus *de ſucceſſ. in Pontific. Ebr.l.*1. *c.*12. Qin & Joſephus, *bell. Jud.l.*2.*c.*21. πρὸ ἀρχιερεῖς Ἰωνάθαν καὶ Ἀνανίαν, à Qadrato refert Romam miſſos. qum tamen Ananias, non Jonathas, qi Ananiæ poſteà ſuffectus exiſtimatur, ſummum ſacerdotium tunc tenuiſſe videatur; & ab eodem hiſtoriam eandem planè narrante, *antiqit. l.*20.*c.*5. οἱ περὶ τὸν Ἀνανίαν ἀρχιερέα Romam miſſi dicantur. Tertiò, reſpondet, *fieri potuiſſe, ut Ananias iſte, cum ſtrenuus cordatúſqe haberetur, tantaqe extiterit avtoritatis, ut penes ipſum ſumma gubernatio conſiſteret, qamvis alii geſtarent honoris inſignia, abſentis occaſione aliqâ Pontificis, qiſqis is tunc fuerit, vices obiret.* Joſephus certè *antiqit.l.*20.*c.*8. de Ananiâ iſto verba faciens, & ἀρχιερέα, prout Lucas hîc eum nuncupat, & potentiam ac avtoritatem ejus, qibúſqe artibus eandem ſit conſequtus, ſic prædicat; Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας τοσοῦτον ἐπῆρε δόξης καὶ τὸ φρόνημα ἐπὶ πολλῶν

τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀξίωσιν λαμπρυνόμενος. ἰδίᾳ δὲ χρημάτων περιουσίας καὶ εὐμενείας ἦν ἐπ' Ἄλβινον καὶ ἐπ' ἀρχιερέα διαφανέστατον. *Pontifex autem Ananias ad majorem crevit indies existimationem; benevolentiámque & honorem amplissimum apud cives suos assecutus est. Pecuniarum enim acquirendi artifex fuerat: donisque cùm Albinum* (præfectum Romanum) *tum & Pontificem ipsum* (is Jesus, sive Jason, Damnei filius tunc erat) *donis assiduè deliniebat.* Hæc cum Josephus tam disertè commemoret, havd videtur adeò conjectu difficile, cur Ananiam *Pontificem* Lucas hîc dixerit, & rursus itidem cap.24.v.1. Et confirmantur viri doctissimi conjecturæ novissimæ; qæ mihi planè satisfaciunt. Fallitur interim Camerarius, qi Ananiam hunc Annæ, cui Cajaphas gener fuit, Ioan.c.18. v.13. qíqe Ananus Iosepho dicitur *antiq. l.* 8. filium fuisse opinatur. cum Nebedæi filius fuerit; ut ex Iosepho suprà est indicatum. Fallitur & Cl.Beza, qi nominis similitudine deceptus, Ananiam hunc avtumat Iosepho dejecto in Pontificatu sub Festo suffectum, & Iacobi fratris Domini cædem ab eodem procuratam. Siqidem nec sub Festo, sed sub Albino, post Festum defunctum, Iosephus ille loco depulsus est. nec Ananias Nedebæi, sed Ananus Annæ sive Anani illius filius natu minimus, patri cognominis, Iosepho illi suffectus est; hujúsqe impulsu trucidatus Iacobus. Narrat enim Iosephus *antiq.l.*20. *c.*8. Annæ, sive Anano illi, fœlicitatem eam contigisse, qæ mortalium nulli alii obvenisse deprehensa sit, ut & ipse Pontificatum gesserit, & filiis ipsius, qinqe numero cum essent, qorum Ananus iste novissimus, honos idem successivè, serie tamen interruptâ, delatus fuerit. Verum error hac in parte proclivior est factus, qòd in Iosephi codicibus Ananias pro Anano non semel legatur.

Sed nimis diu emansores sumus. ad Hymnum sacrum redeamus.

Hujus extrema illa, de qibus agere occepimus, *Novit enim Jova viam justorum: via autem improborum peribit*; etiamsi, qod diximus, obscuri nihil præ se ferant, considerativs tamen pensitata observationem nobis qandam suppeditaverint, qæ usui insigni & freqenti esse qeat, ad varia sacræ scripturæ loca, in Parœmiis cumprimis, plenius explicanda. Ea est, *in antithetis*

titheſin membrum oppoſitum ſæpenumerò reticeri, ex alterius oppoſitione ſupplendum. Verbi gratiâ. In periochâ ſubjectâ antitheſin ſubeſſe nemo non conceſſerit: at verò vocabula ipſa, qibus ea eſt concepta, ſi attenderimus, vix erit, ut antitheſin aliqam deprehendamus. neqe enim *cognoſci* ſive *probari*, & *perire* ſibi invicem adverſantur. imo τῷ *cognoſci*, *ignorari*; τῷ *perire*, *perſtare* & *perſiſtere*; ſive *approbationi improbatio*, *perditioni ſalus* & *incolumitas* opponuntur. Proinde, antitheſis qô plenè conſtet, in utraqe periocha parte ex parte alterâ, ſupplendum aliqid, hoc pacto: *Novit Deus viam juſtorum; eáqe ideò conſiſtet & perſtabit: at non novit probátve, imò odio habet, viam improborum; eáqe ideo peritura eſt.* Atqe hoc ferè modo Σαρεάζει Salomon Jajrus. Vides axiomata qatuor elici, dum mutuas operas ſibi invicem fœnerantur antitheſeos membra duo illa. Crebras avtem, in Parœmiis qæ occurrunt, difficultates expediet nobis animadverſa atqe adhibita regula iſta, ubi abſqe eâ foret, antitheſis avt nulla, avt frigida admodum videatur. Exempla nonnulla, ex qibus id liqere qeat, ſubjiciam.

Parœm. c. 29. v. 6. *In tranſgreſſione viri mali laqeus eſt: juſtus avtem cantat & lætus eſt.* Havd ſatis commodè oppoſita videri poſſit *laqeo lætitia* vel *cantus*. itaqe ſupplendum in alterâ parte, qod *laqeo*, qo *pernicies* deſignatur, reſpondeat; *ſalus* ſcil. in alterâ, qod *lætitiæ* adverſetur, *triſtitia* ſive *mœſtitia*. Ita ſenſus erit. *Tranſgreſſio ſua virum improbum in laqeum ac perniciem inducit, unde mœſtitia eum ſit occupatura: at juſti converſatio eum ad ſalutem & incolumitatem ducat, habet is, unde meritò lætus hilariſqe ſit.* Inciſo priore idem dicit, qod verbis aliis c. 5. v. 22. *Capient improbum iniqitates ipſius, peccatíqe ſui funiculis conſtrictus tenebitur.* metaphorâ ab alitibus, vel feris etiam mutuata, qæ dum eſcæ inhiant, ſtringuntur laqeo, qi moleſtiam illis perniciémqe creat. poſteriore, qod ſenarius ille ex Iſidori *Soliloqiis*,

Vis eſſe lætus jugiter? vivas bene.

In eodem cap. v. 15. Virga & correptio dat ſapientiam; at puer dimiſſus ſibi, pudore afficit matrem ſuam. qum *ſapientem* filium matrem *pudefacienti* opponit, ſubintelligi monet, & correptionis beneficio fieri, ut puer, dum *ſapiens* efficitur, paren-

parentibus *decorem* ſuis conciliat; & contra ejuſdem neglectu fieri, ut puer, dum *ſtolidus* evadit, ſuis *dedecori* exiſtat.

Ibidem c.11. v.25. Excellentior eſt proximo ſuo juſtus: via avtem improborum ſeducit eos. non videtur juſta antitheſis inter *excellentem eſſe*, & *ſeduci*: & inter *proximum* & *improbum* multo minùs. ſed ſupplendum 1. ex antitheto, in priore membro, *proximo ſuo improbo.* 2. ex eâdem analogiâ, in priore membro, *non fruſtrari*; in poſteriori, *minùs excellentem eſſe*, ut ſenſus integer ſic concipiatur; *Juſtus, etiamſi id minùs videatur, eſt tamen melioris conditionis vicino ſuo, qi improbus fuerit, neqe enim ſine ſibi propoſito is unqam fruſtratur: at verò improbus deteriore eſt conditione; qia via ipſius ipſum vanâ ſpe lactat, & eſt tandem fruſtratura.*

Cap.15. v.29. *Procul abeſt Jova ab improbis: orationem avtem juſtorum exavdit.* qis non deſideret, unde oppoſitionis ſenſus integer emergat? Sic ergò pleniùs planiuſqe concipiendum fuerit. *Improborum preces Deus nullus exavdit; qia facinorum mole interjectâ, longè à ſe invicem ſunt diſterminati.* Eſajæ c.59. v.2. avditum avtem impedire ſolet loci longinqitas. qanqam iſtic ſeparat atqe ſejungit, non tam ἡ τοῦ τόπου διάστασις, qâm ἡ τῶν τρόπων διάζευξις. de qâ re videatur Hieronymus *ad Damaſ. de fil. prodig.* & Avguſtinus *in Pſal.31. de verb. dom. ſer.36. & in Joan. tract.15. Caterùm juſtorum orationem exavdit: qia prope illis, atqe propitius, adeſt.* Pſal.34. v.18. & 145. v.18,19.

Ibid. c.14. v.15. Fatuus credit omni verbo, callidus avtem advertit ad greſſum ſuum. nemo non videt ſupplendum utrobiqe aliqid. *Fatuus credit omni verbo, nec advertit qorſum tendat, avt qo pergat ipſe, verbis aliorum delinitus. at cui mens callet, non facilè loqenti cuivis fidem adhibebit, ſed perpendet ſtudioſè qo tendat loqentis dictio, nec temerè, alio ſvadente, viam ullam inibit.*

Rurſus cap.13. v.19. *Deſiderium effectum ſvave eſt anima: ſed abominationi eſt ſtultis recedere à malo.* Obſcura ſanè, nedum ut dilucida, antitheſis. ecqa enim ἀντικειμένων, qorum peculiaris ea eſt ratio, ut περὶ τὸ αὐτὸ verſentur, vel ſpecies levicula pene comparet? ad ſupplementum itaqe viciſſitudinarium confugiamus oportet. *Deſiderium effectum ſvave eſt anima.*

anima. (qod verſ. 12. dixerat, *Arbor vita deſiderium obveniens*) *iſtud autem conſequentur ſapientes; qia à malo recedunt, bonóqe dant operam lubentes: at deſiderium protractum, & fruſtratum multo magis, agritudine animum afficit.* verſ. 12. *iſtud autem ſtultis. i. improbis continget: qia à malo, cui pertinaciter adhærent, avelli non ſuſtinent.*

Eodem cap. v. 10 *Merâ ſuperbiâ vir jurgium excitat: penes conſultos verò eſt ſapientia.* ellipſis manifeſta. integrum vis ſenſum? *Vir ſuperbus, cùm alios avdire ſpernat, in jurgia & lites, imprudens prorumpit. at modeſtus qiſqe, cum conſilio locum det, prudens cavtúſqe, ſimultates fugit.* Qot nobis iſtie ſeſe documenta jam pandunt, qæ voculis illis prius involuta latebant? primò, *Superbus qiſqe conſilii impatiens.* tum, *Conſilii impatiens, imprudens eſt.* 3. *Superbia hac ratione, ad jurgia litéſqe impellit.* 4. *Iſtis ſeſe promptè immiſcere, imprudentis eſt.* 5. *Modeſtus qiſqe conſilio dat locum.* 6. *Qi conſilio locum dat, prudenter facit.* 7. *Modeſtia hac ratione à litibus jurgiiſqe liberat.* 8. *Qi litibus jurgiiſqe ſeſe abſtinet, ſapit.* Vides qàm ſenſuum ferax ſit ſacra pagina, ſi obſervationum iſtiuſmodi ope indagare atqe elicere non piguerit. Reſtant loca duo inſigniora, qæ qia variæ materiæ anſam dabunt, caput utriqe peculiare donabitur.

Cap. VII.

*Locus Parœm.*10. 2. *expenditur. antitheſeos membra ſe mutuò ſupplent.* Non prodeſſe, *pro* multum obeſſe. *Μείωσις, λιτότης.* Non bonum, *pro* peſſimo. Non amat, *pro* odit, 1 *Cor.*16.22. Statuta non bona, *qæ*, *Ezek.*20.25. Non remiſſum iri, *Matth.* 12. 32. *qid.* Ἔλλειψις *in μειώσει. Ea quandoque ſuppleta. Formula iſtiuſmodi emphaticæ.* Illavdatus Buſiris. *Maro adverſus Cornutum defenſus. Carmen proverbiale mendo liberatum.* Non proderunt, *potiùs, quàm* non proſunt, *Par.* 10.2. *gemina interpretatio. Divitiæ improbis arcis inſtar munitæ. Sed adverſus judicia divina nihil valent. Locus Eſaj.*29.15. *explicatur.*

ILluſtriorum, qos ad Capitis antegreſſi clavſulam diximus, locorum, alter eſt Parœmiarum c.10. v. 2. *Non proſunt*, vel, *non proderunt, theſavri improbitatis.* i. improbè parti, ut *mammona iniquitatis*, pro divitiis iniqè partis. Luc.c.16. v.9. *ſed juſtitia eripit à morte. non prodeſſe*, & *à morte eripere*, antitheſin plenam accuratamqe vix exhibent. ſupplementum itaqe mutuum præſtabunt ſibi duo illa antitheſeos membra, hoc modo: *Theſavri improbè parti non proſunt*, vel, *proderunt, qia tantum abeſt ut à morte eripiant, ut exitium etiam attrahant: ſed juſtitia cumprimis prodeſt, quæ à morte eripiat.* Si cum Junio vertamus, *non proſunt*, erit *μείωσις* ſive *λιτότης*; (etſi non deſunt qi diſtingvant iſta, verùm de nominibus havd multum laboramus, ubi de re ipſâ conſtat) figura, qâ minus dicitur, & plus intelligitur; & res magnæ verbis exprimuntur, qæ re ipſâ minora & humiliora videantur. *non proſunt.* i. cumprimis obſunt. ſiqidem ut Heſiodus *oper.*

——— *χαλὸ κέρδεα ἴσ' ἀτηισι.*
——— *mala lucra æqualia damnis.*

Evripides *Cyclope*:

Κέρδη πονηρὰ ζημίαν ἠμείψατο.
——— *multi grave Damnum tulerunt improbo ex compendio.*

qod idem plane Sophocles *Antigone*;

Τὰ δεινὰ κέρδη πολλοὺς ἐφάνη θ'.
Ἐλ τ' ὃ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺ πλείονας

Ἄτω-

Ἀτιμίαν ἴδοις ἂν ἢ σπουδάσαντας.
Lucrum improbè partum merum infortunium eſt.
Namqe ex iniqis qæſtuum compendiis
Multos ſecuta exitia, perpaucos ſalus.

Qod avtem *non proſunt*, pro *obſunt* plurimum, dixit, ſicut & Samuel in Hiſtor. Reg. l. 1. c. 12. v. 21. *ſeqeremini res vanas, qæ non prodeſſent.* i. qæ plurimum obfutura eſſent. Et Maccab. l. 1. c. 2. v. 21. *Non eſt nobis utile legem relinqere. non utile.* i. damnoſum valdè. χρῆμα eſt, qod in ſacrâ paginâ freqentiſſimè occurrit. Parœm. c. 20. v. 23. *Abominationi ſunt Deo pondera diverſa: & lances doloſæ, res non bona.* i. peſſima & qam numen ipſum deteſtetur. ut ſupr. c. 11. v. 1. cui geminum illud Catulli ad Alphenum;

Nec facta impia fallacium hominum cœlicolis placent.

i. valdè diſplicent, odio ſunt. ſed & qod Hymn. 5. v. 5. *Tu certè non es Deus, qi improbitate delectetur.* qódqe Homerus pariter *Odyſſ.* ξ. *v.* 83.

Οὐ γὰρ κάτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν.
Facta ſceleſta Dei non dilexere beati.

non diligunt ea, neqe eis delectantur. i. odio habent, deteſtantur: ut mox verſ. 6. & Hymn. 11. v. 5. & 45. v 7. Nec ſecus ſumendum qod Apoſt. ad Cor. ep. 1. c. 16. v. 22. *Siqis non amat Dominum Jeſum Chriſtum.* i. e. ſiqis odit & execratur; *eſto Anathema maranatha.* Sic Parœm. c. 24. v. 23. & c. 28. v. 21. *Agnoſcere perſonas hominum in judicio, non eſt bonum,* hoc eſt; peſſimum eſt. ſeqitur enim deteſtabilis affectus iſtius fructus & effectus. etenim eò improbitatis hominem rediget, ut *propter panis buccellam, juſtitiam pervertat.* i. propter rem viliſſimam: prout pſevdoprohetæ dicuntur *propter hordei pugillum Dei nomen profanaſſe.* Ezech. c. 13. v. 19. Et Eſav ὁ βέβηλος *pro juſculi ſorbitiunculâ primogenituræ jus vendidiſſe.* Geneſ. c. 25. v. 33, 34. & Hebr. c. 12. v. 16. ita de Cœlio Cato major, Gellio referente *l. 1. c. 15. Fruſto panis conduci poteſt, vel uti taceat, vel uti loqatur.* & reverâ παρρησιώδης videtur. Sic & cap. 18. v. 5. *Accipere perſonam improbi, non eſt bonum; avt pervertere juſtum in judicio. non eſt bonum.* i. peſſimum eſt, & imprimis deteſtandum. nam *qi abſolvit improbum, & qi condemnat juſtum, utrqe eſt abominationi Deo.*

cap.17. v.15. Et rurſus c.25. v.27. *Comedere mellis multum, non eſt bonum.* i. noxium eſt. qia bilem creat. & vomitum ciet. qod ſuprà dixerat, verſ.16. Nec abſimile Maronis illud *Georg.l.3.*

—*Et non innoxia* (i. noxia admodum) *verba.*

Ezekielis c.36. v.31. *Tum recordabimini viarum veſtrarum malarum, & actionum non bonarum.* i. malarum, peſſimarum, deteſtabilium. nam c.6. v.9. *mala* eædem & *abominanda* nuncupantur. Ibidem c.20.v.25. *dedi illis ſtatuta non bona, & jura per qæ non viverent.* qæ verba de Legis Moſajcæ præceptis & inſtitutis perperam cepiſſe veteres, exiſtimo: ut qæ *non bona* dicta ſint, ſed *nec mala* tamen; vel qia *non perfecta*: qia *bonum* utiqe *perfectum*; ut Ambroſ. *ep.72.* vel qia *non talia, ut homines eis juſti fiant, avt ſine eis juſti non ſint*: ut Auguſtin. *ad Hieron.ep.6.* vel qia, *etiamſi in ſe bona, cum Evangelicis tamen collata, nec bona* videantur: ut Idem *concion. ſolenn.43.* vel qia *in qibus umbra bonorum, non ipſa bona*; ut Bernard. *parvul. ſermon.28.* vel qia, etiamſi *ſuo tempore bona*, at *jam non bona, poſtqam fides venerit*; ut Hieron. *ad Avg. ep.1. Sicut omnis etiam lenis & leniter deſcendens pluvia, ſi ſit intempeſtiva, moleſta eſt.* Bernard. *in Cant. conc.* 58. qum *judicia* potiùs & *ſupplicia* intelligantur, vel *per gentes exteras illata*, ut Oecolampadius; vel *a Deo ipſo in eremo immiſſa*, ut Junius: qæ *non bona*, pro eo qod eſt *noxia* dicuntur; & *per qæ non viverent*, pro eo qod eſt, *per qa miſerè interirent.* Nec deſunt qi pari modo ſumant dominicum illud, Matth. c.12. v.32. *non remittetur, neqe in hoc ſeculo neqe in futuro.* pro eo qod eſt, in utroqe ſupplicia luet acerbiſſima. certè ita capiendum in decalogo de perjurii reo illud, Exod.c.20.v.7. *non inſontem habebit.* i. acerrimè vindicabit, docet Spiritus Sanctus ipſe per Zacariam vatem c.5.v.3,4. Sic qoqe Parœm. c.17.v.21. *pater ſtulti non gavdebit.* i. plurimum contriſtabitur. nam in priore membro dixerat; *Qi ſtolidum gignit, ad mœrorem ſibi.* ſed de hoc loco ampliùs infra videbitur. interim pari modo Homerus *Iliad.æ. v.330.* dixit,

——ὡς ἄρα τὸν γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς·
ἀλλ' ὔκ ρα λυπήθη, ἐπιλοσθη. *non gavdebat.* i. *valdè contriſtabatur*, inqit Evſtathius; monens ſimul εἶναι τῆς ῥήτορικῆς

πρᾶγμ, ἀντὶ καταφάσεων ἐνιαχοῦ χρῶνται τῷ χ^ῳ ἀποφάσεσι. rhetoribus familiare esse, ut affirmationum loco schemate eleganti, quod negativis constet, utantur. Hujus plura idem congessit exempla partim ex eodem poetâ, quale est illud è contrario, *Iliad.o. v.*155.

——ἀλλ᾽ σφῶϊν ἰδὼν ἐχολώσατο θυμῷ.

non succensebat. i. ἠδύνθη, ἐχάρη, *lætatus est, gavisus est.* cui geminum Maronis illud *Georg.l.*3.

Nec tibi displiceat.—— i. *valde placeat.*

Servius, partim ex aliis avtoribus; Herodoto, de Zamolxide *l.*4. Ὁμιλήσαντα Ἕλλησίων τῷ τῶν ἀνεπιστήτῳ σοφιστῇ, Πυθαγόρᾳ. i. τῷ σοφωτάτῳ. *non insipientissimo.* i. *sapientissimo.* Sophocle de Oedipo exule. —— ὦ πάντ᾽ μοῖραι δ᾽ δαιμονίσαι ἀχόπτε. ἀντὶ Ϝ, ἢ χ^ῳ δυσδαιμονίας ἐχάπτε. *Sortis quod fœlicitatem non primæ.* i. *quod infelicitatem ultimæ.* Schol. at contrà Naso *Ponti l.*1. *el.*6. *non ultimus*, pro primo.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos.

hoc est, quod alibi, *Trist.l.*4. *el.*5.

—— *dilectos inter sors prima sodales.*

Et quod Flaccus, *carm. l.* 2. *od.* 7. *Pompei, meorum prime sodalium.*

Et Maro *Georg. l.*3.

Nec tibi cura canum fuerit postrema.——

i. *prima, magna sit.* Serv.

Ejusmodi complura etiam ex Latinis adducit H. Stephanus ad illud Corinthi *de dialect.* § 40. qo loco monet ille Atticorum esse, τὸ λαμβάνειν τὰς δύο ἀποφάσεις ἀντὶ μιᾶς καταφάσεως. *negativa duo affirmativi unius loco usurpare:* qo ostendat, non esse horum peculiare, aliis etiam in usu freqenti satis.

Observat avtem Evstathius, & ex eodem Stephanus idem, *ellipsin* qandam in formulis istiusmodi delitescere, qæ suppleatur etiam qandoqe, ubi ἑπτικῶς eadem enunciantur. sic de Ajace, qi Hectorem prostraverat, *Iliad.o. v.*11.

——ἐπὶ ὃ μιν ἀφαυρότερ᾽ βαλ᾽ Ἀχαιῶν.

qando, ἐκ ἀφαυρότερ᾽, *qi non Achivorum maximè imbellis*, dixit, νοητέον ἐξ ἐναντίου, *subintelligendum è contrario* (& necessariò etiam exigente id poetæ argumento) ἀλλ᾽ ὁ ἀνδρειότατ᾽, *sed qi fortissimus fuerat.* sicut *Odyss.* 5. sententiam

tiam explevit, ubi de Antinoo Ulysses,

— ὔ μοι δοκέουσι ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν
Ἔμμεναι, ἀλλ' ἄρειος —

Sic *Iliad. Λ. v.*330.

—Κεφαλλήων εἴχες ὐκ ἀλαπαδνάς,

supplendum, ἀλλ' ἀνδρειότατος. *non ignava, sed strenuissima.* quale & Maronianum illud, *Georg. l.*2.

Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.

sed strenuissima. est enim Liptotes (Litotes f.) *figura.* Servius. Ἢ γὰρ τοιαῦταις ἄρσεσι χρὴ συμπαλαίειν ἢ θῆλυ· ὅτι τῇ ἀποφάσει σωτικόν τὸ ἐναντίον. *Oportet enim,* inqit, *unâ cum privationibus istiusmodi etiam positivum aliqid subavdiri: vel, unâ cum negatione negati contrarium unâ admitti.* sicut alibi, ubi pleniùs poeta sese exprimit, factum, *eod. lib. v.*224. de Agamemnone,

οὐδὲ καταπτώσοντ' οὐδ' ὐκ ἐθέλοντα μάχεσθαι,
Ἀλλὰ μάλα σπεύδοντα —
Non trepidantem, avt nolentem certamen inire,
Sed promptum valdè. —

& *Il.* θ. *v.*253, 256. de Diomede,

Ἐνθ' ὔ τις πρόσθεν Δαναῶν, —
Ἀλλὰ πολὺ πρῶτος. —
Hoc ubi nemo prior Danaûm, —
Longè primus at ipse. —

ubi Evstathius, κάλλος ποιῆ τὸ χεῖρον ἢ θῆλυ, *addit dictioni ornatum qendam, quod utroque modo, tam privativè, quàm & positivè enunciatur.*

Idem & in sacris literis deprehendas. In Histor. Reg. l. 4. c.6. v.10. *Præmonendo vates servaverat illum non semel avt bis,* sed sæpius, scil. Hymn.22.v.6. *Tibi confisi sunt, & non sunt confusi.* sed erepti scil. & liberati. quod verbis immediatè prægressis dixerat. Hymn.107.v.38. *Itu benedicit eis, ut multiplicentur valdè; nec jumenta eorum minuit:* supplendum, sed avget plurimùm. Matth.c.2.v.6. *Et tu, Bethlehem,* οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, *non es minima inter principes Jvdæ. non es minima,* utcunqe esse videaris, *sed præcipua* censenda potiùs. hoc enim poscit omninò quod sequitur; *Ex te prodibit, qi populi meicaput futurus est.* de qo loco, alibi, Deo dante, dicetur.

Obser-

Obſervant amplius in formulis iſtiuſmodi ἥμερον ſanè havd contemnendam, A. Gellius *noct. Attic. l.2. c.6.* & poſt Gellium Jo. Druſius, licet Gellium non advocet, *obſerv. l.1. c.22.* Gellius ſiquidem, pro Marone apologiam inſtituens adverſus Annæum Cornutum, qi tanqam *incurioſe & abjectè poſitum*, illud reprehendebat, *Georg. l.3.* qòd *Buſiridem illavdatum* dixerat. etenim *parum idoneum eſſe verbum iſtud, neqe ſatis eſſe ad faciendum hominis tam ſcelerati deteſtationem*; qi qòd hoſpites omnium gentium immolare ſolitus fuit, non *lavde indignus*, ſed *deteſtatione execrationéqe totius generis humani dignus* eſſet: reſpondet: (ut ὄνειρον πρέπειν, Ὁμηρικῶς, referamus) 1° *Lavdare*, priſcâ lingvâ ſignificare, *nominare appellaréqe: illavdatum* ergò *qaſi illavdabilem* dici, *qi neqe mentione avt memoriâ ullâ dignus, nec unqam nominandus ſit.* (perinde ac Apoſtolus ad Eph. c.5. v.3. μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. *nec nominetur apud vos.*) 2° *neminem qenqam tam efferis eſſe moribus, qin faciat avt dicat nonnunqam aliqid qod lavdari qeat.* unde proverbii vicem habeat,

Πολλάκις δὲ κἠπιτυχὸς ἀνὴρ μάλα ἐπαίνου ἄξιον.

(prout in Macrobii, qi Gellium tranſcripſit, codicibus *Saturnalium l.6 c.7.* legitur, qod viticſe plerunqe efferri ſolet, cum muneris omnium plane antiqiſſimi injuriâ inſigni,

Πολλάκις δὲ κἠπιτυχὸς ἀνὴρ &c.)

ſed enim qi omni in re, atqe omni tempore lavde omni vacet, eum illavdatum eſſe eúmqe omnium peſſimum eſſe atqe deterrimum. itaqe illavdatum finem eſſe extremæ malitiæ: ſicut contrà Homero, qi *non virtutibus appellandis*, ſed *vitiis detrahendis lavdare ampliter* ſoleat, ἐπαίνων, ſive *inculpatus, inſtar eſt abſolutæ virtutis*; qum *culpæ omnis privatio inculpatum faciat.* Eâdem ratione contendit eundem *Stygiam paludem inamabilem* dixiſſe, *Æneid. l.6.* ut illum κακῶν *lavdis* ἄμοιρον, ita iſtam κακῶν *amoris* ἄμοιρον deteſtatus. Frigida ergo & jejuna nimis Servii annotatiuncula, qi *illavdatum*, qaſi *illavdabilem* dici, *non qòd non ſit à qoqam lavdatus*, qum Iſocrates Buſiridis encomium ἐπαινετικῶς dederit, ſed *qia lavde indignus.* qibus adjici poterat illud ejuſdem de Pallante dictum *l.11.* & ab Ennio mutuatum, ſi Servio fides;

——*qem non virtutis egentem*

Abſtu-

Abſtulit atra dies.——

nihil ἀμφαπότιεον dici poterat, cum exile tamen & jejunum videatur. ſiqidem ut Hieronymus *adv. Pelag. l.1. Omnia habere, & nullius indigere, virtutis eſt divinæ, non humanæ.* ſummum itaqe virtutis culmen & cacumen attigit, qi ita virtutibus eſt inſtructus & exornatus, ut virtutis jam non egeat, hoc eſt, ut nec ulla illi virtus, nec virtutis ullius qicqam deſit. Druſius pariter, Gellii veſtigiis inſiſtens, *ieiunè*, inqit, *dictum videri poſſit ad dolorem exprimendum, qem concipiunt parentes ex filiorum ſtultitiâ. ſic de hoc & ſimilibus judico. Nemo qiſqam unqam ſic dolet, qin idem aliqando gavdeat. ſed enim qi omni momento dolet, is verè dicitur non gavdere. Eâdem, credo, ratione, ut ſignificaret opes improbè partas inprimis obeſſe,* Non proſunt, *inqit*, theſavri improbitatis. *nam qod in omni tempore nocet, de eo veriſſimè enunciatur, non prodeſt. Sicuti enim non gavdere χτ χίρησιν gavdii, ita non prodeſſe intelligitur χτ χίρησιν utilitatis.* Hoc ſi ſeqimur, malim cum Piſcatore, ἀντιλιξεὶ reddere, *non proderunt*: ut futurum, actum continuum notet. *non proderunt*: hoc eſt; *nec proſunt, nec unqam ſunt cuiqam qicqam profectura.* qanqam poteſt ad certam etiam aliqam juvandi opémqe ferendi rationem peculiariter reſpici, qod ex antitheto eruatur, ubi *juſtitia à morte eripere* perhibetur. Eam ergo ſic accipe. *redemptura vitæ viri, divitiæ ſuæ*; inqit Salomon Parœm. c.13. v.8. unde illud,

Ζωχὶ, χ' ἀλέξαι ἄπτινα. *Iliad.* ξ. *v.*46. & λ. *v.*131.

Et *ſubſtantia ſua divitibus, tanqam urbs árxve robuſtiſſima, murúſqe editiſſimus* habetur, qâ adverſus omnes caſus & incurſus probè muniti, incolumes perpetim conſiſtant. cap.10. v.15. & c.18. v.11. unde illa Pindari animo exorta dubitatio, cujus meminere Plato *de repub. l.2.* & Cicero *ad Attic. l.13. ep.37.* Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας ἀναβὰς, χ' ἁμαυτὸν ὕπτιον ἀμφέξας διαβιῶ, δίκᾳ μοι νόος, ἀπήχθειαν ἰδπῖν. *Utrùm juſtitiæ murum excelſum, an fraudis obliquæ conſcendam, méqe ita munito, vitam tranſigam, ut verum proloqar, ambigit animus.* Et huc potiùs inclinare pleroſqe, licet exitu plerumqe, parum favſto, obſervat idem *Pyth.ode* 4. ſed in diverſum concedere profeſſus, Ἐντὶ θνατῶν φρένες ἀνὸτεραι κέρδος αἰνῆσαι μὲν δίκας δόλιον, βαχεῖαν ἐρπύσσαν ὁδὸν

βδαν

βλαν δ' ἔμοιγ. ἀλλ' ἐμὲ χρὴ καὶ ζῶ δικαιοσύνης ἐργάτ', ὑφαίνειν λευκὸν ὕλβον. *Sunt quidem mentes mortalium promptiores lucrum quàm jus laudare; viâ in posterum tamen tristi & asperâ incedentes. at me teque oportet ad jus mores componentes, fœlicitatis in futurum telam pertexere.* Hinc illa improborum confidentia, Esajæ c.28.v.15. *Cum morte fœdus pepigimus, & cum sepulcro cautum egimus. flagellum inundantis, cum transierit, non obveniet nobis:* (q.d. tuti erimus) *qia fallaciam fecimus receptum nostrum, & in mendacio nos abscondimus.* h.e. opibus fallaciâ & mendacio qæsitis, abundè satis nobis & securitati nostræ prospeximus. Atqui, inqit parœmiastes, *nihil in clade publicâ adversus discrimina profuturæ sunt opes improbitate acquisitæ. Nihil proderunt*, inqit, *opes improbè partæ.* non tantùm, qia *malè parta plerunqe male dilabuntur.* cap.13.v.11. sed qia *in die iræ* atqe indignationis divinæ, *divitiæ nihil profuturæ* sunt; cum *justitia* tamen *tunc à morte sit ereptura* cap. 11. v.4. & Ezek. c.7. v.19. Atqe hoc est etiam, qod dicitur cap.12.v.11. *Desiderat improbus præsidium adversus mala; sed radix justi tribuit istud.*

Cap. VIII.

Locus Parœm.3.34. expenditur & explicatur. Frustra alibi qærunt, qod hinc Apostoli duo. לֵץ, χάεις, gratia, *pro æstimatione, favore. Hymn.84.12. explicatur.* Κεχαεισμένη *Luc.* 1.28. *qid sit.* חיבוחא *Syrum, qid.* טוב *pro gratioso Hebr. Gloriam qi minus ambiunt, magis assequuntur. Locus Rom.6.* 23. *expenditur, & contra Calvini & Piscatoris sententiam exponitur.* ὀψώνιον stipendium. χάεισμα, & χαεισίεον, donativum. שָׂכַר מָחַן Mereri, *pro* consequi, impetrare.

SEqitur alter è Parœmiis locus, qem explicandum illustrandumqe suscepimus. Habetur is Parœm.c.3. v.34. in hæc verba: *Derisores ipse deridet: humilibus autem dat gratiam.* Græcus; κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάειν· qem & Jacobus Apostolus ἀντιτάσσεται in epistolam suam transtulit, cap.4. v.6. & Petrus itidem, epist.1. c.5. v.5. ut

 mirum

mirum ſit interpretes plures, nec obſcuri nominis nonnullos, alibi fruſtrâ qæſiviſſe. Sed rem, qâ de agitur impræſentiarum, quod attinet; inter *deriſores* & *humiles*, obſcurior pavllo videtur antitheſis: ſed nec inter *deridere* & *gratiam dare*, oppoſitionis ratio adeò liqidè ſe prodit. In priore itaqe membro ſupplendum reverâ, quod Græcus interpres exhibet, nec tamen excludendum, quod textus ipſe ſuppeditat. *ſuperbos*, cum *deriſores* exiſtant, *Deus derider*, i.ut Rabbi Levi, *deridendos proponit*, facit ut aliis ludibrio ſint. hoc eſt, quod aliis verbis poſt Jobum c.12. v.21. Hymnographus hymn.107.v.40. *Effundit contemptum ſuper eos.* Sed adhuc tamen aqa nobis iſtic hæret. nam *contemptui exponere*, & *gratiam tribuere*, prout vulgò ſolet exponi, de gratiâ nimirum internâ, qæ humilibus donetur, cùm ſuperbis denegetur, ſibi invicem ἀντικόσμους parum commodè videntur. Cæterùm ſuppetias nobis hac in parte feret Venerabilis ſocer meus D. Carolus Pinnerus, qi in *concione*, qam, *de 1 Petr.c.5.v.5.* apud ſuos habitam, in publicum emiſit, non de *gratiâ* illâ *internâ*, ſive Spiritus Sancti & Sanctificantis dono, qo modo interpretum pleriqe accipiunt; ſed de *gratiâ externâ*. i.honore, æſtimatione, favore, acceptatione, apud homines, bonos cumprimis, ſed & neqiores qoqe nonnunqam, clavſulam illam intelligendam eſſe, clariſſimè oſtendit. Atqe ita etiam vir literarum Hebraicarum peritiſſimus Jo. Mercerus ex Abrahâ Eſdræ filio, *dat gratiam*, i. *apud homines gratiam conciliat*. Acceſſit proximè Sebaſt. Caſtellio, qi vertit. *Deus ſuperbis adverſatur, & modeſtorum favtor eſt*. Verùm aliud eſt ſimpliciter *favere*, avt etiam *favtorem eſſe*, aliud χάριν διδόναι, *gratiam dare*, ſive *conciliare* apud alios; uti mox videbitur. χάρις interim hoc ſenſu apud Helleniſtas, qos vocant vulgò, paſſim ſumi, neſcire non poteſt, qiſqis horum ſcripta vel à limine ſaltem ſalutavit. Verùm, ne extra oleas, qod ajunt, ita in ſacris ſcriptis חן cui χάρις Græcorum reſpondet, freqentiſſimè uſurpatur. ſpectant enim horſum formulæ illæ, חן מצא qod Græcus nunc χάριν εὑρεῖν, nunc χάριν ἔχειν, ut Exod.c.33. v.12. vertit, *gratiam invenire, habere, obtinere*. i. in gratiâ apud aliqem, ſive alicui acceptum, eſſe. Geneſ.c.6. v.8. & c.39. v.4. & c.50. v.4. & alibi paſſim uſurpata: item נשא חן *gratiam ferre*;

ferre; qod Græcus tamen pari modo reddidit, qo prius illud. Eſter.c.2. v.15,17. & c.5.v.2. Et, נָתַן חֵן χάειν διδόναι. *gratiam & favorem alicui conciliare.* Exod. c.3. v.21. & c.12. v.36. qo modo & illud accipiendum ſentio, Hymn.84. v.12. יְהוָה חֵן וְכָבוֹד יִתֵּן Jova ſol ſcutúmqe nobis; *gratiam gloriámqe dabit nobis.* Græcus, χάειν καὶ δόξαν δώσει θεός. qæ eadem duo conjunxit, ſed ordine inverſo, & Sirachides c.24.v.19. καὶ δόσι μνημόσυνον καὶ δόξης καὶ χάειτος. nam qod de *gratiâ* impræſentiarum, *gloriâ* in futurum poſt hanc vitam largiendâ, accipiunt pleriqe, coactius videtur, nec loci iſtius. Hoc in ipſo Parœmiarum codice, non poſſunt aliter intelligi illa, Cap. 22. v.1. נִבְחָר שֵׁם מֵעֹשֶׁר רָב מִכֶּסֶף וּמִזָּהָב חֵן טוֹב *Optatius eſt opibus amplis nomen,* (bonum ſcil. qod aliâ uſus collatione dixit Eccleſ.c.7. v.1. טוֹב שֵׁם מִשֶּׁמֶן טוֹב *melius eſt nomen unguento bono*) *& argento vel auro etiam gratia bona.* i. *exiſtimatio.* ita enim malim cum Piſcatore, qàm cum Junio à חֵן divellere; ut eo modo טוֹב iſtic, qomodo in Eccleſia ſte, ad מִן reſpiciens comparativi locum ſuppleat. Cap.1.v.9. לְוִיַּת חֵן *adjectio gratiæ* (i. ornamentum gratioſum, honorificum) *erit capiti tuo, & torques faucibus tuis,* i. collo tuo. Et cap.4. v.9. תִּתֵּן לְרֹאשֵׁךְ לְוִיַּת חֵן *dabit capiti tuo adjectionem gratiæ; & coronam ornatus tradet tibi.* Græcus κίραον χαείτων utrobiqe reddidit. Eccleſ.c.9. v.11. *neqe velociam eſſe curſum, neqe validorum prælium, neqe ſapientum cibum, neqe prudentium opes, neqe peritorum* חֵן *gratiam.* i. neqe in gratiâ & æſtimatione aliqâ eſſe peritos. In Novo pariter Inſtrumento, Lucas ſic uſurpavit, c.2. v.52. προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάειτι παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις. *proficiebat ſapientiâ & ſaturâ, & gratiâ apud Deum & homines.* nec aliter ego τὸ χαειτῶσαι ceperim Epheſ. c.1. v.6. ἐχαείτωσεν ὑμᾶς, *gratioſos reddidit, acceptos habuit:* Et τὸ χαειτωθλῶσαι, Luc.c.1. v.28. in ſalutatione angelicâ, χαῖρε κεχαριτωμένη, *ave gratioſiſſimè habita, acceptiſſima,* qæ in gratiâ atqe exiſtimatione apud Deum es ſingulari. ita enim malim reddere, qàm avt cum Syro, qi à Latino interprete havſiſſe videtur; מליא טיבותא *gratiâ plena:* avt cum Bezâ, *gratis dilecta,* qaſi נרצה dicatur: avt etiam cum Fullero noſtro & Dom. de Diev, *benignè habita,* הסירה (neqe enim occurrit mihi locus

 ullus,

ullus, in qo חסיד vel חסידה passivè usurpata sic reperiantur, pro eis *qi benignitate afficiuntur*, sive *qibus benigne fit.*) avt deniqe cum aliis qibusdam, *misericordiam consecuta*, רחומה Hosh.c.2.v.1. nec displicet tamen prorsùs Ang. Caninii Syriacum רחימתא ad qod exprimendum is *vocabulum istud effinxisse ac fabricatum esse* affirmat, non *Angelum*, uti Scultetus eidem affingit in *delit. Evang. c.5.* (qod qi potuit, cum virginem Syriacè compellaret?) sed *Evangelistam*; *qum apud Græcum avtorem nullum extaret.* qod nec usqeqaqe tamen verum est: qandoqidem apud Sirachidem etiam occurrat; uti mox videbitur, & Scultetus itidem observavit. Cæterùm Caninius ipse vocem hanc vult *eam* significare, *qæ gratiosissima atqe acceptissima sit.* qo sensu respondere videtur potiùs vox Græca Lucæ usurpata Hebræorum τῷ נחנה vel מחנה Syriacè מחננא qod & V.Cl. Fred. Spanhejmium monuisse animadverto, *dub. Evangel. tom.1. dub.23. sect.26.* qò eôdem facit & qod D. Jacob. Cappellus in *Histor. sacr. & exotic. ad A.M. 3591. Ananiæ* nomen חנניה (cui geminum est *Ananielis* הנאל & *Elananis* אלחנן) interpretatur κεχαριτωμένον τῷ Θεῷ; sicut & *Annibalis* nomen חניבעל nempe κεχαριτωμένον τῷ Baal. at dilutiùs pavlò Castellio, *accepta*; Et Erasmus, *gratiosa.* subjungit Beza, sed aliò potiùs inclinare visus, (qod magis probem) *gratiam consecuta.* Piscator, *gratiam nacta: ad verbum gratiata.* atqe hanc versionem, cum nostrâ eandem ferè, confirmant Gabrielis, qi optimus sui interpres meritò censendus, verba mox seqentia v.30. qibus dicti ratio redditur, εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ· nec secus Sirachidæ c.18. v.17. ἀνὴρ κεχαριτωμένος, pro *homine, qi cum in summâ sit apud homines æstimatione*, plus apud eos valeat hac ratione, qam *oratione blandâ* avt *largitione* etiam *profusâ* alii. Qin & טיבותא illud Syri eodem sensu accipi potest. siqidem & Hebræis טוב pro *gratioso* hoc ipso significatu accipitur. sic enim de Samuele dicitur Histor.Reg. l.1.c.2.v.26. טוב *gratiosus fuit cùm apud Deum, tum apud homines.* & Syris טיבותא pro *gratiâ.* i. favore, existimatione. sic enim Act.c.4. v.33. pro eo qod Lucas dixit, χάρις μεγάλη ἦν, *gratia magna erat super eos omnes.* i. ἦσαν, ἠκολούθει, *seqebatur, comitabatur eos*, ut Casavbonus exposuit: qòdqe supra cap.2.v.47. dixerat,

χάριν

χάριν εἶχον πρὸς ὅλον τὸν λαόν. *in gratiâ erant apud populum totum*; Syrus habet טַיְבוּתָא וְרַחֲמָא Et Luc. c.2. v.52. itidem: ubi idem planè qod de Samuele suprà, de D. Jesu dicitur: qod non aliter potest eis locis intelligi. Theophylactus itidem illud Lucæ c.2. exponens: ἐχαριτοῦτο καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώποις τυτέστι, καὶ τῷ θεῷ διάφορα ἔπραττε, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐναντία. Verùm ut ad pensum redeamus. In Parœmiastæ dicto *gratiam* hoc modo sumendam, havd est difficile probatu. Svadent apud Petrum; cum qod præmiserat, *Humilitatem*, sive, *animi submissionem, induite, eâque vos spectabiles reddite*: tum & qod subjunxit; *Submittite vos Deo, ut tempestivè vos attollat.* Cogunt etiam & evincunt, qæ apud regem Parœmiastem sequntur, *Honorem possidebunt sapientes, stulti verò ignominiam ferent.* ista enim mihi ex omnibus versio maximè placet, qæ est D. Piscatoris: avt qocunqe tandem modo vertere libuerit, nam חֵן i. *gratiæ* τὸ קְלוֹן i. *ignominiæ* opponitur: & per כָּבוֹד sive *honorem* & *gloriam* exponitur. Hoc igitur volunt & Parœmiastes & Apostoli: *Superbis*, qi & *derisores* esse assolent, *Deum ex adverso sese opponere*, ut non honorem tantùm ac æstimationem, qem tantopere ambiunt et miserè depereunt, ab eis spernat procul, sed & *ludibrio* sæpenumero & *derisui exponat*; qum *modestis submissóqe animo præditis* apud qosvis, etiam iniqiores alioqi & neqiores qandoqe, *honorem, gratiam, existimationem conciliet*: qam reverâ sæpenumero consequntur maximè, qi eam minimè concupiscunt. qod de Catone minore Salustius in *Catilina*; *Qo minus gloriam petebat, eo magis adsequebatur.* Huc denique referas illud Parœm. c.11.v.2. *Ubi venit superbia, venit ignominia: apud modestos autem est sapientia.* qod si accuratiùs excusseris, idem est ac si diceretur. *Superbiæ assecla est ignominia; & superbia itaqe insipientiæ assidet: modestiæ verò comes est honor & gratia; & hæc itaqe sapientia meritò deputatur.*

Unicum ubi adjecero, caput hoc clavdam. *Gratiam* pro *honore & existimatione* apud Parœmiasten, sumi ex *ignominiæ* oppositione monuimus: χάρισμα pariter pro *mercede* sive *præmio*, sed *ex gratiâ collato*, ab Apostolo usurpari, ex ὀψώνια sive *stipendii* contrapositione censemus. Locus Apostoli est

ad Romanos c.6. v.23. in hæc verba. τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος. Ad eum Piſcator; *Non dicit,* ἡ δὲ ζωὴ αἰώνιος χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐστι; *ſed* τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος. h.e. *ſtudium ſanctitatis, quod proficiſcitur ex dono Dei. hoc enim poſcit antitheſis. metonymia efficientis eſt.* ἐστὶ *vita æterna. i. affert ſecum vitam æternam. phraſis metonymica: qualis cap.7. v.7. num lex peccatum, ſcil. parit? confirmat hoc articuli diſpoſitio, ſententiarum antitheſis, ſcopus quæſtionis.* Hæc Piſcator, & Piſcatore prior Jo. Calvinus; à qo is mutuatus eſt. *Falluntur,* inqit, *qi hanc propoſitionem ſic convertunt,* Vita æterna eſt donum Dei: *qaſi juſtitia (vita æterna,* leg. puto) *ſit ſubjectum, donum Dei ſit prædicatum, qia nihil ad antitheton ille ſenſus pertineret: verùm ut jam docuit, peccatum non niſi mortem parere; ita nunc ſubjungit, qod donum iſtud Dei, noſtra ſcilicet juſtificatio & ſanctificatio, vitæ æternæ beatitudinem nobis afferat. vel, ſi mavis, qemadmodum mortis cauſſa peccatum eſt, ita juſtitia, qâ per Chriſtum donamur, vitam æternam nobis reſtituit.* Verùm, ut rectè Beza obſervat, *Etiamſi in priore qidem enunciato, mors ſit ſubjectum, ſtipendium peccati attributum; & ex adverſo, in poſteriore enunciato, vita æterna, ſubjectum, donum, attributum; conſtabit ſibi antitheſis.* Ego ſanè qo loco iſtic alterutrum habeas, modo de vocabulorum ſenſu conſtet, ciccum havd interduim; qum reverâ ad antitheſeos rationem ne tantillum qidem faciat. Interpretationem verò loci, qam tuentur illi, qod attinet; poſſent qidem exempla phraſeos iſtiuſmodi aptiora produci, qàm qod eſt à Piſcatore adductum; illud, Joan. c.12. v.50. ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν. *mandatum ipſius eſt vita æterna.* i. ad eam perducit, vel producit eam. Et ibid. c.17. v.3. αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε. *hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant.* i. tui cognitio vera vitam parit æternam. qod idem & in epiſtolâ ejuſdem 1. c.5. v.20. habetur. verùm χάρισμα iſtic pro *ſanctitatis ſtudio,* coactum ſatis videtur: nec ad prædicationem figuratam & inſolentem confugere qicqam opus eſt, qum ſimplex planè ad manum præſtò ſit. tantum avtem abeſt ut antitheſeos ratio ſenſum hunc exigat, ut repudiet potiùs & reſpuat. Siqidem 1° non *peccatum & gratia,* ſed *peccatum & Deus,* tanqam Domini avt Imperatores

tores ſibi invicem adverſi, ut in prioribus, verſ.22. ita iſtic opponuntur. tum illius *ſtipendio* iſtius χάεισμα. itaqe τῷ ὀψωνίῳ ſive ſtipendio qod ex adverſo reſpondeat. & præmii rationem qandam habeat, χαρίσμα & nomine aliqid intelligi neceſſe eſt. Id Tertulliano (opinor) nemo melius expreſſerit, qi *de reſurr. carn. c.47.* ſic reddidit, *Stipendia enim deliquentiæ, mors: donativum autem Dei vita æterna.* An non primo ſtatim aſpectu deprehendis, càm aptè & concinnè ſibi invicem reſpondeant, *ſtipendium* & *donativum*? nam langvidiùs Beza, *donum*; & Caſtellio, *beneficium*. Ita Ammianus Marcellinus *hiſtor. l.17. c.8. Gallicanis ſudoribus miles exhauſtus nec donativum meruit, nec ſtipendium.* qod Apoſtoli verbis enunciare liceret, ἔτι χάεισμα, ἔτι ὀψώνια ἔλαχεν, vel ἔλαβεν. hoc enim illis paſſim *mereri* ſignificat (qod obiter monere viſum) *nanciſci, conſegi, impetrare.* Tertullianus itidem *de præſcript. hæret. c.12. Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donativum & ſtipendium captat, niſi planè deſertor & transfuga & rebellis?* Qi & idem χαρίσματα paſſim *donativa* vertit. *Adverſ. Marcion. l.5. c.32. Data dedit filiis hominum: id eſt, donativa, qa chariſmata dicimus.* Et *ad uxor. l.1 c.3. Meliorum donativorum ſectatores ſimus*, qod Apoſtolus τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα dixit. Cor. ep.1. c.12. v.31. & hunc ipſum, qi in manibus eſt locum alludens, *de coronâ c.1. De martyrii candidâ meliùs coronandus, donativum Chriſti in carcere expectat.* Sed & cum ſerie ac contextu reliqo diſſertationis Apoſtolicæ interpretationi huic optimè convenit. Scopus eſt Apoſtoli, ut ſvadeat *Deo* potiùs *inſervire* & *militare* (utramqe enim collationem vocabula illa, ὅπλα καὶ δοῦλα, verſ.13. & 19. inſinuant) càm *peccato*. ratio, qâ potiſſimum id ſvadeat, ducitur à diſſimili prorſus & adverſâ utriuſqe *mercede*. ſiqidem *ſtipendium*, qod ſuis rependit *peccatum*, *mors* eſt: *donativum* verò, qod ſuis *Deus* largitur, *vita* eſt, & ea qidem *æterna*: Tertullianus; *Ita per totam hanc ſenſuum ſeriem ab injuſtitiâ & delinqentiâ membra noſtra divellens, & juſtitiæ & ſanctimoniæ adjungens, & transferens eadem à ſtipendio mortis ad donativum vitæ æternæ, carni utiqe compenſationem ſalutis repromittit; cui nullam omninò competiſſet imperari propriam ſanctimoniæ & juſtitiæ diſciplinam,*

nam, ſi non ipſius eſſet & præmium diſciplinæ. Itaqe apud Svidam qod habetur, ὀψώνια, κέρδη, χαρίσματα, malim inverſo ordine legere, ὀψώνια, χαρίσματα, κέρδη. ut *præmii* ſive *lucri*, qod ad *merentem* redeat, ſignificationem, utrumqe vocabulum hoc loco, qem & ſubjungit, obtineat, ὀψώνια & χαρίσματα. Sed nec illud omiſſum ſuſtinuerim, qod libri Maccabaicon 2. avtor c.12. v.42. vitæ ac beatitudinis piis in ſeculo futuro rependendæ præmium, vocabulo huic finitimo χαριστήριον nuncupaſſe videtur, verbis illis, τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον· qod ego etiam *donativum* lubens verterim. ſive enim χάρισμα ſive χαριστήριον dixeris, illud diſertè deſignatur, qod מַתַּן שְׂכָר *donum mercedis*, i. *donativum*, ſive *merces gratuita* Hebræorum doctoribus, ut R. Tarphoni in *Pirkę aboth*, c.2.§.16. & aliis alibi dicitur. Interim rectè verteres obſervant χαρίσμα & nomine μισθὸν χάριν, uti Apoſtolus loqitur cap.4.v.4. *mercedem gratioſam*, ſive gratuitò & ex gratiâ collatam deſignari. atqe eâ ratione à *ſtipendio donativum* diſtingvitur. *ſtipendium enim pro opere militiæ debitum redditur, non donatur*; inqit Avguſtinus *enchir.c.*103. cum *donativum* ex liberalitate principis munificentiam ſuam ſuis commendantis exhibeatur. Ita Jo. Chryſoſtom. *in Rom.orat.* 12. qamvis ad præſentia is potiùs referre videatur. Εἰπὼν ὀψώνια ἁμαρτίας, δεῖξε τὸ χρηστὸν καὶ τὸ αὐτῷ ἐτήρησε τάξιν. καὶ γὰρ εἶπεν, ὁ μισθὸς τῶν κατορθωμάτων ὑμῶν, ἀλλὰ, τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ, δείκνυς ὅτι οὐκ οἴκοθεν ἀπολάγνες, οὐδὲ ὀφλὼ ἀπέλαβον, οὐδὲ ἀμοιβὴν καὶ ἀντίδοσιν πόνων, ἀλλὰ χάριτι πάντα πάντα ἐγένοντο. Et Chryſoſtomi veſtigia premens Oecumenius: Οὐκ εἶπεν, ὁ μισθὸς τῶν κατορθωμάτων, ἀλλὰ χάρισμα, δείκνυς ὅτι οὐκ ἐκ κατορθωμάτων, ἀλλὰ καὶ χάριν ἀπολάγνες τῶν ἁμαρτιῶν. *Meliùs* Theodoretus *tom.*3. Ἐνταῦθα οὐκ εἶρη μισθὸν, ἀλλὰ χάρισμα. θεοῦ γὰρ δῶρον ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος· κἂν γὰρ ἄκραν τὶς κατορθώσῃ δικαιοσύνλν, οὐκ ἀντιπαρτιτύσῃ τοῖς προκαιρίοις πόνοις τὰ αἰώνια ἀγαθά. *Hîc non dicit, mercedem, ſed gratiam. eſt enim Dei donum vita æterna. Etſi qis enim ſummam & abſolutam juſtitiam præſtiterit, bona tamen æterna laboribus temporaneis ex adverſo in ſtaterâ dependi non poſſunt.* Optimè Avguſtinus *de grat. & liber. arbitr. c.*9. *Mors meritò ſtipendium*; *qia militia diabolica mors æterna, tanqam debitum, redditur. ubi cum poſſet dicere,*

dicere, & rectè dicere, ſtipendium juſtitiæ vita æterna ; *malnit dicere,* Gratia Dei vita æterna ; *ut hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris, Deum nos ad vitam æternam, ſed pro ſuâ miſeratione perducere.* Et Fulgentius *ad Monim. l.*1. *Cur mors ſtipendium, vita verò æterna gratia dicitur, niſi qia illa redditur, hæc donatur ?* Sed & ante hos omnes Origenes *in Rom. l.*4. *Apoſtolus,* ſtipendia, *inqit,* peccati mors. *Et non addidit, ut ſimiliter diceret,* ſtipendia avtem juſtitiæ vita æterna; *ſed ait,* Gratia avtem Dei vita æterna : *ut ſtipendium, quod utique debito & mercedi ſimile eſt, retributionem pœnæ eſſe doceret & mortis, vitam verò æternam ſoli gratiæ conſignaret.* Et rurſus *ibidem l.*6. *Benè avtem metaphoram. i. figuram militiæ ex initio propoſitam ſervat, ut militantibus ſub peccati rege, imò potiùs tyrannidi ejus parentibus, ſtipendia debita, mortem dicat exolvi : —Deum verò non erat dignum militibus ſuis ſtipendia, qaſi debitum aliqod dare, ſed donum & gratiam ; qod eſt vita æterna.*

Cap. IX.

*Petri verba, ep.*1.*c.*5. *v.*5. *expenduntur, & explicantur. Verſiones variæ.* Induere, *metaphoricè ſumptum, qid ſignificet. Hymn.*132.9. *&* 73.6. *&* 109. 18,20. *explicantur. Plutarchus è Pindaro emendatus. Eph.*4.24. *&* *Col.*3.10,12. *illuſtrantur.* Chriſtum induere, *Gal.* 3. 27. *Rom.*13. 14. *qid ſit. Induitur, per profeſſionem externam, virtutem internam. ad juſtificationem, ad ſanctificationem.* Μθρφωσις ἐυσεβείας, 2 *Tim.*3.5. *qid. Tacitus & Gellius fruſtra ſolicitati.* σφρωτον & σχημᾶτιον. *Amictus naturalis, artificialis. Chriſtus inſtar utriuſque.* Οἴκησις & ἔνδυσις, *qid invicem diſtent. Evlogii de iſtis halucinatio.* Indutus *gradus duo ; alter in converſione internâ, alter in converſatione externâ.* Incolatus *gradus ad indutum alterum.* Jo. *Boiſii elogium. Euſebii locus de Conſtantini filiis. Syri verſio expenditur. Eſaja* 3.22. סַטְטוּפוֹת *qid. In Syri verſione lapſus Tremellius. Bezæ inde lapſus occaſio.* חִיצָאוֹת *qid.* ἐγκομβώματα, *qid.* abolla *unde.* γυμὸς *qî dicatur qis.* Κόμβωμα,

& ἐγκόμβωμα, amictus qualis. Svidas & Heſychius emendati. ἐπωμίδια *qid. Sylburgii, & Portæ lapſus. Nonius emendatus.* Arnacides, & encombomata, *inter veſtes puellares.* Veſtes virgatæ. *Servius ex conjecturâ reſtitutus. Ab Hejnſio de* encombomate *diſceſſum. alia ab exomide* ἐπωμίς. *Servorum illa, mulierum etiam ingenuarum iſta, nec vilem, nec ſervilem, ſed honeſtiorem habitum aliqem reſpexiſſe Apoſtolum. Charemon Tragicus. Camerarii, Grotii, Stephani error. Crojus Hejnſio iniquior. Hejnſium de Svidâ tentato notat: qem non minùs infœliciter ipſe tentaverit. Hejnſii verba pervertit.* Caryſtii, *Apollodori nulla. Iambus Comici à Crojo corruptus.* Apollodori *Comici duo, Caryſtius & Gelous. Croji error ridiculus.* Gelous *à patriâ, non à riſu. Apollodori Caryſtii* Διαβάλλων. *in eâ perſonâ, cui* Phormio *nomen. de geminâ ejuſdem inſcriptione conjectura.* ὁπλισμαζομένη *dicta quam Terentius* Phormionem. ὁπλισμαζόμενος *ejuſdem ab hac alia. Terentius à Donato notatus. Pollux emendatus.*

EX occaſione dicti Salomonici, à Petro laudati, eâdem operâ duos parietes dealbare, & utriqe tum Vati, tum & Apoſtolo, facem allucere in præmiſſis conati ſumus. Hoc capite eis, qæ apud Petrum præceſſerant, cùm minùs clara videantur, diſcutiendis ac illuſtrandis operæ aliqid inſumemus. Dictio Apoſtolica ſic ſe habet 1 Petr. c. 5. v. 5. Πάντες δὲ ἀλλήλοις τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. quod vetus interpres reddidit: *Omnes autem invicem humilitatem inſinuate.* Syrus: ואתעטפו חיתאית סכיכות דעיינא לחת וחדא *amicite vos extrinſecus oculorum dimiſſione, unus adverſus alterum.* Caſtellio; *Et omnes invicem obſequendo, modeſtiam amplectimini.* Beza, interſtitio facto, qod ego nolim; *Et omnes viciſſim ſubjicimini. Submiſſione animi eſtote intus ornati.* nec abſcedit Piſcator; niſi qòd pro *ſubmiſſione animi modeſtiam* ſubſtituit. *intus*, uterqe cur interſerat, niſi verſionem forſan ex Syro Tremellianam ſecuti ſunt, (de qâ deinceps videbitur) cauſſam nullam video. imò, ita potiùs *eam induite, ut in converſatione* etiam *mutuâ exteriùs ſe prodat.* Ea eſt enim *induendi* ſignificatio peculiaris, ubi tranſlatitiè uſurpatur.

patur. Achilles Agamemnoni *Iliad. a. v.* 149.

Ω᾽ μοι ἀναιδείλω ἐπημένε.——
O qi impudentiam indutus es.

& de eodem, *Iliad.* 1. *v.*372.

Αἰὲν ἀναιδείλω ἐπημένΘ.——
Qi impudentiâ indutus ſemper incedit.

id eſt, Evſtathio explicante, προφανῆ ἔχων τὴν ἀναίδειαν, καθάπερ ἱμάτιον περίβλημα. *qi impudentiam palam præ te fers, tanqam amiculum qoddam, oculis qorumvis expoſitam.* idémqe illud Poetæ, de bellantibus, crebriùs uſurpatum, *Iliad.n. v.*164. & θ. *v.* 262. & σ. *v.*157. —— ἐπημένοι ἀλκῇ, exponit, ἀλκῇ περιβεβλημένοι, καὶ φαιδρὸν ἀνδρείαν ἔχοντες, *ſtrenuitatem præferentes, & conſpicuam habentes animoſitatem.* Theodoro qodam Pavlus Silentiarius in *Anthолog.l.*3.

Πρηὺς, ἐλευθερίαν ἐπημένΘ, ἠδὺς ἰδέᾳ.
Mitis, libertate, vel liberalitate indutus, aſpectu ſvavis.

De Pyrrhone Philoſopho Scepticæ ſectæ principe Ariſtocles *de philoſoph. l.*8. ab Evſebio *præpar.l.*14.*c.*17. lavdatus: Αὐτὸς δὲ πύρων περιβεβλημένΘ, ἄντρον ἑαυτὸν ἐκάλει. *faſtus immunem jactitabat ſe, cum faſtu torus amictus eſſet.* De ſexu ſeqiori Plato in *repub. ſuâ l.*5. Ἀποδυτέον δὴ καὶ τὰ γυναικῶν γυναιξὶν ἀμφιεσθαι ἀρετὴν ἀντὶ ἱματίων ἀμφιεσμένας. *Nudanda itaqe cuſtodum uxoribus corpora: qandoqidem veſtium loco virtute amicientur.* De Dionyſio Heracleotâ, qi ſenex jam à Stoicâ familiâ ad Epicuream deſciverat, Athenæus *l.*7. Ἄτεχνος ἀποδὺς δὲ τὴν ἀρετῆς χιτῶνα, μετημφιάσατο. *Exutâ palam virtutis tunicâ, amictum contrarium induit.* De Epicuro Cicero *Tuſculan. l.*5. *Qi tantummodo indvit nomen philoſophi, & ſibi ipſe hoc nomen inſcripſit.* i. qi pro philoſopho ſe gerere volebat. De Thraſeâ Eprius Marcellus apud Tacitum *annal.l.*16. *niſi proditorem palam & hoſtem induiſſet.* i. pro proditore ac hoſte ſe palam geſſiſſet. De prompto ac liberali largitore Seneca *de benefic. l.*2. *c.*2. *Lætus facit, & indvit ſibi animi ſui vultum.* hoc eſt; vûltu ipſo profitetur & præ ſe fert, qo animo faciat. Huc Hymnographi illud Hymn. 132. *v.*9. *Induantur juſtitiâ ſacerdotes tui*, hoc eſt, ut optimè Jo. Piſcator: *Effice ut juſtè ac legitimè adminiſtrent, & juſtitiâ ac fidelitate illâ ita ornentur, ſicut ornantur ſacris veſtibus.* qò & illud

Joannis in *Apocal.* retuleris c.19. v.8. ubi Christi ſponſa dicitur βύσσινον λαμπρὸν καὶ καθαρὸν τὸ βύσσινα, *byſſino candido nitidóque amiciri:* qod, interpretamenti loco, perhibetur eſſe τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων. i. *ſanctorum juſtè facta*, ut δικαιώματα eodem ſenſu ſumatur, qo ἐνδυμάματα & καταστρώματα conſveverunt. Inde & illud Hymn.73. v.9. יַעְטֹף־שִׁית *operit eos, amictus in modum, violentia.* i.e. eam palam præ ſe ferunt; qo modo mulier mœchandi avida, שִׁית זוֹנָה *habitum meretricium*, Parœm.c.7. v.10. qo qid vellet, palam faceret. ſed & iſtud Hymn.109. v.18,20. *Induit ſe maledictione, velut chlamyde ſuâ.* i. maledicum ſe palam profeſſus eſt. *velut aqa, penetrabat in intima ejus, & velut oleum in oſſa ejus.* i. ſummopere maledicentiâ ſuâ delectatus eſt, & voluptate, cùm eam exerceret, perfuſus. Eſt Metaphora abs balneis tranſlata, in qibus aqâ calidâ oleóqe adhibitis corporis membra mulcentur. qale illud ex Pindari *Nem.*4. Plutarch. *de tranqill.* ὡς διερμὸν ὕδωρ ποσὶν τέγξει (πύξ Pind.) μαλθακὰ γύα. &c. Sequitur; *Idcirco fiat ei tanqam veſtis, qâ ſe tegit, & prozonâ, qa jugiter accinctus ſit.* i. pari modo maledictione & execratione dirâ ita obruatur, ut maledicentiæ penſatio fiat omnibus conſpicua, nec ab eâ unqam eximere avt eripere ſe qeat. Inde apud Apoſtolum freqentes formulæ illæ. ἐνδύσασθε τὸν καινὸν ἄνθρωπον. Epheſ.c.4. v.24. & ἐνδύσασθε τὸν νέον τὸν ἀνακαινούμενον. Coloſſ.c.3. v.10. & v.12. ἐνδύσασθε σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ, χρηστότητα, ταπεινοφροσύνην, πραότητα, μακροθυμίαν. Et mox v.14. ὅπι πᾶσι τούτοις τὴν ἀγάπην. *induere novum hominem.* i. novum vitæ inſtitutum capeſſere; Et *induere virtutes.* i. eas palam exerere & exercere. ἵνα γνωσθῶσι πᾶσιν ἄνθρωποις, *ut omnibus notum ſit*, iſta omnia eis ineſſe, qod σὲι τὸν ἐπιεικῆς dicit Philip. c.4. v.5. inter cæteras & *humilitatem* ſive *animi demiſſionem*, de qâ & Petrus, poſuit. *Charitatem* verò reliqis *omnibus ſuperindui* vult, qòd ea ſit ζωσμὸς, vel *fibulæ*, vel *faſciæ* inſtar, qæ amictum reliqum omnem conſtringat & contineat. Cæterùm notanda cumprimis, utpote inſignis maximè, phraſis illa qâ *Chriſtum* ipſum *induere* dicimur. Et certè, ſiqis *Chriſtiani* definitionem me poſcat, ei ego nullam iſtâ promptiùs darem, χριστιανὸς ἔστιν ὁ τὸν χριστὸν ἐνδυσάμενος. *Chriſtianus* is eſt, *qi Chriſtum induit.* ſic enim Apoſtolus ad Galat.

Iat.c.3.v.27. Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. *Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et ad Rom.c.13.v.14. ἐνδύσασθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. *Induite Dominum Jeſum Chriſtum.* Atque hoc eſt quod Epictetus *diſſert.l.2. c.9.* de *Chriſtiano*, qem is cum aliis *Judæum* nuncupat, Ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαπτισμένου καὶ πρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. *cum affectionem tincti ſectámque profeſſi induerit, tunc eſt revera nuncupatúrque Judæus. Induunt* autem homines *Chriſtum*, (Auguſtinum audis, *de bapt. adv. Donat. l. 5. c. 24.*) *aliquando uſque ad Sacramenti perceptionem; aliquando uſque ad vitæ ſanctificationem.* qi illo modo *induunt*, ſunt merâ *profeſſione*; qi iſto, ſunt verâ *participatione Chriſtiani.* Habent illi μόρφωσιν εὐσεβείας, ἠ δύναμιν. Tit.c.3. v.5. h.e. *externâ* qadam *pietatis ſpecie faciéque induti* ſunt, cùm *virtute veritatéque nullâ* ſint intus *imbuti*, vel *induti* etiam. qo modo de Secundo Carinnate Tacitus *l.15. Græcâ doctrinâ ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat.* nec avdiendi, qi *imbuerat* ſubſtitutum eunt: qod Lipſius opinatus aliqando, pòſt aliter cenſuit. μόρφωσιν dixit Apoſtolus, qod προσωπεῖον, ſive *larvam*, Theodoretus *hiſtor. l.3. c.15.* de Juliano abſceſſore agens. qem ait initio ἐπιεικείας προσωπεῖον ἀμειλίκτου, poſteà δὲ τὸ ἐπιεικείας ἀπεδύσατο προσωπεῖον, τὸ δὲ τῆς ἀγριότητος γυμνώσας πρόσωπον. *qam priùs induerat, æquanimitatis larvâ exutâ ac depoſitâ, impietatis, qem habebat ſuum, vultum diſcooperuiſſe.* feſtivè προσώπῳ προσωπεῖον oppoſuit; dicterium illud alludens in mulierculas fuco illitas, qod Pollux retulit *l.5,c.16.* προσωπεῖον, ἠ πρόσωπον φάρειον. ſive, ut Lucilius in epigram. Ὦτι προσωπεῖον, ἠχὶ πρόσωπον ἔχει· προσωπεῖα γὰρ λίθινοι πολίται τὰ πρόσωπα, ut ſcitè Clemens *pædag. l.3.c.2.* Siquidem in iſtis τὸ προσωπεῖον, ſive *larva*, τῷ προσώπῳ, h.e. *vultui vero & genuino*, qem interna ac nativa, vel corporis conſtitutio, vel mentis indoles exhibet, opponitur. Verùm & iſti ipſi verè Chriſtiani *Chriſtum induere* duplici denuò ratione dicuntur: qod vir ille ter maximus Mart. Lutherus in *commentariis ad Apoſtoli verba* illa havd obſcurè indicavit. *Induere*, inqit, *Chriſtum dupliciter dicitur: Legaliter & Evangelicè. Legaliter Rom.13. cum imitamur exemplum & virtutes Chriſti. Et ſic alios etiam ſanctos imitari*

poſſumus. Induere verò Chriſtum Evangelicè, non eſt imitationis, ſed nativitatis & creationis novæ. quod viz. ego induor ipſo Chriſto. h.e. *ipſius innocentiâ, juſtitiâ, ſapientiâ, potentiâ, ſalute, vitâ, Spiritu, &c.* Et mox: *Evangelicè Chriſtum induere, eſt inæſtimabile donum induere, ſcil. remiſſionem peccatorum, juſtitiam, pacem, vitam, &c. ubi verò induti ſumus Chriſtum, indumentum juſtitiæ & ſalutis noſtræ, tum etiam induimus Chriſtum veſtimentum imitationis.* Hæc ille; havd forſan diſtinctè ſatis. Nos (σὺν θεῷ) explicatiùs an proponere poſſimus experiemur. *Chriſtum* ergo *induunt* verè *Chriſtiani* qiqe à Deo ſibi vel *imputatum*, vel *impertitum. imputatum*, ad *juſtificationem*: *impertitum*, ad *ſanctificationem.* in illâ Chriſtus *amictus artificialis*; in iſtâ, *naturalis* inſtar habet. Ad *juſtificationem*, inqam, qatenus *induitur Chriſtus, amictus artificialis* eſt inſtar. is enim cùm à rebus externis, ſtirpibus, animantibus, ſumatur, exteriùs duntaxat corpori humano applicatur, ut *adhæreat*, non *inhæreat* ipſi. Et *Chriſtus* pariter unâ cum meritis ipſius, ſive ſatisfactione, qam pro peccatis noſtris præſtitit; ita nobis *imputatur*, ut ad nos pertineat, & peccata noſtra univerſa, integumenti inſtar, operiat prorſus. at ad *ſanctificationem* qatenus *induitur*, *amictus naturalis* vicem gerit: qalis eſt telluris, qæ herbis ſatiſqe; arborum ſtirpiúmqe, qæ fronde, flore, fructu; animantium, qæ ſetis, pilis, jubâ, lanâ, lanugine, veſtiri, amiciri, *indui* dicuntur. ita de terrâ Ægyptiacâ Plinius in *panegyr. tantis ſegetibus induebatur.* Et Clavdianus *de rapt. Proſerp. l.* 1.

Veſtit iter ſeges.——

Et Maro *Georg. l.* 2.

——*oleâ magnum veſtire Taburnum.*

de ſtirpibus. Naſo *Metamorph. l.* 7.

——*nec longo tempore frondes*
Induit.——

Et Columella *de re ruſtic. l.* 5. *c.* 5. *pars palmitis fructu induitur.* Maro *Georg. l.* 2.

——*cùm ſe nux plurima ſylvis*
Induet in florem.——

Et Servius ibi, *cum flos induet nucem.* i. *veſtiet*; *in florem ſe infundet.* Et *benè elegit arborem, qa foliis prima veſtitur.* Et l. 4.

Pomis

——*Pomis ſe fertilis arbor*
Induerat.——

de animantibus itidem. Plinius *hiſtor. natur. l. 9. c. 13. Qa pilo veſtiuntur, animal pariunt.* Et Lucretius *de rerum nat. l. 5.*

——*juvenas*
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.

inde *Veſticeps*, barbâ, pubeqe veſtitus; apud Gellium *l. 5. c. 19.* Et *inveſtes, imberbes*, ut Servius interpretatur, ad Æneid. *l. 6.* & 8. adducens poetæ illud ex eodem *l. 8.*

Tunc mihi prima genas veſtibat flore juventa.

vel *impubes* etiam. hæc è multis. Domini Chriſti duntaxat celeberrimum adjectum ſit dictum illud de *Liliis* etiam agreſtibus; Matth. c. 6. v. 29, 30. qæ tam ſplendidè affirmat divinitus *veſtiri*, ut ne *Salomon* qidem *rex* magnificentiſſimus, etiam cum *glorioſiſſimè* ſemet *oſtentaret*, ſplendorem horum adæqaverit, nedum ut ſuperarit. Cui affine eſt Solonis illud, qi, referente Laertio, Crœſo, poſtqam in ſolio qàm ſplendidiſſimè amictus conſederat, percontanti, qod ſpectaculum ſpecioſius unqam conſpexiſſet, reſpondit, *Gallos, Phaſianos, Pavos. φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκοσμῆσθαι, καὶ μυείοις κάλλεσι. hos enim flore nativo, eóqe millies ſpecioſiore, adornari.* Cæterùm *nativi amictus* iſtius etiamſi materia aliunde ſuppeditata habeatur, ipſe tamen eſt οἰκοφυὴς, *domi naſcitur*, intus qaſi contexitur, priuſqam foris ſe prodat; qod tam in ſtirpibus, qàm & in animantibus videre licet; (ἕκαστον τὰ ἐνδότερον ὑφαίνει ἐκφέρει τε ἐνδύματα φυτοῦσιν, φύλλα καὶ ἄνθη καὶ καρπόν· καὶ τὰ πτηνὰ ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰ ἐνδύματα τὰ πτερὰ ἐκφέρει. *Stirpium unaqaqe abintus producit ea qæ foris conſpicua ſunt, indumenta ſua, frondes, flores & fructus: volucres itidem è corpore proprio pennarum indumenta proferunt.* Macarius *homil.* 32.) Is autem ubi jam prodierit, virtute víqe internâ qaſi protruſus, corpori è qo prodiit, qódqe eo veſtitur, non tam *adhæret*, prout ἐπίκειται ille, qam ἐμφύεται, *inhæret*. Et *Chriſtus* pariter, ubi ad *ſanctificationem induitur*, in cor verè Chriſtiani ita ſe inſinuat, ut ibi qaſi conceptus ſpiritus ſui virtute hominem prorſus, qaſi transformatum, immutet, novâmqe infundat indolem, qæ in vitâ deinceps totâ ſe exerat. Non erat itaqe qod avt Chriſtophorus ille, qi Evlogium per literas conſuluit, avt Evlogius

logius ipſe, qi eidem reſpondet, referente Photio in *Myriobiblo cod.*230. tantopere ſe torqueret, de verbis Apoſtoli, qibus modò, ἡ Χριστὸν ἐν ταῖς καρδίαις κατοικεῖν, *Chriſtum* ſuorum *in cordibus habitare*, Epheſ.c.3. v.17. modò eoſdem eundem *induere*, perhibeat. μεγάλης ἴσως ἡ διαφορᾶς οἰκήσεώς τι καὶ ἐνδύσεως. ἢ μᾶλλον τὸ ἐπιπόλαιον, ἢ δὲ τὸ διὰ βάθους παρίστησι. *eò qòd magno ſit incolatus & indutus differentia. qum iſte rem ſuperficiariam duntaxat, ille penitius qiddam deſignare videatur.* Sed nec erat qod Evlogius eò confugeret, ut qò iſta conciliaret, *in aliis Chriſtum habitare, ab aliis* verò *indui* eundem ſtatueret. Κατοικεῖ, inqit, ἐν οἷς πολιτεύεται, καὶ οὗ καθιδρυμένοι ἐρριζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι ἐν αὐτῷ· ἐνδύεται δὲ ἡ Χριστὸν, καὶ ὁ πάλιν αὐτὸν ἀναβαλόμενος ἀποδύεται. *Habitat in eo, qi in fide Chriſtianâ tam firmiter radices egit & fundatus eſt, ut neqeat deinceps excuti: induit autem, qi ſic affectus eſt, ut eum poſſit exuere dennò.* Imò *indutus interior*, in cordis renovatione ad imaginem Chriſti, (de qâ Pavlus ad Galat.c.4. v.19. ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, *donec Chriſtus in vobis efformetur.* Et ex qâ enaſcitur proditqe exterior illa, in vitæ totius inſtituto, *Chriſti* qodammodo ipſius expreſſa qædam *effigies*) *incolatu* illo deſignatur. ita *indutus* iſtius duo ſunt *gradus*, qorum alter ad *converſionem internam*, ad *converſationem externam* alter pertineat. ille κατοικήσεως, hic ἐνδύσεως nomine inſignitur, nec tam ἔνδυσις ad κατοίκησιν, qàm κατοίκησις ad ἔνδυσιν gradus eſſe videtur. Optimè Joannes ille ὁ χρυσορρήμων in *ad Rom.orat.* 24. Ὅταν εἴπῃ, ἐνδύσασθε, πάντοθεν ἡμᾶς αὐτὸν περιβαλέσθαι κελεύει. ὥσπερ ἄλλοχῦ φησιν, εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν· καὶ πάλιν, εἷς ἕκαστος ἡμῶν ἄνθρωπον κατοικῆσαι τὸν Χριστόν. καὶ γὰρ οἰκίαν αὐτῷ βάλλει τὴν ψυχὴν τὴν ἡμετέραν, καὶ ὡς ἱμάτιον ἡμῖν αὐτὸν περικεῖσθαι· ἵνα πάντα αὐτὸς ἡμῖν ᾖ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. *Cùm*, induite, *ait*, Chriſtum, *undiqe nobis circumjicere jubet. qemadmodum alibi dicit*, Si autem Chriſtus in nobis: (Rom.c.8.v.10.) *& rurſus*, ut in homine interiore veſtro habitet Chriſtus: (Eph.c.3. v.17.) *Etenim animam noſtram eſſe vult Chriſti domicilium, eandémqe nos ut veſtem incingere; ut omnia ipſe nobis & interiùs & exteriùs exiſtat.* Idémqe *ad Galat.c.3. v.27.* Σὺ δὲ αὐτὸν ἐνδέδυσαι, καὶ τὸν ἔχων ἐν ἑαυτῷ, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀφομοιωθείς. *Tu verò eum induiſti, in te habens Chriſtum, eidémqe conformis factus.*

factus. quod diſertiùs adhuc Schol. Græc. *ad Rom.* Πῶς ἢ ἀυτὸν ἐνδυτέον; εἰ πάντα ἡμῖν ἀυτὸς εἶη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν ἐν ἡμῖν φαινόμενος. *Quomodo induendus eſt Chriſtus? ſi omnia nobis fuerit, interius exteriúſque in nobis apparens.* Et ad *Galat.* ὅθ ἢ εἰκόνα αὐτῷ ἠμφιεσάμεθα. *imagine quadam ejus ſumus quodam modo amicti.* Formulæ deniqe iſtius, qâ *Chriſtum* hac ratione *induere* dicimur, qum non *cordis* tantùm *habitu*, ſed *vitæ inſtituto* eidem planè Σύμμορφοι Rom.c.8. v.29. i. *conformes* exiſtimus, exemplum luculentiſſimum, qia phraſis alioqi duriuſcula videtur, qâ *induere* aliqem dicimur, ſuppeditat nobis ſenex Venerandus, non tam canitie qàm animi candore verendus, nec ſine honorificâ mentione nominandus mihi, cui Græcarum literarum tyrocinia ferè prima debeo, D. Joannes Boiſius. Is apud Evſebium in *vitâ Conſtantini* formulam eandem planè cum interpretatione etiam adjunctâ, jam olim obſervavit: cujus hæc ſunt verba de Conſtantini filiis in ipſo operis illius veſtibulo: νιοὶ ἢ ὅλον ἀυτὸν ἐνδυσάμενοι, *nunc totum illum* (Conſtantinum patrem ſuum) *induti.* id qî factum, mox docet; partim θεοσεβείας ἀρετῇ, *religioſo animi affectu patri conformes*; habes *indutum internum*: partim τοῖς ἢ παιδὸς ἐμφρόνοντες κηλωτίσμασιν, *præclaris* ejuſdem *inſtitutis* tam accuratè inſiſtentes, ut in eis ipſe ſuperſtes adhuc videretur; habes & *externum*. *Chriſtum induere* itaqe dicimur, qando *vita Chriſti in nobis ſe prodit*; qando vitam ita ad Chriſti normam inſtituimus noſtram, ut qi eam contuetur, verè dicere qeat, *Certè Chriſtus eſt in vobis.* Et *humilitatem* pariter, qæ eſt veſtis iſtius nuptialis *lacinia* peculiaris, vel etiam *amictus* regalis iſtius *pars* præcipua, imò, ſi dicere liceat, principalis, tunc *induêre*, eâqe nos *conveſtire* dicimur, cum ea in totâ converſatione noſtrâ elucere deprehenditur, nec *toga* magis, qam in tergo gerimus, qàm *modeſtia animíqe ſubmiſſio*, havd fucata tamen, in vultu, inceſſu, geſtu, habitu, dictis, factíſqe qibuſvis, intuentium ac converſantium oculis palam ſeſe objicit & oggerit etiam. Ideo optimè Syrus עֵינָא דְמַכִּיכוּת *oculorum ſubmiſſionem* dixit, hoc eſt, ejuſmodi, qæ in oculis vultúqe ſe prodat. qod graphicè admodum M. Antoninus ille Imperatorum decus, *de inſtitutis ſuis l.*11. §.15. ὅθι ἢ μετώπου γελᾶσθαι ἐφίλει, καὶ ἐν τοῖς ὄμμασι ἐξέχειν.

frontī inſcribi oportet, & in oculis extare, quod intus in corde geritur. quò eòdem ſpectat & quod מטאטאתי & וימאטאת dixit. eſt enim מטאטא *operire, obtegere, involvere.* Hymno 65. v.14. גבעות יעטפו בר *valles frumento operiuntur.* Et hymno 73. v.6. *Cingit eos torquis inſtar, ſuperbia:* & *violentia* עטה שית *amictus in morem, operit eos.* inde Eſaiæ c.3.v.22. המטפות quod ἀγνοῶς quò minùs vertatur, quod impediat, nihil video. Jajrus *fragula* vult eſſe *quibus lectus inſternitur & obducitur.* Sed alii plerique, in quibus & Camius, לבוש ſive כסות *amictus, velamina, quibus mulieres ſeſe operiunt.* Itaque Hieron. *palliolo*, vertit. Vatabl. *pepla.* Jun. *amiculo.* noſtri cum Piſcatore, *mantelo.* Veſtem omnes deſignari volunt, qæ *ſuperius induuntur.* ut mirari ſubeat, quid Tremellium, quem & Beza ſecutus eſt, & hunc Genevenſes noſtri, induxerit, ut Syrum verterit, *Amicite vas intrinſecus.* Deux pour veſtes interieure. Non ſum ignarus vocem תיטאטת à Schindlero in *Pentaglotto* reddi *intrinſecus.* Verùm exemplo nullo, quo id firmetur, adducto. cum contrà thema, ad quod ipſe refert, חוץ *foris, extrò, extrinſecus* ſignificet; unde & חיצון *exterior.* Quin & aliò concedit V.C. Jo. Buxtorfius filius (τὸ παχὺ τὸ μαῦρον) qi τὸ תיטאטת deducit à טוח quod *cingere, ſuccingere, obducere* ſignificet. Sic Act. c.27.v.17. pro eo quod Lucas Græcè dixerat, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον, Syrus habet, מחיטין quod Tremell. reddidit, *extrinſecus ſuccingebamus.* Lud. de Dieu, *cingulis conſtringebamus.* docet enim ex *Lexico Syr. Arab.* verbum hoc ſignificare, *cingulis conſtringere & ligare.* qo ſenſu & τὰ ὑποζώματα uſurpari mox oſtendemus. Ab hac autem radice eſt תיטאטת *linteum, ſindon.* quod uſurpavit Syrus Matth.c.27. v.59. & Luc.c.23. v.53. nam pro eo quod Græcè dicitur, ἐνετύλιξεν αὐτὸ ἐν σινδόνι, Syrus, מחיטה כרכה eſt autem כרך *involvere.* unde כורכי *ſtola*, quâ quis involvitur, *byſſinæ.* Eſter. c.8. v.15. itaque תיטאטת quoque pro *ſindone*, ſive *linteamine*, inde dictum, quòd eo *exterius aliquid obvolvatur*; uti & Buxtorfius cenſuit. Addatur & Philippi Aquinatis expoſitio in *Lexico abſoluti ſſimo*; דיטאטת הדבר שסובב דבר אחר *res eſt, qæ rem aliam cingit.* ut à חוץ quod *parietem* ſignificat (eumque exteriorem, ſi Schindlerum ſequimur; quem mirum tamen cur מיטאטת inde ductum *intrinſecus* reddere voluerit)

qi

qi aream ædéve ambit, ortum habeat. Verùm cum adverbialiter ab Apoſtolo uſurpari videatur, verti rite poterit, vel *circumcircà*, cum Buxtorfio, vel *extrinſecus* etiam, prout ipſa ſvadet notatio; vel utroqe ſignificatu inſimul juncto, *vel ne vinctu exteriore*. Atqe de Syro vidimus, eum, ſi rectè capiatur, metaphoræ hujus ſenſum clarè ſatis expreſſiſſe.

Proximum eſt, ut de Græco videamus, numqid nobis inſolens ſatis vocabulum iſtud, qo Apoſtolus ipſe hîc uſus eſt, qod hunc faciat, ſuppeditet. ἐγκαμβώσῃς, inqit, ἢ πανουργεύσῃ. Κάμβος inter alia Heſychio ſignificare dicitur ἢ κάσυμβον. id qid ſit, apertiùs docet nos Svidas, ἢ δεσμὸν ſcil. ἢ χειρίδων, *manicarum nodum*, ſive *vinculum, qoea ſolent illigari*. Idem & βύσσινον, ſive *crumenam*, deſignare, docet nos, qod apud Grammaticum eundem illum reperitur, κομβοτόμος, βαλλαντοτόμος. qaſi *crumeniſecam* dixeris, lingvâ noſtrâ a cutpurſe. qanqam κομβολύτης eſſet potiùs qem nos dicimus a pickpurſe. *zonam* autem pro *crumenâ* uſurpari, qia zonæ incluſos nummos geſtare ex uſu erat, ſermo familiaris paſſim prodit. Inde ὀλιγόμβια ſeculi ſerioris & ſeqioris Græcis dicta, ἀποδεσμοὶ πῆχες, ſive ἐκ πολίων τμήματα, *faſciculi*, ſive *ſegmenta panni*, illigata habentes numiſmata, qæ in Imperatorum coronationibus in plebem promiſcuam ſpargebantur. uti ex Codino *de Offic. aulæ Conſtantinopol.* & Jo. Cantacuzeno *hiſt. l.1.c.41.* oſtendunt Jo. Mevrſius in *Gloſſar. Græcobarb.* & Aloiſius Novarin. *Schediaſm. ſacroprofan. l.2.c.15.* Sed & τὸ ἐγκόμβωμα eodem qo κόμβος ſimplex, ſenſu ſumi, monet nos cùm Etymologus; tum & Heſychius idem qo etiam avtore, ἐγκομβωθεὶς eſt δεθείς, *illigatus, innodatus*. qod Apollodori ab Etymologo adducti avtoritate firmari videtur.

——ἢ ἐπιμίξῃ
Πτύξας ἀπιθῶς, ἄνωθεν, ἐσκομβωσάμενος.

(ſive ut Svidæ codices exhibent, Πτύξασ' ἀπιθῶς, —ut qæ loqitur, mulier ſit. qod ſi ſeqamur, legendum potiùs, ἀπιθῶς πτύξασ' ἄνωθεν, &c. qo metro conſulatur.)

——*amiculum*,
Ubi duplicaram, deſuper conſtrinxeram.

qæ verba eſſe Apollodori Caryſtii, non Geloi, (nam uterqe Comicus extitit) ex fabulâ, qam Ἀπολειφόμενος, i. *Deficientes*

inſcripſit, docet &, niſi fallat, avt fallatur ipſe, nos Svidas; apud qem tamen, pro Καρυάτιδες ἀπολιπῶν, legendum avt Καρυᾶτις ἀπολιπῶν, avt (qod apud Athenæum reperitur, qi tamen fabulam eam Geloo tribuit) Ἀπολιπόσα. Hanc ſignificationem ſecutus eſt Eraſmus, qum vertit, *Innodate:* qod explicat, *infixam vobis habete.* eodémqe forſan reſpexit Caſtellio, qi, *Humilitatem ampleƈtimini.* ſed & Henr. Stephanus, qi, *Modeſtiâ vos incingite.* Verùm, ut ne in eo inſiſtam, qod apud Heſychium reperio, Κομβῶσαι, ἀναλαβεῖν. qod Κομίσαι potiùs legendum ex literarum ſerie videatur; qanqam & legi forſan poſſit. Κομβῶσαι, ἀναβαλεῖν. i. *circumjicere, amicire:* unde ἀναβολὴ, ἀμβολὴ, *abolla:* Eodem avtore κομβώσασθαι etiam ſignificat στολίσασθαι, *amicire*; unde κόμβωμα, στόλισμα *amiƈtus.* & ἐγκομβῶσθαι, ἐνειλεῖσθαι, *involvi*: unde ex avtore innominato, ἐγκεκόμβωται, ἐνείλησθαι. Hinc ergò ἐγκόμβωμα *veſtis*, qâ qis involvit ſeſe, qæqe cæteris ſuperinduitur: & ea ſexui qoqe utriqe communis. Siqidem Pollux *onomaſtici l.4.c.18.* ait eſſe ἱματίδιόν τι λευκὸν, *amiculum candidum*, τῇ τῶν δούλων ἐξωμίδι παραπλήσιον, *qod in fabulis Comicis ſervulorum tunicæ adjici ſolebat.* Longus verò *Paſtoral.l.2.* Paſtoribus in uſu fuiſſe indicat. & veſtem qidem *extimam*, non *interulam*; *ſuperiariam*, non *ſubuƈulam.* ubi de Tityro, Philetæ paſtoris filio, qò expeditiùs ac celeriùs iter juſſum abſolveret, Ὁ μὲν βίβλος τὸ ἐγκόμβωμα, γυμνὸς ἄρμησε τρέχειν, ὥσπερ νεβρός. *Ille abjeƈto encombomate, nudus in curſum ſe dedit, ad hinnuli inſtar.* Cave tamen *nudum* aliter intelligas, qàm qo modo Savl coram Samuele *nudus procidiſſe* perhibetur Reg. l.1. c.19. v.24. qo modo Vati, *nudus ambularet*, injunƈtum eſt, Eſajæ c.20. v.1. qo modo Petrus γυμνὸς fuiſſe dicitur, ᾧ ἐπενδύτην διεζωσμένος. Joan. c.21. v.7. Varro avtem, à Nonio lavdatus, in *Catone*, ſive *de liberis educandis*, *veſtem* etiam *puellarum*, & *ingenuarum* qidem, neqis *ſervilem* tantùm exPolluce cenſeat, τὸ ἐγκόμβωμα fuiſſe, nos clarè docet. *Ut puella*, inqit, *habeant potiùs in veſtitu chlamydas, encombomata, ac parnacidas, qàm togas.* Qo loco pro *Parnacides*, *Arnacides* legi poſtulant Hadr. Junius & Avſon. Popma. qod ex Ariſtophanis *Nubibus* Svidas, ex Platonis *Sympoſio* Pollux *l.7.c.33. §.4.* exhibent. Ἀρραχίδια verò Svidas eſſe ait σκεβάλαιον *amiƈtus*

genus

genus qoddam, in uſu ad frigus arcendum; qòd ex *pellibus agninis* conficeretur, ſic dictum. ἀρναξὶς enim, ut Pollux *l.*10.*c.*9. eſt *pellis agnina*, qæ canum collaribus ſubſui ſolebat, ne affrictu aſperiore colla infeſtarentur. ex Platone autem apparet ad *calceamenta* qoqe ob mollitiem à delicatioribus qibuſdam adhibitam eandem. Sed & iſtas, & *encombomata*, è veſtibus Puellaribus fuiſſe, qòd impræſentiarum volumus, ex Varronianis illis conſtat. Veſtes avtem puellares cultiores & varietate aliqâ inſignes fuiſſe plerumqe, non eſt vero abſimile. Talis כְּתֹנֶת פַּסִּים πολύμιτος, *verſicolor*, an *variegata*, *tunica*, (qæ & מְעִיל i. *chlamys*, ſive *palla* dicitur) Tamaris illa, in Regum Judaicorum hiſtor. l. 2 c. 13. v. 18. *puellarum regiarum*, *dum ἄδμητες κόραι*, *virgines & innuptæ adhuc*, eſſent, ſolennis. talis & qam Joſepho πολυτίτῳ ſuo Jacob conficiendam procuraverat; qod invidiæ anſam primam filiis reliqis adverſus τὸν ἀγαπητὸν ſubminiſtraſſe videtur. Geneſ. c. 27. v. 3, 4. certè κομβώματα (malè κομβύματα editur) Svidæ ſunt κάλλωπίσματα, *ornamenta*. Et τὸ κομβοῦσθαι, ἀντὶ τοῦ καλλωπίζεσθαι, ſive *ornari*, uſurpatum Epicharmo in *Amyco*, fabulæ ex Epicharmeis nomen id eſſe docet nos Sophoclis Scholiaſtes, qod Sylburgium Portámqe trajectione verborum deceptos fugerat) ſuggerunt Svidas & Etymologus, verbis illis,

Εἴ γε μὴν (μὼ fortè) ὅτι κεκόμβωμαι.

qod ſit pulchrè amictus, nitidiùs ſplendidiúſve veſtitus & adornatus. Fortaſſe & ῥαβδωτὰ erant ἐγκομβώματα iſta *puellaria*, qalia Gallorum *ſagula virgata*, Maroni *Æneid. l.*8. Et *auro virgata veſtes*, Silio *bell. Punic. l.*4. qæ habebant *in virgarum modum deductas vias*, uti Servius explicat: ſive *ſtriatæ* (qo modo forſan Servius ſcripſerat, *ſtrias*, non *vias*) ad concharum qarundam inſtar, qæ & ῥαβδωταὶ ideò Ariſtoteli dictæ, *hiſtor. animal. l.*4. *c.*4. & inde αἱ ἐν τοῖς χιτῶσι ῥαβδοὶ, apud Pollucem *l.*7. *c.*13. Certè tale qiddam ſubindicare videtur Heſychius verbis illis, Κομβώματα, τὰ ἐν τοῖς ῥάβδοις μικρὸν τόρνον ἔχοντα, ὑπὸ παιδίων. verùm iſta cum vitii ſuſpecta ſint, vix certi qicqam inde eruas. Cæterùm, utut iſtud ſe habuerit, certum eſt ad amiculi decentioris alicujus, vel & cultioris, genus, qod extimum geri, nodóqe forſitan vel fibulâ adſtringi, conſveverat, Apoſtolum iſtic alluſiſſe, ubi monet, ut mo-

deſtiâ, ſive animi ſubmiſſione, qæ in vitâ ſe prodat palámqe faciat, indutâ ſpectabiles ſemet exhibeant: nec reverâ reperitur qicqam qod hominum oculos magis attrahat, animos afficiat, affectus alliciat, decorem gratiámqe, cùm apud mortales, tum & apud Deum ipſum immortalem conciliet, qàm manſvetudine modeſtiâqe imbutus excultúſqe ſpiritus humanus: qam idcirco Ϛ ὁ πραΰθυμος χρυσὸν ϗ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμε loco, mulieribus piis commendat Apoſtolus idem, & coram Deo πολυτελὴς eſſe pronunciat, cap. 3. v. 3, 4. Sed & in *Pirkę aboth*, ſive *Patrum dictis collectaneis*, c. 6. §. 1. R. Meir de homine, qi legis ſtudio incumbit, וּמַלְבִּשְׁתּוֹ עֲנָוָה *& veſtit eum modeſtiâ*; vel *modeſtiâ amicit ipſum*, lex ſcil. ex qâ etiam Deo hominibúſqe dilectus, acceptus, gratus evadit. Atqe hæc, cùm de Petri monitu illo, tum & de vocis inſolentioris ſenſu ac ſignificatu ſuffecerint. qibus ea qæ in Hymnum primum commentari viſum eſt, clavdemus.

Appendicis loco, qæ ſequntur, Capiti iſti adnexa ſunto. Cinnum meum hunc poſtqam integrum abſolveram, cujus ad oram ſummam, ſed loco primo miſſa & immiſſa, qæ libello hoc primore ſunt comprehenſa: prodierant Viri Clariſſ. Dan. Hejnſii *Exercitationes ſacræ*. Eas dum evolvo, ad Petri periocham iſtam, qam in Capite prægreſſo diſcutiendam ſuſcipiebam, annotata qædam deprehendi, & in his nonnulla ab eis qæ hîc à me ediſſertata ſunt pavllò diverſa, de qibus obiter pavcis diſpiciendum erit.

Primò, qód ἐγκόμβωμα vult eſſe *veſtem humilem, & ſervorum, qi cùm breves tunicas, qas ἐξωμίδας vocant, geſtarent, ſuper has ἐγκόμβωμα indnere ſolebant, palliolum viliſſimum, ſed candidum, qod & δίπλημα dicebant.*

Teſtatur qidem poſt Pollucem, qem ſuprà adduximus, Gellius *Noct. Attic. l. 7. c. 12.* ἐξωμίδας *ſubſtrictas brevéſqe tunicas* fuiſſe, *circa humerum deſinentes*, qibus & *Romani* aliqando ſunt uſi. Qin & ſervos in ſcenâ eas geſtare ſolitos, præter Pollucem, Ariſtophanis ad *Veſpas* ſcholiaſtes cum Feſto commiſſus nos docet; qorum iſte *comicum* ait eſſe *veſtitum*, ille δουλικὸν ἱμάτιον, *habitum ſervilem*. Sed Pollucis verba, qia diſertiora ſunt, dare, havd abs re fuerit, eò magis, qód ad ea cum impingiſſet, lapſus vir ſummus videtur. Ex *l. 4. c. 18. §. 2.* iſta ſunt;

Κωμικὴ

Κομμὰ δ' ἐδύτ, ἐξωμὶς· ἣν δ' χιτὼν λευκὸς ἄπεμος, καὶ ἐφ' ἑνὸς τοῦ μέρους ἐκ ἔχων. *Comica veſtis, exomis: eſt autem ea tunica candida, vilis, ad latus ſiniſtrum utriquam conſuta.* quod poſtremum nota erat, qâ ſervulorum veſtitus ab ingenuorum habitu diſtingvebatur. Pollux idem *l.7.c.13.* χιτὼν δέ, ὁ μὲ ἀμφιμάσχαλος, ἀλλάχου χώρα· ὁ δ' ἑτερομάσχαλος οὐκετῦν. *Tunica utrinque manualis, ingenuorum habitus erat; ab alterâ verò tantùm parte manualis, ſervorum.* ita enim epitheta illa Etymologus exponit, ἀμφιμάσχαλος, χιτὼν δύο χεῖρας ἔχων· ἢ ὃς ἐπὶ ἀλλάχου· ὁ δ' ἑτερομάσχαλος μίαν ἔχει, ἢ διὰ τῆς ἑτερομασχάλης ἐκφύσει itaque quod Feſtus, *Exomides ſunt comici veſtitus, exerto humeris.* id de humero altero tantùm, idque ſiniſtro, *expapillato* uti poſteà loqitur, eſt intelligendum. ab exerto autem humero *exomidis* tunicæ ejuſmodi enatum eſt nomen.

Adhæc ἰγκόμβωμα illud, quod & ἐπίβλημα dictum ex avtoribus dictis diſcimus, qo exomides ſervulorum illæ, ſive in ſcenâ, ſive extra ſcenam, obducebantur, fuiſſe ἱματίδιόν τι λευκὸν, *palliolum quoddam candidum*, & pro ſervili conditione vile ſatis, tale nimirum, qualem Pollucem nobis *exomidem* ipſam, cui id ſuperinduebatur, deſcribentem in antegreſſis avdivimus, extra controverſiam eſſe conceditur. Verum perperam hinc concluditur, ἰγκόμβωμα omne, avt *humile*, avt *ſervile*, avt *vile* etiam, nedum *viliſſimum*, indumentum fuiſſe. nec verò eſt veriſimile, ad vile atqe ignobile aliqod amiculum reſpexiſſe Apoſtolum, cùm hoc vocabulo uteretur; ſed ad mundi muliebris potiùs partem inſigniorem aliqam, qæ gerentem ſpectantium oculis conſpicuam redderet & eximiè commendatam. reſtéqe proinde reddiderunt in editione Genevenſi noſtri, Deck your ſelves with homlikp.

Tum ἐξωμίδες & ἑτερομάλλας malè confundit, dum qod de illis Pollux pronunciat, ad iſtas Vir Clariſſ. transfert. etiamſi enim ἐξωμὶς, ἐδὸς ἱματίου dicatur, qualem ex veteribus illis, ſuprà deſcriptam habuimus; at non ἑτερομὰς, quantum legiſſe memini, ſervulorum amictus fuiſſe uſqam dicitur. Ἑτερομὰς Polluci *l.13.c.13.* inter ea recenſetur indumenta, qæ γυναικῶν ἴδια, *mulierum peculiaria* habebantur. Sed & ex eis fuiſſe, quibus illa indui conſueverant, cùm vel oblectamenti cauſſâ.

ad

ad hilaria agenda, vel ad ſpectaculum aliqod ſolenne, in publicum foras prodirent, ex Chæremonis non Comici, (in qo halucinati ſunt tot viri magni; Gyraldus, Camerarius, Grotius, Stephanus, Svidam erroris ducem ſecuti, ſed Tragici, prout præterqam qod fabularum argumenta docere poterant, Athenæus, nec id uno in loco, diſertè teſtatur) fragmento reliqo patet, in qo Oeneus (à qo fabulæ nomen) virginum, qas in prato qodam ſemet oblectantes, dum Dianæ forſan an Veneris ad Lunam illucentem pervigilia celebrant, & alias qidem humi deſidentes cubantéſve, alias choreas ducentes, alias flores legentes, ſpectaverat, amictus geſtúſqe deſcribendo, inter alia ab Athenæo *l.* 13. repreſentata, hæc habet,

Ἔκειτο γὰ ἡ μὲ λάικὸν εἰς Ϛελωύφως
Φαίνουα μαζὸν λελυμένης ἐπωμίδ Θ.

hoc eſt, vertente Grotio;

Alia jacebat, candidas papillulas
Oſtendens Luna, retrojecto pallio.

qod &, vocabulo ipſo, de qo agitur, retento; ſic reddi poterit;

Jacebat alia qidem, ſolutâ epomide,
Mamillulas oſtentans Luna condidas.

Epomidas avtem qæ geſtabant mulierculæ, nuptæ eæ, an innuptæ virgines adhuc; *encombomata*, qæ illis ſuperinjecta ferebant, ad earundem proculdubio conditionem rationémqe accommodata habebant; nec epomidi pretioſæ ſplendidæqe encomboma vile atqe ignobile ſuperindutum ire volebant; ne vilior iſta honeſtiorem illam deturparet, & amictus pars altera ab alterâ diſſidens, ſpectaculum difforme atqe indecorum ſpectantium oculis exhiberet: nec eſt verò avt ratione avt uſui etiam conſentaneum, niſi per imbrem forſan vel in itinere, tutele munimentíve caviſſâ, veſtem elegantiorem viliore obvelare, qo conſpectui minùs pateat illa, qam conſpicuam magis eſſe volunt plerique. Nullâ itaqe ratione induci poſſum, ut illam moniti Apoſtolici à viro Cl. datam periphraſin probem, *Humilitatem induite, ut encomboma nimirum ſervi, cum veſtem illam, illud palliolum, viles humiléſqe ſervi, ut humilitatis indicium, geſtarent.* Malim ego qidem,

Humi-

Humilitatem induite, ut encombomata virgines ingenua, qibus ſe decorè veſtitas atqe exornatas exhibebant, ubi foras in publicum, inqe hominum conſpectum, conſpiciendæ fortean & ipſæ, prodibant.

In Svidâ verò defingendo & explicando, (de qo qid ſentiam, eſt à me ſuprà indicatum) uti Viro Cl. non accedo, ita nec viro doctiſſ. Jo. Crojo (qi adverſus illum iniqiorem pavlò paſſim ſe præbet) per omnia iſtìc aſſentiri qeo. Hujus poſtqam ad manus meas pervenerant *in Novum Fœdus Obſervationes ſacræ*; in eis Hejnſium deprehendi de Svidæ loco hoc tentato, notatum. Ac primò qidem Hejnſii verba ſic refert. *Apollodorus* (inqit) *teſte Svidâ, poſtqam dixit,* Καρυάτιος λιπῶσα ἢ ὑπομίδα πήξασα δίπλῳ, *addit,* ἄνωθεν ἐκομβωσάμην, *fortè,* ἄνωθεν αὐτὴν αὖθις ἐγκομβώσομαι. Tum increpatione acri ſatis ſubjectâ; *Animadverte*, inqit, *lector, qanta ſit Hejnſii eruditio, qanta in Veterum libris volvendis, eorúmqe fragmentis eruendis diligentia & prudentia. Has voces* Καρυάτιος λιπῶσα *conjungit cum verbis mulieris, qa in Comœdia Apollodori Geloj logitur, ac ſi ea diceret, ſe Caryſtiis ſuam* ὑπομίδα *reliqiſſe: cum Apollodori Comœdia fuerit, qæ* Καρύστιοι, *vel* Ἀπολιποῦσα *inſcripta erat.* Ἀπολιπόυσης *meminit Athenæus l.* 3. — *Hæc comœdia in libris editis Svidæ inſcribitur* Καρύστιοι ἀπολιπόντες. *unde Caſavbonus conjicit apud Athenæum ſcribendum eſſe* ἐν Ἀπολιπῶσι. *nos verò arbitramur has duas voces eſſe diſtinguendas, atqe hanc Apollodori comœdiam inſcriptam fuiſſe,* Καρύστιοι, ἢ Ἀπολιπῶσα. Hæc ille.

Atqi, ut nihil dicam, qàm iniqum ſit ex unâ avt alterâ, è conjecturâ, emendatione vel parum avſpicatè tentatâ, vel dextrè minùs præſtitâ, de cujuſqam eruditione, prudentiâ, diligentiâ in univerſum cenſuram formare, ſententiam proferre: certè ſi ex hoc ipſo qod nunc in manibus eſt, de viro doctiſſ. Legis hujus latore, judicium lege parili inſtitueretur, ab omni tam ratione qàm & æqitate alieniſſimum eſſe, cùm hujus ipſius ſcripti pars reliqa tantùm non clamaret, tum avtor ipſe non immeritò conqereretur. Verùm iſtud ut mittam. Primò Hejnſio vir doctiſſ. affingit, qæ is (in eâ ſaltem, qæ penes me eſt, apud Cantabrigienſes noſtros typis impreſſa, editione) nullus habet, nullus dicit. nec Καρύστιος λιπῶσα, ſed ἀπολι-

πῶσα,

πᾶσι, præferunt Codices Hejnſiani. nec verba illa, cum Comici verbis compingit, ſed ab eis, cum punctiunculâ interſitâ, tum & literâ majuſculâ inciſo inſequenti præfixâ, diſertiſſimè diſtingvit. *Svidas*, inqit, *poſtqam dixit*, Καρυστίοις ἀπολιποῦσι, ἢ ἐπωμίδα πήξασα, &c. candor itaqe in reprehenſore meritò iſtic (ne qid gravius dicam) deſideratur.

Tum non minùs Hejnſio, qem tam inclementer exagitat, reprehenſorem ipſum in Svidâ reſtituendo, halucinatum hîc ego qidem nullus ambigo. Siqidem, qod Apollodori Comœdiam, Καρύστιοι ἢ Ἀπολιποῦσα, fuiſſe inſcriptam, affirmat, nullo id avtore comprobatur, nullâ vel probabili conjecturâ nititur. Comœdiarum Apollodori, & utriuſqe qidem (duo namqe cognomines Comici fuerant) mentio apud Veteres reperitur havd infreqens. at qæ Καρύστιοι dicta, nuſqam, opinor, apud ullum eorum hactenus comparuit. Ἀπολιποῦσα qæ nuncupabatur, erat. ejuſdémqe meminit reverâ loco à Viro doctiſſ. indicato Athenæus, malímqe cum reprehenſore Ἀπολιπόσῃ, qàm cum animadverſore eò loci Ἀπολιποῦσι legere, & ex Athenæo Svidæ, qàm ex Svidâ Athenæi correctionem moliri. Verùm pro Καρυστίοις ἀπολιπῶσι, Καρύστῳ Ἀπολιπόσῃ omninò legendum. *Apollodori* ſcil. Comici duo fuerant; *Caryſtius* alter, alter *Gelous*; à patriâ uterqe ſic dictus. Ex utroqe excerpta extant adhuc in Veterum monumentis, apud Athenæum, Heſychium, Pollucem, Ammonium, Evſtathium, Svidam, Donatum, alios. Utriuſqe diſertim diſtinctímqe eôdem loci meminit Pollux *l.*10.*c.*31. Ἀπολλόδωρος ὁ Γελῷος ἐν Ψευδαίαλι. —— Ὁ δ' Ἀπολλόδωρος Καρύστιος Αὐλοεργατῶντι. Nec me movet, qòd Ἀπολιποῦσα, non *Caryſtio*, ſed *Geloo*, ab Athenæo adſcribitur. Siqidem pari modo, qod & Caſavbonus obſervavit, fabulam alteram, cui titulus Γραμματοδιδάσκαλος, *Caryſtio* Athenæus *l.*7. *Geloo* Pollux *l.*10.*c.*23. attribuit. alterius itaqe, prout iſtic, ita illius fuerit σφάλμα μνημονικὸν: niſi fi de avtore, hoc an illo, variæ fuerint criticorum ſententiæ. qod in multis, & Apollodori alterius inter alios, contigiſſe, ex Athenæo & Polluce (alios ut taceam) liqidò patet. qin & Grotius proinde in *Excerptis* ſuis, fragmenta eadem nunc ſub hujus, nunc ſub illius nomine recenſuit. Nec fœliciùs itaqe in Svidâ reſtituendo qàm Hejnſius, qem tamen tam ſeverè

verè caſtigat, tam ſæviter flagellat, verſatus eſt ipſe Crœſus.

In Comici ſanè verbis diſtingvendis conſideratè minùs egit; cum ita reſcribit, ut hemiſtichium qvod præmiſſum oportuerat, ſenario integro ſubjungendo, metrum corruperit. qvalis eſt enim iambus iſte,

Τίνὶ ἐπωμίδα διαβλῶ πύξας' ἀνωθεν?

avt qvale etiam iambi novi exordium illud, ἐνεκομβωσάμην? Sed & ridiculus planè error eſt, qvod Vir doctiſſ. Ἀπολλόδωρον γελῶον non ſemel *Apollodorum ridiculum* reddidit. Atqi, ut illud ne moneam, (qvod qis in ferè Græcis literis vel leviſſimè tinctis neſcit) γελοῖον non γελῶον *ridiculum* denotare. *Geloi* nomen Comico illi, non à riſu adhæſit, ſed à patriâ. *Gela* ſcil. (teſte Stephani Byzantini abbreviatore) urbs fuit Siciliæ, juxta qoſdam à *Gela* flumine præterlabente, juxta alios à *Gelone* conditore ſic dicta. inde deductum formulæ geminæ nomen gentilitium, ab illâ nominis ratione Γελαῖος, ab iſtâ Γελῶος. Ab Apollodoro avtem *Phormionem* (ſicut & *Hecyram*) ſuam mutuam ſumpſiſſe Terentium avtor eſt Donatus. qi & Poetam *erroris manifeſti* reum teneri affirmat, qod in *Prologo* Ἐπιδικαζόμενον eam nuncupatam ait, verbis illis,

Epidicazomenon qam vocant Comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant,
Qia primas partes qi aget, is erit Phormio.

ἐπιδικαζομένην eam dicere debuiſſe. *id* enim *fabulæ, qam tranſtulit, fuiſſe nomen, à puellâ, de qâ judicium* habebatur, cùm Comici ejuſdem *fabula alia* fuerit, qæ ἐπιδικαζόμενος dicebatur. Et Apollodori qidem *Caryſtii*, non *Geloi*, fuiſſe avtumo; qæ & geminam forſan inſcriptionem habuerit, à puellâ adjudicatâ alteram, ἐπιδικαζομένην, à paraſito litem intendente alteram, Διαβαλλόντα. Apollodori Διαβάλλοντα lavdat Stobæus *tom.2. tit.6.* ex qo Pollucis codicibus medela dabitur, apud qem *l.*10. *c.*33. depravatiſſimè editum habemus, καὶ ἐν Ἀπολλοδώρου Καρυστίῳ διαβάλλων, Μίκα, ὦ Φορμίων, γλωττοκόμον ἐκ ὀφθαλμοῦ. qod Rod. Gvalterus interpres reddidit; *Et in Apollodori Caryſtii Diaballis, Magnum, ô Phormio, glottocomum non oculo.* qæ verba Oedipo aliqo, avt Sphinge etiam, indigent. Tu, lector, reſcribe ſis meo periculo;

καὶ ἐν Ἀπολλοδώρῳ τῷ Καρυστίῳ Διαβάλλοντι, —— μέγα,
Φορμίων, γλωττοκόμων· οὐκ ὀφθαλμῶν.

Et in Apollodori Deferente, ſive Calumniante,
Magnum ecce, Phormio, vidalum : non lippio.

Apollodori Διαβάλλοντα eſſe ex Stobæo diſcimus, Apollodorum hujus avtorem Caryſtium fuiſſe ex Polluce. ex qo & *Phormionis* nomen habemus; & illius qidem, opinor, qi fabulæ Terentianæ nomen dedit. Verùm iſtæ, de inſcriptione geminâ, déqe fabulâ hac eâdem cum Terentianâ, ut leves fuerint conjecturæ; at de Pollucis loco iſto reſtituendo qod attulimus, nihil qàm mera conjectura, avt ſuſpicio, minùs. Hæc avtem eo magis hîc adjicere viſum, qò unâ cum viro doctiſſ. ad Pollucem emendandum, qod & alibi loco non uno eſt à nobis præſtitum, hac occaſione ſymbolam noſtram contribueremus. Interim de V. Cl. alterius interpretatione, alterius reprehenſione, qæ ſit animi mei ſententia cum ingenuè liberéqe indicaverim, eam ipſe erudito ingenuóqe cuivis, libertate parili cenſendam relinqo.

Cap. X.

Hymnorum tituli. Hymni ἀνεπίγραφοι, qot. ἐπίγραφοι, qot. Titulis indicata. 1. *Perſonæ,* 1. *à qibus conſcripti. Moſes. David. Salomon. Aſaph. Heman. Ethan. In Hymno* 72. *elavſula adjecta, expenditur. Davidi omnes tribuentium, opinio rejecta. item Chaldæi, qi Hymnum* 92. *Adæ adſcribit. Plures tamen Davidis, qàm qi nomen ejus præferunt. Rabbinorum & Hieronymi, regula rejecta. De Aſapho tributis ambigitur.* 2. *pro qibus confecti.* 3. *qibus commiſſi.* לַמְנַצֵּחַ *qid.* 2. *Tempora, ſive occaſiones,* 1. *qibus confecti. Hymni* 9. *&* 56. *tituli, expenduntur.* 2. *qibus adhibendi.* אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר *qid.* מָחֲלַת *qid. Piſcatoris opinio rejecta.* 3. *Natura.* 1. *Qalitas, dignitas.* מִכְתָּם *qid.* שִׁיר הַמַּעֲלוֹת *qid. Variæ de hac ſententiæ.* 2. *Materia.* אַל תַּשְׁחֵת *qid.* לַמְנַצֵּחַ *qid.* עֲיוּת *qid.* 4. *Muſica.* שִׁיר *qid.* מִזְמוֹר *qid.* שִׁגְיוֹן *qid.* מִזְמוֹר שִׁיר & שִׁיר מִזְמוֹר. Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, *cur ſic dicti. Athenæus emendatus. Tzetzes notatus. Organa.* מַחֲלִילוֹת *qid.*

מַחֲלַת

מַחֲלַת *qid.* נְגִינוֹת *qid.* שׁוֹשַׁנִּים *qid.* *Irrita, inter ἀπαξ λεγ.* שׁוֹשַׁן עֵדוּת *qid.* נְתִינִים *qid.* *Junius hîc* ἀλλοφύλων. עֲנוֹת *qid. carmen* ἀμοιβαῖον. עַלְמוֹת *qid.* שְׁמִינִית *qid.* עַלְמוֹת לְבֵן *qid.* שִׁיגָיוֹן *qid.*

DE Hymnorum ſacrorum titulis diſſertationem (Ὧν πρῶτον) inſtituimus: non qaſi novi qippiam allaturi, ſed qô ordine aliqo diſpeſcamus, qod maximè probabile viſum fuerit, in ſingulorum explicatione ſecuti.

Hymni itaqe (ita חֲמוּדִים lubens verterim) ſacri, uno ſimul volumine conſtipati, vel ſunt *ἀνεπίγραφοι*, vel *ἐπίγραφοι*.

Ἀνεπίγραφοι, qi *titulo deſtituuntur*, ſunt numero viginti qinqe, ſexta pars utiqe cohortis integræ. 1.2.10.24.33.43. 71.91.93.94.95.96.97.99.104.105.107.114.115 116.117. 118.119.136.137.

Ἐπίγραφοι, qi *titulo* præfixo *inſigniuntur*, ſunt centum viginti qinqe reliqi.

Titulis ſive inſcriptionibus indicantur, 1. *Perſonæ*. 2. *Tempora*. 3. *Naturæ*. 4. *Muſica*.

Perſonæ titulis deſignatæ triplicem rationem, ſive differentiam habent; *à qibus conſcripti*; *pro qibus confecti*; *qibus commiſſi* ſive concrediti.

1. *A qibus conſcripti*. ſex ſunt autem, qorum nomina Hymnis ab ipſis concinnatis præfixa reperiuntur. *Moſis*, Hymno 90. *Davidis*, Hymno 3.4.5.6.7.8.9.11.32.34.35. 36.37.38.39.40.41.51.52.53.54.55.56.57.58.59.60.61. 62.63.64.65.68.69.70.86.101.103.108.109.110.124.133. 138.139.140.141.142.143.144. *Solomonis*, Hymno 127. *Hemanis*, Hymno 88. *Ethanis*, Hymno 89. *Aſaphi* deniqe, Hymno 50.73.74.75.76.77.78.79.80.81.82.83. qanqam de horum qibuſdam non immeritò ambigitur, *Aſaphone* conſcripti, an eidem ejúſve poſteris commiſſi fuerint: partim qia calamitates populi Dei, Templiqe ipſius unâ cum civitate devaſtati, qæ Hymno 74. & 79. deploratur, Aſaphi ætate inferiora longè tempora reſpiciat; partim qia qorundam Hymni nempe 75. ſubjecta materia Davidi potiùs qam Aſapho competere videatur.

Niſi ſiqis avt illa ſpiritu prophetico prævisa ac prædicta; hunc

ſubRegis perſonâ abAſapho conceptum & conſcriptum, ſtatuendum cenſuerit. Neqe enim ullâ ratione admittendū videtur, qod Evthymius in *præfat. ad comment. in Pſal.* habet; Hymnos univerſos Davidis eſſe, etiam qorum tituli alios avtores præferunt. nam & ab Aſapho hymnos conſcriptos fuiſſe, qi ad cultum ſolennem adhiberentur, habemus ex Annal. l. 2. c. 29. v. 30. Qanqam plures à Davide compoſitos certum eſt, qàm qi nomen ipſius in fronte gerunt: Siqidem de Hymno 72. liqet, ex verbis illis ad clavſulam noviſſimam adjectis. *Finiuntur orationes Davidis filii Jeſſei.* neqe enim eis aſſentiri poſſum, qi *ultima Davidis vota pro Solomone filio in regnum mox ſucceſſuro concepta*, vel *à Solomone*, cujus nomen præfert hymnus, (qod Mart. Bucerus opinatur) vel *ab alio ex cantoribus qopiam* (in qà ſententiâ nonnullos fuiſſe Abraham Eſdræ filius avtor eſt) in hymni formam redacta, & ſcripto tradita fuiſſe volunt. Sed nec hunc adjectionis illius ſenſum eſſe avtumo, (qod multis tamen placuiſſe video) *verba votáve Davidis iſta noviſſima fuiſſe*; cùm de aliis in hiſtoriâ ſacrâ Regum l. 2. c. 23. v. 1. hoc ipſum diſertè affirmetur: ſed vel hunc ultimum fuiſſe ex hymnis Davidicis, cùm codex iſte primò confectus eſt; ut, qi ſequntur ejuſdem, ſparſim alienis immiſti, piorum operâ conqiſiti & deinceps adjecti ſint; (qod deSolomonis parœmiis liqidò conſtat, ex lemmate capitis 25.) vel hucuſqe ſerie qaſi continuâ Davidis hymnos fuiſſe congeſtos, cùm ab iſto ſequntur Aſaphi aliorumqe ſerie geminâ continuati havd pavci; etiamſi intervallo ſatis notabili facto, Davidici qidam deprehendantur alienis illis interjecti. Cæterùm & de aliis itidem, etiamſi Davidis nomen non præferant, hunc tamen avtorem habuiſſe, conſtat aliunde; de ſecundo, ex Petri verbis Act. c. 4. v. 25. de nonageſimo ſexto, centeſimo qinto, & ſexto, ex Annal. l. 1. c. 16. v. 7. qo loco tanqam Davidis recenſentur iſtorum unus integer ferè, reliqorum duorum, alterius ab initio prolixum ſatis ἀπροσωπόμιτον, alterius à fine verſus duo noviſſimi.

Qin & *Moſi*, nec huic tantùm, plures tribui oporteret, ſi regulæ illius fidem ſeqeremur, qam in *Pſal. 90. expoſitione ad Cyprianum* tradit Hieronymus: *Hanc eſſe Scripturæ ſacræ conſvetudinem, ut Pſalmi, qi, cujus ſint, titulum non habent,*

eis

eis deputentur, qorum in prioribus nomina continentur. unde ſtatuit ipſe Hymnos undecim, ab iſto ad centeſimum uſque, ejuſdem avtoris; nempe Moſis, eſſe. Ambroſius certè *de fide orthodoxâ contra Arianos c.3.* ſicut ex Hymno 72. ſub Dividis, ita è 97. ſub Moſis nomine lavdat nonnulla. Cæterùm regulæ huic fidem non derogat, ſed abrogat planè, qod Hymno 99. v.6. *Samuelis* fit mentio, poſt Moſem ſeculo uno & altero nondum nati. Nec ſatisfacit omninò ſuffugium illud Hieronymianum, *prophetatum eſſe à Moſe Samuelis nomen*; cum de Samuele hymni avtor, qiſqis is fuerit, tanqam de perſonâ tempore ſuo notâ ſatis nobiliqe loqatur. De Hymno itidem 50. Aſaphóne conſcripta, an eidem concredita fuerit, qi ambigant, non deſunt; ſicut & de reliqis, qi nomen ejuſdem in fronte gerunt. (Nam Paraphraſtæ Chaldæi nullam hîc habeo rationem, qi *Adæ* protaplaſto Hymnum 92. tribuit.) Verùm, tum de iſtis, tum & de cæteris omnibus, qorum conditores in obſcuro deliteſcunt, qod de Libro Job olim Gregorius Rom. *præfat.c.1.* idem pariter dictum ſit: de literis Regis avt magnatis cujuſpiam cum conſtet, de calamo, qo exaratum, vel amanuenſi, à qo ſcripto ſit traditum, vel concinnatum etiam, litem movere qid proderit? *Cum enim,* inqit ille, *rem cognoſcimus, ejúſqe rei Spiritum Sanctum avtorem tenemus, qi ſcriptorem qærimus, qid aliud agimus, niſi legentes literas, de calamo ſatagimus?* In qam eandem mentem & Gregorio prior Theodoretus, de hoc ipſo agens argumento; Ποίαν μοι συγχέχυκαν ὠφέλειαν, εἴτε τέτο, πάντες, εἴτ' ἐνίων εἶσιν τινες· ἅπλοῦν γὰρ ὄντ@, ὡς ἐκ τ῀ θείε πνεύμα@ ἐνεργείας ζωηχάρη& ἅπαντες; *Qid meâ* refert, *hujus omnes, an illorum nonnulli ſint, qum univerſos Spiritus divini afflatu conſcriptos fuiſſe compertum ſit?*

Atqe hæc de eis, à qibus confecti; ſeqitur de eis, vel pro qibus conſcripti, vel qorum fidei curæqe demandati prædicantur.

2. Itaqe pro Solomone, Hymnus 72. pro è Dei populo afflicto qovis, Hymnus 102. conſcriptus perhibetur.

3. Qibus commiſſi, vel generatim deſignantur, לַמְנַצֵּחַ *præfecto, ſymphoniæ magiſtro.* ex Annal. l. 2. c. 2. v. 2. 17. & c. 34. v. 13. ubi לַמְנַצְּחִים οἱ ἐργολαῦλαι, ſive *operis præfecti* dicun-

dicuntur, ut R. David Kimchi & Abraham Eſdræ filius. Græci, LXX qi cenſentur, εἰς τὸ τέλος, *in finem* ; qaſi eſſet לַמְנַצֵּחַ qomodo ex Rab. Gaonis ſententiâ, Abraham Eſdræ filius exponit : ut hymni intelligantur, qi perpetuò cantari debeant. Verùm prius illud probabilius videtur, qum & לַמְנַצֵּחַ pro operis cum prophanis, tum & ſacris procurandis & promovendis *præfici* ac *præeſſe* creberrimè ſumatur : uti videre eſt Annal. l. c. 15. v. 21. ubi de muſicis etiam diſertè uſurpatur. & c. 23. v. 4. & l. 2. c. 34. v. 12. & Ezræ c. 3. v. 8. 10. At Aqila & Theodotion, τῷ νικοποιῷ, *ei qi victoriam præbet*. ac ſi hymnus εὐχαριστικὸς. Symmachus, ἐπινίκιος, qaſi canticum *triumphale*, deſignaretur ; qod ipſum hymnorum argumentum ſæpenumerò refellit. Sunt autem hi hymni. 4. 5. 6. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 18. 19. 21. 22. 31. 36. 39. 40. 41. 42. 44. 45. 46. 47. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 75. 77. 80. 81. 84. 85. 88. 109. 139. 140.

Vel ſpeciatim ; *Jeduthunis choro*. Hymn. 39. 62. 77. *Corachi poſteris*. Hymn. 42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 84. 85. 87. 88. *Aſapho* ejuſdemve poſteris. Nam de eis, qi *Aſaphum* inſcriptum habent, qod ſuprà monui, ambigi poteſt, an & in hac claſſe ſint ponendi. certè hymnodiæ formulas qaſdam *Aſapho ejúſque choro* à Davide contraditas, habemus ex Annal. l. 1. c. 16. v. 7. Cæterùm ego Aſapho ex eis qos ſuprà recenſui, partem benè magnam havd illubenter detulerim ; Et Hymnum 73. eo magis, qòd ad Hymnum proximè antegreſſum Davidicis finis datus dicitur. Qin & eis, qi anteceſſerant, interſiti ſunt nonnulli, qi Iſraelis μελοποιὸν illum amœnum conditorem habere non poterant : è qibus eſt celeberrimum ἐπιθαλάμιον illud, hymn. 45. at verò poſteriores illos, 74. 79. 80. 83. Aſaphi poſteris potiùs concreditos, qàm ab Aſapho ipſo confectos, ex argumenti ratione proclivius eſt credere ; de qo qid ſentiam; eſt ſuperiùs indicatum.

Hactenus fuerunt *perſonæ* hymnorum titulis deſignatæ : *tempora* ſequuntur, qibus vel confecti, vel adhibendi prædicantur.

Tempora, ſive occaſiones, qibus ſunt conſcripti, cùm in Davidicis ſolis reperiantur expoſitæ ; idcircò pro rerum ab eodem geſtarum ordine claſſem iſtam digeremus. conſcripti ſunt itaqe,

1. Ad

1. Ad *Goliæ cædem* Hymn.9. ſi Chaldæum Paraphraſten ſequimur, qi עַל־מוֹת לְבֵז exponit, *ſuper mortem ejus qi inter duas acies medius conſtitit.* qod & in editione primâ amplexus eſt Tremellius: ex Hiſt. Reg. l.1.c.17. v.8.50. minùs enim probantur, qi de Nabale accipiunt.

2. Ad *ædes Davidis* per miniſtros à Savle miſſos *perſcrutatas.* Hiſt. Reg.l.1. c.19. v.11. Hymn.59.

3. Ad *falſas Cuſhi* Benjaminitæ *calumniationes.* Hiſt. Reg. l.1.c.24. v.9. Hymn.7. nam de Shimeo qi intelligunt, qibus probetur id, vix reperiunt.

4. Ad *apprehenſionem ſuam Gathi.* Ibid. c.21. v.11. Hymn. 56. de occaſione conſtare ſatis videtur. cæterùm obſcuriora ſunt verba illa, עַל־יוֹנַת אִלֶם רְחוֹקִים *de vim patiente* (*animâ*, uti in קוֹהֶלֶת Salomonico ſuppleri ſolet) *à manipulo longinquorum.* Jun. & Tremell. *de columbâ obmuteſcentiæ* (i. mutâ) *in longinqis locis.* Poſt Jajrum & Camium, Calvin. Moller. Piſcat. & alii pleriqe. nam Eſdraides cantilenæ alicujus vulgò notæ, ad cujus modos hymnus iſte compoſitus fuerit, initium avtumat fuiſſe.

5. Ad *evaſionem ab Abimelecho.* ibid. cap. 22. v. 1. Hymn. 34.

6. Ad *commorationem* ſuam *in deſerto Judæa.* ejuſdam cap. v.5. Hymn.63.

7. Ad *Ziphitarum proditionem.* ibid.c.23.v.19. Hymn 54.

8. Ad *ſtationem Gittheam*, ſive arcæ dominicæ deductionem. Hiſtor. Reg. l.2.c.6. uti vult Junius; qem viſe ſis. Hymn. 8. & 81.

9. Ad *increpationem propheticam*, de *adulterio homicidióqe* perpetrato. Hiſt. Reg. l.2. c.12. Hymn.51.

10. Ad *fugam ab Abſalomo.* Ibid.c.15. v.14. Hymn.3.

11. Ad *dedicationem*, ſive *inſtavrationem domus ſuæ.* ibid. c.20. v.3. Hymn.30.

12. Ad *liberationem*, cùm *à Savlis inſidiis*, tum & *ab univerſis inimicorum ſuorum conatibus.* Ibid. c.22. Hymn.18.

Atqe hæc fuerunt *tempora* & *occaſiones*, *qibus confecti* & conſcripti; ſequntur *qibus adhibendi* & uſurpandi deſignantur.

Ea vel ſunt ſtata & ordinaria, vel è re nata, & extra ordinem emergentia.

Prioris generis ſunt, *tempus*, avt *diei*; *aurora prima*, (ita אֵלֶת הַשַּׁחַר Junius reddit) cui Hymn. 22. avt *ſeptimana*; *dies Sabbati*; cui Hymn. 92. deſtinatus perhibetur.

Poſterioris ſunt, *tempora*, avt *afflictionis* & anguſtiæ, cui Hymn. 102. avt *ægritudinis* alicujus affligentis, cui Hymn. 88. amoliendæ deſtinatur; ſi Piſcatorem ſequimur, qi מַחֲלַת לְעַנּוֹת vertit, *de infirmitate affligendi*, ſive *afflictionis*. i. *affligente*. ut מַחֲלַת à חָלָה *ægrotare*, *infirmari* deducatur. qod & Jajro aliiſque viſum. Verùm & Syntaxis mihi pavllò coactior videtur: nec vocabuli ea ſignificatio Hymni 53. argumento qadrabit, ubi idem ipſum deprehenditur.

Ad tertium illud tranſeo, qod inſcriptiones iſtæ indicare videntur. Ea eſt Hymnorum ipſorum, qibus præfiguntur, *natura* & conditio.

Hoc nomine comprehenſam velim hymni, vel *qalitatem*, vel ſubjectam *materiam*.

1. *Qalitatem*, ſive *dignitatem* & *excellentiam* qod attinet; hinc fit, ut alii, *aureæ cantilenæ* (ita מִכְתָּם à כָּתַם qod *aurum puriſſimum & purgatiſſimum* deſignat, Jobi c. 28. v. 16. 19. Hymn. 45. v. 10. Dan. c. 10. v. 5. exponunt poſt Abraham Eſdræ & Dav. Camium, Jun. & Piſc.) Hymn. 16. 56. 57. 58. 59. 60. alii *graduum*, ſive *excellentiarum*, i. *excellentiſſima*, (ut Jun.) *in ſummo gradu* (ut Piſcat.) *collocandæ* dicuntur. qo modo הָאָדָם מַעֲלֵה *homo gradus*, ſive *excellentiæ*, pro excellenti dicitur, Annal. l. 1. c. 17. v. 17. Hymni qindecim ſerie continuâ ſimul diſpoſiti, qorum agmen ducit Hymnus 120. clavdit Hymnus 134.

Conjecturas interim havd ſum inſcius deprehendi varias de appellationis hujus ratione. alii enim ad modum canendi referunt: ideo שִׁירֵי מַעֲלוֹת dici, qòd cantandi eſſent בְּקוֹל גָּדוֹל לְמַעְלָה *voce magnâ in ſublime elatâ*: ſicut Annal. l. 1. c. 15. v. 16. לְהַגְדִּיל בְּקוֹל in qâ ſententiâ R. Saadias Gaon fuiſſe dicitur Abrahæ Eſdraidæ; qi tamen ipſe mavult eſſe poeſeos alicujus nomen, ad cujus modulum formámqe eſſent decantandi. alii ad locum referunt, in qo cantari ſolebant: in *gradibus* ſcil. 15. numero, qibus ab atrio mulierum ad virorum aſcen-

aſcendebatur. qod Salomon Jajrus cenſuit. alii deniqe eò volunt conditos fuiſſe, ut vel è Babylonicâ jam olim captivitate (à qâ reditus מַעֲלָה *aſcenſio* dicitur Ezr.c.7. v.9.) vel ab eâ deinceps, in qâ jam agunt, diſperſione, ſub Meſſiæ tempora, reduces, inter redeundum & *aſcendendum* in terram ſuam, qò itineris tædio ſe exolverent magis, decantarent: qò & David Camius poſt aliorum interpretationes recenſitas inclinare ipſe videtur. nam cætera horum vel commenta, vel deliria, tranſcribere tædet. ſed nec his ipſis probabile qicqam ſubeſſe videtur.

Subjectæ *materiæ* ratione major adhuc in titulis varietas reperitur. indicantur enim ex inſcriptione qidam eſſe ἐυκλικοὶ ſive *comprecatorii*, תְּפִלָּה *precatio*, Hymn.17. 86. 90. 102. qidam ἀπευκλικοὶ, *deprecatorii*, אַל תַּשְׁחֵת *ne perdas*. Hymn.57. 58. 59. 75. qidam ἀπομνημονευτικοὶ, *commemoratorii*, ſive *commonitorii*. Hymn. 38. 70. לְהַזְכִּיר *ad recordandum*. i. *memoriam ſtatuendam mali ſui & liberationis à Deo acceptæ*. Jun. at ego malim, *ad reducendum in memoriam, Deúmqe de anguſtiis, in qibus verſentur, commonefaciendum*. confirmat tota Hymni utriuſqe compages. neq ſecus ceperim Annal. l.1. c.16. v.4. ubi הוֹדוֹת ab הַלֵּל & הַזְכִּיר diſertè diſtingvitur. qidam διαμαρτυρητικοὶ, *obteſtatorii*. עֵדוּת *teſtimonium*, vel *obteſtatio*. Hymn.80. non tam qòd *fidem Eccleſia in Deum ſuam eo teſtificetur*, ut Junius vult, qàm qòd *Deum enixè obſecrent, eúmqe qodammodo obteſtentur*, per curam de ſe priùs habitam, cui adverſari, ejuſdémqe ſucceſſum, qem irritum planè facere videantur, qæ tum ab hoſtibus ſuis patiebantur; ut opem ferre, & è malis quibus premantur, eruere ipſos velit. hoc enim inſinuat hymni ipſius argumentum. cæterum שׁוֹשַׁן עֵדוּת Hymn.60. aliò ſpectare videtur, uti deinceps videbitur. qidam εὐχαριστικοὶ, *gratulatorii*. תּוֹדָה *confeſſio*, ſive *gratiarum actio*. Hymn.100. qidam αἰνετικοὶ, *laudatorii*. תְּהִלָּה *laudatio*. Hymn.145. Et qibus inſcriptionis vice præfigitur הַלְלוּיָהּ *laudate Deum*. Hymn.106, 111, 112, 113, 135, 146, 147, 148, 149, 150. qidam ἐρωτικοὶ, ſive ἐπιθαλαμιοι. *amatorii*, ſive *nuptiales*. יְדִידוֹת *amorum*. epithalamium illud inſigne. Hymn. 45. qidam deniqe διδασκαλικοὶ, ſive διδακτικοὶ, *eruditorii*. מַשְׂכִּיל *eruditor*. Hymn. 32, 42, 44, 45, 52, 53, 54, 55, 60, 74, 78, 88,

88, 89, 142. & לְלַמֵּד ad docendum. Hymn. 60.

Reſtant *Muſica*; qæ eò māgis in abdito ſunt, qia priſca temporum illorum Muſica jam diu eſt, qòd tota ferè interierit. qod non obſcurè agnoſcit Camius non ſemel. Nos ea, qæ clara magis videntur, ulnis obviis amplectemur; in reliqis divinationes qaleſcunqe, ubi nihil dilucidius occurrere viſum fuerit, admittemus, neceſſitati obſecuti.

Qæ ergò *Muſicam* modúmqe canendi ſpectantia, titulis hiſce comprehenduntur, ea vel *generatim*, vel *ſpeciatim* deſignata ſunt.

Generatim dico: qòd ex Hymnis iſtis, qidam *aſſâ voce* canendi deſtinantur; unde שִׁירִים ᾠδαὶ, ἄσματα, *cantica, cantilenæ* dicti. qod nomen eſt Hymnis, 7, 26, 46 78. tributum. qidam *ad organa Muſica*: unde מִזְמוֹרִים ψαλμοὶ, *pſalmi*, dicti. qam diſtinctionem agnoſcere videtur Apoſtolus ad Coloſſ. c. 3. v. 16. ubi *odas* à *pſalmis* diſtingvit, eiſdémqe *hymnos* (qod nomen utroſqe illos forſan comprehendat) adjungit. Hujus generis feruntur plures multò. Hymni, 3, 4, 5. 6, 8, 9, 12, 13, 15, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 29, 31, 38, 39, 40, 41, 45, 47, 49, 51, 62, 63, 64, 73, 77, 79, 80, 82, 84, 85, 98, 100, 101, 109, 110, 139, 140, 141, 143. Ex his avtem, alii *vocibus prælatis* canebantur, ut in verſiculis ſingulis decantandis *voces præirent, organa ſeqerentur*, unde שִׁיר מִזְמוֹר *oda pſalmi* nomen hæſit Hymnis, 30, 65, 67, 68, 75 87. alii *organis*, ut *hæc præirent, illa ſeqerentur*. unde מִזְמוֹר שִׁיר *pſalmi oda* appellatio in titulis Hymnorum 48, 66, 83, 88, 108. Facítqe huc qod de ſuorum Muſicâ Triclinius habet. ad *Pyndari Olymp. odam 2.* Ἀραξιφόρμιγγες ὕμνοι. οἱ τὴν φόρμιγγα ἀνάοντες, πρῶτον μὲν τὰ ἄσματα ᾖδον, εἶτ' ἤδη τοῖς ἄσμασι τὴν φόρμιγγα ἀνακιρνῶσιν. ἢ ἀμφότερα ἐκάλουν τὴν φόρμιγγα ἀναπαύουσαν. πρῶτον δὲ ἔκρουον, εἶτα τὰ ἄσματα ᾖδον, ὡς φησιν Ὅμηρος, (*Odyſſ. α. v. 155. & θ. v. 266.*)

Ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν.

Priùs enim *citharam pulſabant, tum canebant.* atque ita Evſtath. *ad Odyſſ. α.* ἀνεβάλλετο, ἀντὶ τοῦ προεκρούετο, ὡς εἰώθαμεν. qum apud nos vice verſâ, ubi cantus vocalis muſicis organis admiſcetur, ille plerunqe præeat, ſeqantur iſta. Qod & antiquitùs obtinuiſſe teſtatur, & contra jus fáſqe ſuo tempore violari cepiſſe conqeritur in *Hyporchemate* Pratinas. *cantus*, inqit, *chorum ducat*;

O

Ὁ δ' ἀυλὸς ὕστερον χορδίνου.
Καὶ γάρ ἐσθ' ὑπηρέτης. —

ita enim leg. non, ὑδ' ἀυλὸς, qod contra Lyrici mentem codices exhibent.

Poſt hunc ſequatur tibia:
Quæ hæc illi inſerviat.

Lavdat *lib.*14. Athenæus, qi & alios qoqe havd pavcos refert indignatos, ὅτι τῷ τοὺ ἀυλητὰς μὴ ζωωλεῖν τοῖς χορεῖς, καθάπερ ὧν πάγιον· ἀλλὰ τοὺ χορεὺς ζωῴδειν τοῖς ἀυλητοῖς. Siqidem neceſſe erat, ut ei qod præiſſet, accommodaret ſe id qod ſecundas teneret. Nec alia Pindaro, qàm qæ Pratinæ mens. ille φόρμιγξι ἀνάσσειν τοὺ ὕμνους, (contrà qàm Tzetzes explicat) iſte χορεῖς ὑπηρετεῖν τῇ ἀυλῷ poſtulat. Interim Muſicæ iſtiuſmodi antiqior havd pavllò videtur uſus, qàm eſt Plinio viſum, qi *hiſt. natur.l.7.c.56.* tradit, *Citharâ ſine voce ceciniſſe Thamyram primum; cum cantu Amphionem, vel, ut alii, Linum; cum tibiis canere voce Trœzenium Dardanum inſtituiſſe.*

Organa, ſive *Inſtrumenta Muſica*, qæ hymnis iſtis decantandis adhibenda deſignantur, duûm ſunt generum. Vel enim ſunt πνευματικὰ, *inflatilia*, נְחִילוֹת Hymn. 5. nam חָלִיל *tibia*, *fiſtula*. Eſajæ c. 5. v.12. & c.30. v.29. & מחלות *fiſtulæ*. Exod.c.15. v.20. inde dictæ, qòd ſint perforatæ & excavatæ, à חָלַל *perforare*. qò & סַחֲלֵת in titulo Hymni,53. & 88. refert Cl. Junius; reclamante licet; ſed fruſtra, puto, (qod & priùs dictum) cum aliis qibuſdam Jo: Piſcatore. Vel ſunt κρουστὰ καὶ ψηλαφητὰ, *pulſatilia*, qæ avt bacillis plectríſve cædebantur, avt manibus digitíſve attrectabantur. נְגִינוֹת à נָגַן *pulſare*. unde מְנַגְּנִים *pulſatores* cantoribus juncti Hymn.68. v.9.qæ vox etiam Abakkuko uſurpata, c.3.v.19.qo loco illud obſervandum, ad hymnum extremum ſubjungi. qod in iſtis præfigi aſſolet. his deſtinantur Hymni, 46,54,55,61,67,76. iſtis accenſenda videntur שְׁמִינִים qaſi *hexachorda* dixeris. nam & τὰ ἔντατα, qæ *fidiculis diſtentis* attactíſqe ſonum edunt modulátum, inter ψηλαφητὰ locum jure ſibi vendicant. juxta illud,

Aſſvetam digitis pollice tange lyram.

dèqe iſtis uſurpatur verbum נָגַן & נגן Hiſtor. Reg. l. 1. c.16.

v.16,17. his deſtinatur hymnus 45. & 80. Sed & 60. ubi שׁוֹשַׁן עֵדוּת *hexachordum teſtimonii* reddunt; & exponunt, *Sacerdotum proximè arcam teſtimonii in templo Dei conſiſtentium.* Sed & גִּתִּית ſive *inſtrumenta Gitthæa*, ſi ita vertere libuerit, huc referenda ſint. qod vocabulum Hymnis 3. prælatum deprehenditur. 8,81,84. nec intelligo ſatis, qare Cl. Junius, *Gitthæam ſtationem* prioribus duobus, noviſſimo *Gitthæa inſtrumenta*, reddiderit. niſi fortè qòd hymni 84. argumentum ſtationi Gitthæ minùs convenire animadverterit. Verùm hæc eum ratio monere poterat, aliò ſpectare vocem hanc.

Speciatim modulationis ratio deſignatur;

Vel qoad *ordinem* canendi; per vices, *alternatim.* ita enim interpretandum puto לְעַנּוֹת Hymn. 88. ex Exod. c. 15. v. 21. וַתַּעַן *reſpondit eis Maria.* & Ezræ c. 3. v. 11. וַיַּעֲנוּ *& reſponderunt.* i. *viciſſim cantabant.* Piſcat. & noſtri. qanqam Junius ſimpliciter, *canendum* verterit: prout & formulam eandem uſurpari exiſtimat. Exod. c. 32. v. 18. & Eſajæ c. 27. v. 2. qibus tamen locis, nihil obſtat, qò minùs & de carmine ἀμοιβαίῳ accipiatur.

Vel qoad *tonos* (de qibus Junium ſeqimur) eóſqe vel ſingulos; *ad acutum*; עַלְמוֹת *voces virgineas.* Hymn. 46. *ad gravem*, שְׁמִינִית *pingvem, baſſum.* Hymn. 6. 12. Annal. l. 1. c. 15. v. 21. ad *medianum*, ſive (ut Jun. editione noviſſimâ) *contratenorem.* עַל־מוּת לַבֵּן Hymn. 9.

Vel *omnes junctim*; שִׁגָּיוֹן *ode erratica.* i. *mixta, multiplex cantu, qæ omnibus Muſicæ rationibus decantatur. qod Tullius Synodiam voce Græcâ dixit.* Jun. Hymn. 7. Ciceronis locus eſt *ad Attic. l. 10. ep. 6.* Titulus idem ſed multitudinis numero conceptus, etiam Habakkuki hymno præfixus reperitur.

CAP.

Cap. XI.

Exercitatoris de Pſalmorum titulis diſſertatio diſcutitur. Hymni 38. *&* 70. *διῤῥιζοὶ potiùs ἢ ἀναβαθμοὶ, quàm διαβατικοὶ. Totum illum proceſſum, unde Graduum Pſalmi nuncupentur, commentitium videri prorſus videri. Arca è domo Davidis deducta non legitur. Hymn.* 120. *Liberationem Ægyptiacam non reſpicit. Hymni ἀναβαθμικοὶ feſto ſolenni non congruunt. Hymn.* 127. *Salomonis domum ſtirpemque, non Templum reſpicit. Ad varias occaſiones ſcriptos, nonnulli. Captivitate Babylonicâ ex eis poſteriores deprehendi. De Abyſſi inundatione repreſſâ, putidum commentum. De titulis non intellectis ſibi ipſe Exercitator non conſtat. In librorum* 5. *ſubjectâ materiâ definiendâ, inſigniter halucinatur. Graci* 151um *adjiciunt.*

PEnſum iſtud ubi abſolveram, incidi in è noſtris Viri eruditiſſimi *Exercitationes* qas *divinas* (*Theologicas*, opinor, volens) inſcripſit. Ibi inter alia *de Pſalmorum Titulis Exercitationem* offendi, numero *decimam ſeptimam.* in qâ occurrunt nonnulla, de qibus (bonâ cum ipſius veniâ) pavcis diſpicere velim.

Primò de titulo illo לְהַזְכִּיר Hymnis 38. & 70. præfixo, non poſſum illi aſſentiri; eo nimirum indicari, *conſcriptos eſſe Hymnos iſtos in memoriam liberationis alicujus notabilis, vel inſignis beneficii alicujus.* qia utriuſqe argumentum apertè doceat, conceptos atqe excluſos fuiſſe afflictionis, ærumnæ, anguſtiarum tempore; nec eſſe liberationem jam habitam celebrantis, ſed præſtari atqe exhiberi eam enixè poſtulantis. qod & ſuprà monueram.

Secundò, שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת (ita enim malim, qam שִׁירִים) cur dicantur, rationem aſſignando, factum refert, ut *qum Arca à Davidis domo in templum deduceretur, in itinere Hymnum* 119. *accinerent, cujus initium eſt, Beati immaculati in viâ*, & de Lege divinâ maximâ ex parte agit: *qum Atrium Gentium intrabant, noviſſimam ejus periocham decantarent: cùm in Atrium populi proceſſiſſent ulteriùs, in primo gradu conſiſtentes, Hymnum* 120. *canerent, in qo mentio liberationis populi*

puli ex Ægypto; in ſecundo Hymnum 121. *Avxilium mihi à Domino.* in tertio Hymnum 122. *Lætatus ſum, cùm dicerent mihi, Aſcendamus in domum Domini: atqe ita in ſingulis reliqis Hymnos ſingulos; uſqe ad octavum, in qo, cùm ædificia inſignia in Atriis Leviticis ob oculos haberent, Hymnum* 127. *Niſi Dominus ædificaverit domum* &c. *cecinerint, tum ubi Atrium Sacerdotum ingrederentur, Hymnum* 128. *decantatum.* in gradu verò ultimo Hymnum 134. *Benedicite Domino ſervi ipſius omnes, qi noctu in domo ipſius vigilias obitis. Populo autem cùm ulteriùs progredi nefas eſſet, ſacerdotes cum Arcâ proceſſiſſe: qi Templi veſtibulum intrantes, cantabant ex Hymno* 118. *v.*19. *Aperite mihi portas juſtitiæ.* in eodem conſiſtentes, *v.*20. *Hæc eſt porta Domini, per quam juſti intrabunt.* in Templo medio conſtituti, *v.*22. *Lavdabo te, qia exavdiviſti me, factus es mihi in ſalutem. denique cum Arca in Sanctum Sanctorum immittebatur, Hymnum* 24. *occinebant.* Atqi 1° nullo avtore iſta omnia dicuntur. avt ſi apud Rabbinulos & Doctorculos Judaicos, qo hominum genere nihil nugacius, ejuſmodi qippiam offenderit, qàm tamen parùm conſulti avt conſiderati fuerit, ex eorum avtoritate, qâ nec farfari folia leviora exiſtant, commenta iſtiuſmodi, vel ſomnia potiùs, tam fidenter obtrudere, ac ſi rei geſtæ coràm ipſe interfuiſſet, aliis potiùs perpendendum lubens relinqo. 2° *E civitate Davïd, Arcam Fœderis deductam* legimus, Hiſtor. Reg. l.3. c.8. v.1. & Annal.l.2 c.5. v.2. at *è domo Davidis* nuſqam. nec ex Annal.l.2.c.8. v.11. id probatur. qod avtorem hunc forſan fefellerat. 3. Non eſt veroſimile avt à ſingulari ac unico actu iſtiuſmodi tot Hymnis nominis idem peculiariter hæſiſſe, avt ſi hæſiſſet, non fuiſſe ſerie continuâ unà cum illis diſpoſitos, & titulo notabili ejuſmodi aliqid inſinuante inſignitos, qi eodem tempore adhibebantur, reliqos. 4. Nec occaſioni illi ſatis congrua ſunt Hymnorum iſtorum maximâ ex parte argumenta. nec ad *liberationem Ægyptiacam* ſpectare Hymnum 120. qiſqam unqam probatum dederit; imò vix cordatus qiſqam facilè in animum induxerit: & ſi vel maximè ſpectaret, *ad arcæ deductionem* qid tum faceret? nec ad *Dei Templum*, ſed ad *Salomonis domum ac ſtirpem* Hymnus 127. refertur. Et huic proximus *nuptialis* eſt potiùs

qàm

qam *dedicatorius*. tum 123. & 130. ſunt χαπλιαστικὶ καὶ ἐγκλιτικὶ, triſtis uterqe prorſus materiæ, qæ tempeſtati tam feſtæ, tam lætæ, tam favſtæ, nullo modo competebat. ut illorum probabilior ſaltem ſententia fuerit, qi *ad varias occaſiones* conſcriptos volunt hoſce hymnos, qos Levitæ vel Sacerdotes, prout uniuſcujuſqe occaſio poſtulabat, qo vel *thoro nuptiali benedicerent*, vel *adverſus opprobria ſolamina adhiberent*, vel *in anxietate & anguſtiâ poſitum reficerent*, vel *fiduciam in Deo collocatam confirmarent*, è locò eminentiore voce clarâ decantarent. Arcæ verò cõllocatæ Hymnus 132. conveniebat magis, qàm qi iſtic aſſignatur, 24. Sunt ex his deniqe, qi ævi poſterioris omnino videntur. Hymnus certè 126. poſt populum *è tranſportatione Babylonicâ* reducem, confectus eruditis pleriſqe agnoſcitur; qod & Salomon Jarus planè pro comperto habet. facítqe eôdem qod David Camius obſervat, *captivitatis* mentionem in his *graduum*, qos appellant, diſertè factam reperiri. Non minùs itaqe à ratione alienum videtur fuiſſe commentum iſtud, qàm putidum illud magiſtellorum eorundem nugamentum, de *abyſſo*, qæ *cum Templi fundamenta jacicbantur*, ita *exundaſſe* dicitur, ut periculum fuerit *orbem terrarum univerſum ſubmerſum iri*, nî Achitophel (qi tamen ſub Davidis tempora defunctus deprehenditur) nomine ineffabili ſcripto ad *gradus qindecim* eandem cohibuiſſet. qod figmentum tamen ſecutus videtur Paraphraſtes Chaldæus, qum ait Hymnos iſtos dictos fuiſſe עַל סְמוּקִין דְּחַמְסָא *de aſcenſionibus abyſſi*. ſatis ſcilicet fuerat fabularum portentoſarum fabris hiſce, qod in Hymno 129. מַמַּעֲמַקִּים *de profundis ad te clamavi, Domine*, legerant. מַחְהוֹמִים ſi foret, nihil certius fuiſſet.

Tertiò, qòd *Hymnorum titulos, qi non intelliguntur*, affirmat eſſe vel *Tonos Muſicos*, vel *Inſtrumenta Muſica*, animadverſionem aliqam poſcere videtur. Etenim, ut ne excipiam, non videri ab intellectu noſtro iſta dimota prorſus univerſa, cùm interpretationes nonnulli certas ſatis præferant, probabiles etiam è reliqis admittant; qæro qî fit, ut qæ negat intelligi, qædam nominatim pronunciet ipſe eſſe *Tonos Muſicos*. qædam nominibus etiam ſuis deſignata, eſſe *Muſica inſtrumenta*. ubi ipſe qoqe ſibi denuò contradicere

videtur, qum מַחֲלַת *Machalath*, nunc in hac, mox in illâ claſſe reponit. qin & illud עַל אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר Hymni 22. primo loco inter *non intellecta* recenſet; mox eſſe *tonum Muſicum* affirmat. Pavlo poſt, *hymnum iſtum tempore matutino ad holocauſti matutini oblationem accini ſolitum* refert, *quomodo* 92. *in die Sabbati.* at unde noviſſimum hoc habet, niſi ex titulo ipſo, prout Junius eum interpretatus eſt? ea avtem ſi recta eſt interpretatio, nec inſcriptio illa non eſt intellecta, qod primo, nec *tonum Muſicum* deſignat, qod ſecundo loco dixerat.

Deniqe *Hymnos* in *libros qinqe* diſpertitos fuiſſe jam pridem monuerunt Epiphanius *de menſur. & ponder.* § 5. Hilarius *prologo in Pſalm.* Hieronym. *prologo galeat. præfat. in Pſalter. ad Marcell. de vocabul. Hebr. & de Sela.* alii. unde in *Midras Tehillim* legitur: *Moſes dedit qinqe qinarios legis*; *David librum Hymnorum, in qo qinqe libri.* licet hoc non ſit uſqeqaqe verum; cùm Davidis tempore horum pars non contemnenda nondum extaret. Sed & Epiphanius Pſalterium ἄλλῳ πεντατεύχῳ, ſive *novum Pentatevchum* nuncupat. Librum *primum* clavdunt Hymno 41. *ſecundum* 72. *tertium* 89. *qartum* 106. *qintum* & ultimum 150. nam qem adjiciunt Græci tanqam à *Davide* confectum poſt *Goliam interfectum*, nec μελοποιὸν ſvavem illum ſpirat, nec in Canonem ſacrum unqam receptus eſt. Verùm qod vir doctiſſimus, librum *primum* vult res *triſtes* canere; ſecundum *lætas*; tertium *triſtes*; qartum *lætas*; qintum *utraſqe*; intuenti penitiùs, frivolum planè & à veritate alienum comperietur. Ecqid enim *triſte* Hymnis 1.2.8.9.11.15.18. (qod eſt δαυϊτικὸν ſolenne) 19.20.21.23.24.29.30.33.34.36.37. qi ſunt omnes libri *primi*, continetur? tum *ſecundus*, qi res *lætas* canere dicitur, à *triſtiſſimis* ac mœſtiſſimis planè orditur, Hymnis 42.43.44. ſed & ut de 49. & 50. qi ſunt increpatorii, nihil dicam; qis 51.53.55.56.58.59.64.69.70.71. *lætis* accenſeat? Librum avtem *tertium* qod attinet; ut nihil dicam Hymni 73. qi hîc chorum ducit, *lætam* ſaltem ἐγκωμιολὼ eſſe: qantam animi lætitiam atqe alacritatem ſpirant, 75.76.81.84.87. tum *qartus*, qi *læta* denuò reducere perhibetur, vanitatis calamitatiſqe humanæ deplorationem mœ-

ſtiſſi-

ſtiſſimam Hymno 90. ſtatim ab initio præfert. cui adjicias licet 94. 102. & 106. qi ſunt toti ferè χιτλιαστοί. nam de *ſinto* eodémqe noviſſimo qod cenſuit, de reliqis qibuſqe ſi paria ſtatuiſſet, havdqaqam à rei veritate aberraſſet. habent enim cum libri omnes *latis triſtia*, & *læta triſtibus* immiſta; tum & Hymni etiam ipſi iidem, qomodo vita mortalis, & Chriſtiana cumprimis, eadem utraqe freqenter ſibi invicem intertexta.

Liber Secundus.

Cap. I.

*In Geneſ.*1.1. *nonnulla explicanda & diſpicienda proponuntur. Talmudica commenta de mundi inchoati tempore inde eruta. Cabaliſtica de Trinitate aliiſque eis paria. Talmudica alia de creationis fine, & iſtinc, & ex Cap.*2.4. *Targumiſtæ verſio, à noſtris etiam arrepta, rejecta. Rejecta & noſtrorum quorundam gemina, ab Hieronymo altera, altera à Tertulliano commemorata. Johannis* 8.25. *fruſtra huc trahitur. Veritas à mendacio ſuppetias non poſtulat. Verſiculus Moſis primus enunciatum integrum pleriſque. cum novâ tamen Petro Picherello ſyntaxi. Vir is quantus, qualis: ſcripta qæ perierint, qæ ſuperent. Idiotiſmus Hebraicus ab illo obſervatus. Hebræis quibuſdam, ſed & noſtris, enunciati compoſiti membrum duntaxat. integrum ratione geminâ conſtitutum.* בראשית *non ſemper in rectionis ſtructurâ. Amos* 4.11. *ſyntaxis qualis. qualis item Eſaj.*29.1. *&* Hoſ. 1.1. חִבֵּר *habitare.* bet *pro* lamed, *vel* el, *ad. Copulativa temporis index, nunc gemina, nunc ſimplex. Gen.*28.20-22. *&* Jer.4. 1,2. *obiter explicata. Grotii verſio altera qà ratione minùs probata.* Materia, *Hermogeni,* Bythos *Valentino, res Deo coæterna. Horum cum aliis impia deliria apud noſtros reſuſcitata. Theoſophiæ novella dogmata iſtiuſmodi. Rationis examen hujus myſtæ refugiunt. Sapientiam Dei Salomoni qui eſſe velint.* Lucifer, *appellatio non cacodemonis, ſed Chriſti. Eſaj.* 14. 13,14. *perperam expoſitus, Deum ex nihilo*

mundum hunc creaſſe, dogma Chriſtianum. dogmatis contrarii conſequentia qa.

A Mundi primordiis, novo ſumpto exordio, *Cinni* librum ſecundum hunc, *περὶ τῆς δημιουργίας*, prout à Moſe deſcribitur, pavcula qædam, vel explicanda, vel diſpicienda ſaltem, delibando, inchoaturus aggredior.

Prima illa, בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ primâ fronte nihil difficile, ambigui nihil præferre videantur. varias tamen ab interpretibus & verſiones,& conſtructiones, & explicationes ſubierunt.

Mitto levicula & ridicula nugamenta illa, qæ è Talmudiſtis Vir Cl.Lud.Dievſius *Animadverſionibus poſtumis* ſuis inſeruit; qibus ex בְּרֵאשִׁית בָּרָא *Geometria* ſuæ (qam *Arithmeticam* potiùs dicere debuerant) ope operâqe, ob numeri in literis utriuſqe paritatem, בְּרֵאשׁ הַשָּׁנָה נִבְרָא procudunt, h. e. *in capite anni creatus eſt*; mundus utiqe. unde in menſe Tiſri mundum conditum fuiſſe colligunt; qòd is ab initio *caput anni* fuerit, ut ipſi volunt. Sed & ulteriùs ex בְּרֵאשִׁית denuò ſeorſim ſumpto, per *Temuram* ſuam, ſive literarum tranſpoſitionem בְּחִשְׁרִי א' exſculpunt. h.e. *primo* menſis *Tiſri* die. ita non menſem duntaxat, ſed menſis qoqe diem ipſum, in qo mundi machina hæc extrui ceperat,hinc eruunt. Qibus gemina ſunt planè Cabaliſtarum qoqe noſtrorum, illa à Joanne Capnione *Cabaliſt.lib.3.* venditata, qi ex literis verbi בָּרָא Perſonarum, ſive Hypoſtaſeon, trium nomina eliciunt, אָב בֵּן רוּחַ *Pater, Filius, Spiritus.*& ex eiſdem rurſus אָב בְּבֵן *Patrem in Filio*, ſive, *per Filium*, univerſa condidiſſe. qæ Joannes ille pro myſteriis tam arduis, tam abſtruſis habuit, ut ubi propoſuerat, continere ſe non poſſet, qo minùs in exclamationem hanc cum ſtupore junctam erumperet; *O rem mirandam! ſed prophetalis ſpiritus, aut divini afflatus egentem.* qi in rebus ſeriis ſanctiſqe ludere utiqe doceat, & paginæ ſacroſanctæ dictiones nevroſpaſti alicujus inſtar habere, cujus verba pro ingenii cujuſqe laſcivientis libitu, qaſi fidiculis ac verticillis qibuſdam in figuras qaſvis ridiculè atqe irreligioſè defingantur.

Mitto & illas Talmudiſtarum aliorum interpretationes myſti-

myſticas, qi referente Salomone Jajro, ex verbo בְּרֵאשִׁית ſive *in principio*, ſignificatum volunt, univerſum hoc à Deo conditum, primo בִּשְׁבִיל הַתּוֹרָה *propter Legem*, ſive *Legis cauſſâ*. eò qòd *Lex* dicatur רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ *principium viæ ejus*. Parœm.c.8. v.22. uti ipſi locum illum perperam exponunt; tum בִּשְׁבִיל יִשְׂרָאֵל *propter Iſraelem*, ſive *Iſraelitarum cauſſâ*, qia Iſrael רֵאשִׁית תְּבוּאָתוֹ *principium proventus ejus*, ſit dictus. Jer.c.2. v.3. Qibus eſt affine, qòd Baal hatturim habet ad Cap.2.v.4. ubi qia eaſdem literas in Abrahæ nomine cum particulâ *bet* בְּאַבְרָהָם qas in בְּהִבָּרְאָם *cùm crearentur ea*, deprehendit, colligit hinc propter Abrahæ puritatem creata fuiſſe cœlum & terram. ejuſmodi commentis referta ſunt horum ſcripta, qæ *ſolummodo demonſtrare deſtruere eſt*, uti de Valentini deliriis Septimius.

Mitto deniqe Targumiſtæ Hieroſolymitani verſionem ἀνεξέλεγκτον καὶ ἀπερινόητον, qi בְּרֵאשִׁית reddidit בְּחָכְמָה non, *in ſapientiis*, uti Vatablus laudat, (h e. inqit ille, *juxta omnes ſapientiæ vias*, ſive, *ſapientiſſimè*.) ſed, *in ſapientiâ*, ſive, *per ſapientiam*. Qòd etiamſi cum vocabulo à Moſe adhibito nihil habeat conſortii avt cognationis etiam, avidè tamen arripuerunt noſtri non pavci. eo magis, opinor, qia Hymn.104. v.24. legerant כֻּלָּם בְּחָכְמָה עָשִׂיתָ *omnia ea in ſapientiâ feciſti*. Et ad Chriſtum Dei Filium, eundémqe ejuſdem *Sapientiam*, ad Cor.ep.1. c.1. v.24. retulerunt. de qo & illud Parœm.c.3.v.19. acceperant, יְהוָה בְּחָכְמָה יָסַד אָרֶץ *Jovas in ſapientiâ terram fundavit*, ſive, *terræ fundamenta jecit*. Qin & eouſqe in hoc negotio proceſſum eſt, ut pleriqe, Hieronymo referente in *Qaſtion.* ſive *Tradition. Hebraic. in Geneſ.* exiſtimarint, in Hebræo haberi, *In filio fecit Deus cœlum & terram*. ita ſcriptum in *altercatione Jaſonis & Papiſci*; & Tertullianum in libro *contra Praxeam* diſputaſſe; necnon Hilarium in *Expoſitione cujuſdam Pſalmi* id affirmaſſe. qid avtem Avtor ille anonymus ſcripſerit, avt Hilarius affirmaverit, minùs certum videtur, cùm nevtrius forſan eâ de re ſcripta jam extant. Aliud certè, ſed non minùs abſonum abſurdúmqe, magis multò ſanè impium, & qod Arrianum dogma ſapiat, commemorat *adverſ. Praxeam cap.5.* Tertullianus. *Aiunt qidem*, (an, *qidam*) inqit, *& Geneſin in Hebraico ita incipere*,

cipere, *In principio Deus fecit ſibi filium.* de hoc avtem, non de illo, qod Hieronymus refert, diſputat, etiamſi *firmum eſſe* affirmare detrectet. Et eſt nevtrum reverâ veritati conſentaneum. qo modo nec coacta nimis illa Avguſtini interpretatio, in *de Geneſ. adv. Manich. l. 1. c. 2. Deum in principio feciſſe cœlum & terram: non in principio temporis, ſed in Chriſto; cùm Verbum eſſet apud Patrem, per qod facta, & in qo facta ſunt omnia.* qi & de ſe Judæis qis eſſet interrogantibus reſpondit, *Principium, qod & loqor vobis.* Joan. c. 8. v. 25. de qo loco pòſt dicetur aliqid. Etiamſi verò qod illi alteri, & noviſſimus iſte, de Chriſto univerſi conditore, iſtinc elicere ſunt anniſi, veriſſimum exiſtat: Attamen ὅτι τὰ ἄκλωστα συγκλώθειν δεῖ, καὶ ψεύδους συμφύτου τὰ ἀληθῆ ὑ δεῖ), nec ea in unum compingere & confundere oportet, qæ notionis ſunt diverſæ; nec mendacii adjutorio opus habet veritas.

His igitur miſſis de commatii hujus ſyntaxi primo loco videbitur. Axioma integrum abſolvere hoc pleriqe exiſtimant. Ita Græci ſimpliciter reddidere, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Qorum veſtigia premens Latinus interpres vulgatus, niſi qòd בָּרָא Hebræorum fœliciùs forſan expreſſit, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Atqe hanc verſionem ſimpliciſſimam pleriqe amplectuntur & probant. Nec deeſt tamen Vir eximius, qi diverſam à reliqis viam hîc iniens, etiamſi propoſitionem integram hoc commatio includat, aliter tamen eam, qàm illi, qos viderim, univerſi, efformat. Is eſt Petrus Picherellus Gallus. De qo, qia deinceps havd ſemel advocandus eſt, pavca obiter iſtîc interſerere non pigebit. Inter alia qæ conſcripſerat, qorum pars exigua nunc extat, proſtat ſaltem, in Matthæi & Lucæ Evangelia integra commentarios criticos confecerat. Ab his abſolutis, inſtigante Thuano hiſtorico celeberrimo, à qo iſta habemus, Pavli Epiſtolas omnes eam uſqe ad Philemonem, pari ratione explicare aggreſſus, manum operi huic noviſſimam (qod & Thuano hominem inviſenti ipſe retulit) havd ita diu ante obitum admoverat. Verùm iſta ſedulitate tantâ per tot annos elaborata, poſt virum clariſſimum optimúmqe rebus humanis exemtum, per hominum malè feriatorum μαχαίτης hæredum litigia importuna, (accedentibus inſuper, uti

uti verisimile sit, pontificiorum qorundam, qorum palato ea minùs sapiebant, technis) interversa & deperdita prorsus videntur ferè universa. Cæterùm ex eis qæ supersunt, lucémqe viderunt reliqiis, tanqam ex navfragio non exiliter deplorando ereptis tabellis, liqidò poterit parere, qantus ille vir fuerit, qàm eruditione variâ instructus, qàm judicio acri præditus, qàm pietate insigni, ingenuitate egregiâ imbutus; qi qamvis inter Pontificios ageret, eorúmqe qadantenus partes seqeretur, de Bezæ tamen laboribus in Novi Instrumenti contextu explicando insumptis honorificè loqeretur, Calvini nonnulla adversus Maldonatum liberè ac disertè tueretur, in gravissimis deniqe qibusdam fidei religionisqe, de qibus nobis cum Pontificiis intercedunt controversiæ capitibus, nostris Σύμφωνον Σύμβηρόν τι scripto qoqe profiteri se sustinuerit. patet hoc ex eis, qæ in vel fragmentis vel tractatibus adhuc superstitibus de *Cœnâ Dominicâ*, de *Missa sacrificio*, de *Igne purgatorio*, de *Imaginum usu*, aliisqe eôdem pertinentibus disseruit. Unde & ingenti cum dolore resciscere datur, qantam in amissâ, qam diximus, *tam pretiosâ supellectile* (historici nobilissimi verba, non sine affectu, usurpo) res & literaria, & religiosa etiam jacturam fecerit. Verùm in transcursu interjecta ista, viri memoriâ immortali dignissimi mentio expressit. Inter alia viri magni, qæ reliqa habemus, extat *in Cosmopœiam*, sive *Mundi Creationem à Mose descriptam Paraphrasis*, cum *Annotationibus* adjectis, in qibus Paraphrasis ratio redditur. Hujus avtem de qo agimus commatii *Paraphrasis* apud illum sic habet. *Qo extiterunt initio cœlum & terra, eo Deus illa creavit.* In *Annotatione* verò hæc subjiciuntur. In Hebræo est, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, id est, *In principio 'cœli & terræ, Deus creavit illa.* Idiotismus est non infreqens. Prov.c.31.v.30. *Fallax gratia & vana pulcritudo: mulier timens Dominum, ipsa lavdabitur.* id est, *Mulieris gratia fallax, & pulcritudo vana: qæ avtem timet Dominum, ea lavdabitur.* Infra Cap.3. v.23. *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ.* i.e. *mittat manum suam ad arborem vitæ, & sumat ex eâ.* Psal.2. v.7. *Narrabo præceptum, Jovas* enim *dixit ad me.* i.e. *Narrabo præceptum Jovæ: ille* enim præcipiendo *mihi di-*

xit: vel, qod *ille mihi dixit*. Luc. c. 1. v. 68. in Cantico Zachariæ, *Qia visitavit, & fecit redemptionem plebi ſuæ*. i.e. *visitavit plebem ſuam, & fecit ei redemptionem*. Joan. c. 4. v. 54. *Hoc ſecundum ſignum fecit Chriſtus, cum veniſſet ex Judeâ in Galilæam*. i.e. *Hoc ſecundum ſignum fecit Jeſus in Galilæâ, qum ex Judeâ in illam veniſſet*. Hæc ille, acutè qidem, & ad Moſis mentem commodè ſatis. qanqam prior illa verſio ſimplicior videtur. ſed eôdem utraqe recidit. Atqe hæ fuere verſiones illorum, qi commatio hoc primo ſententiam abſolvunt.

Cæterum ſyntaxin aliam ſtatuunt ex Hebræis Magiſtris, qi primas obtinent, nonnulli. Eâmqe ſic inſtituunt, ut primum iſtud commation non enunciatum integrum atqe abſolutum conficiat, ſed membrum duntaxat exiſtat axiomatis compoſiti, qod ſerie continuâ diſpoſitum, ad commatii ſecundi exitum uſqe protollatur. Syntaxi huic firmandæ fundamentum ſubſternunt, תְּחִלָּה רֵאשִׁית niſi in rectionis ſtructurâ (formam enim qod attinet, ea eſt eadem in utraqe) nuſqam locorum reperiri. id qod fidenter affirmat Jajrus. Scitum avtem iſtud etiamſi refellat Eſdraides, allato ex Devt. c. 33. v. 21. loco, ubi dicitur, וַיַּרְא רֵאשִׁית לוֹ *proſpexítqe primò*, ſive, *primitùs, ſibi*: de ſyntaxi tamen loci iſtius, in eandem cum Jajro, eiſqe qos ille eſt ſecutus, ſententiam deſcendit. Sic itaqe verborum analyſin conſtituunt iſti, ut ſit בְּרֵאשִׁית בָּרָא perinde acſi diceretur בְּרֵאשִׁית בְּרוֹא *in principio creare*, ſev creandi; ſive, qia verbum infinitum nominis vicem ſupplere videatur, בְּרֵאשִׁית בְּרִיאַת שָׁמַיִם וְאֶרֶץ *in principio creationis cœli & terræ*. ita enim qoqe Jajrus explicat. qanqam ad ipſius mentem (ſi Magiſtro tanto in iſtis ſciolo ſuggerere qicqam fas fuat) dicendum potiùs fuerat, בְּרֵאשִׁית בְּרִיאַת אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *in principio creationis Dei cœlum & terram*. h. e. qâ Deus cœlum & terram creavit. ut בְּרִיאַת in אֱלֹהִים non in שׁ recumberet. ita enim ſyntaxis eadem planè foret cum illâ Amoſi c. 4. v. 11. כַּהֲפֵכַת אֱלֹהִים אֶת סְדֹם וְאֶת עֲמֹרָה *juxta ſubverſionem Dei Sodomam & Gomorram*. h. e. qâ Sodomam & Gomorram ſubvertit Deus. atqe ita pariter eodem, qo dictum eſt, modo redditum avt explicatum ſaltem oporteret. Verùm qia verbum בָּרָא iſtic non eſt infinitum, ſed finitum temporis præteriti; unde ſyntaxis

taxis inſolentior pavlò videtur, éſtqe, qam decernunt illi, reverâ talis ; ideò gemina duo ſaltem producunt loca, in qibus ſtructura parilis deprehendatur : horum alter habetur Eſajæ c. 29. v. 1. קִרְיַת חָנָה דָּוִד *urbs habitavit David.* (ſic uſurpatur verbum חָנָה qod alioqi *caſtra metari* ſignificat, Nehem.c.9.v.30.) h.e. urbs habitandi, ſive, habitationis Davidis. alter qi ad iſtum propius accedit, extat : oſh.c.1.v.2. תְּחִלַּת דִּבֶּר־יְהוָה בְּהוֹשֵׁעַ *principio allocutus eſt Jovas Hoſheam.* ſive, in principio allocutionis Jovæ ad Hoſeam. h.e.cum primò Hoſheam alloqeretur. (*bet* particula pro *el ad* ; prout Gen.c.11.v.4. Eſaj c.10. v.22. Hoſh.c.12. v.6.) Hæc ergò ſyntaxi, qum ſuſpenſa maneat necdum integra avt abſoluta, ſententia, qo modo in Hoſheæ illis dictionis ſeriem ita conſtituunt, ut verbis ſeqentibus ea propoſitionis integræ pars contineatur, qæ redditionis vicem præſtet : hæc avtem vel inciſo proximè adſito concludatur ; qo modo in illâ de Hoſheâ narratione, *Cum primò alloqeretur,* ſive, *compellaret, Jovas Hoſheam, dixit Jovas Hoſheæ* ; ſive, *tunc edixit Jovas Hoſheæ.* & hîc pariter, *Cum primò crearet Deus cœlum & terram ; terra tunc informis & inanis erat.* vel, ulteriùs etiam dictione protelatâ, ad longiùs diſſita pertingat, qemadmodum in voto illo à Jacobo concepto, Gen. c.28. v.20-22. *Si* (vel, *Qum*, uti Junius reddit ; qo modo אִם uſurpatur Cap.38. v.9. ne ambigere videatur de promiſſione divinâ, qam repetit ex verſ.15.) *affuerit mihi Deus, & in itinere qod incedo ſervaverit me, panémqe dederit qem comedam, & amictum qo induar ſuppeditaverit, reverſúſqe fuerim incolumis ad ædes paternas, fuerítqe mihi Jovas Deus ; tum lapis iſte qem in pilam ſtatui, domus Dei fiet, & qicqid dederis mihi, ejus decimas omninò ſum daturus tibi.* Ita enim pium Patriarchæ votum Junius rectiſſimè diſtinxiſſe videtur. Sed & in illâ conſimiliter invitatione ac provocatione divinâ, Jerem. c.4.v.1,2. *Si reverſus fueris, ô Iſrael, ad me,* inqam, *reverſus fueris ; ſíqe amoveris è conſpectu meo abominationes tuas ; nec divagatus fueris ; ſed per Jovæ vitam verè, conſideratè, juſtéqe juraveris ; tunc benedicent ei gentes, eóqe exultabunt.* Et iſtic pariter contextus ſeries ſic poterit conſtitui, ut dicatur, *Principio cum crearet Deus, cœlum & terram ; terra avtem*

informis atqe inanis exiſteret, tenebraqe abyſſi faciem occuparent, & Spiritus Dei ſuper faciem aqarum motitaret; tunc dixit Deus, Fiat lux, & lux exſtitit. Atqe eô palam concedit Jajrus. Nec abſcedit è noſtris Vatablus. Verti, inqit, etiam poſſet, *Principio cum creavit Deus cœlum & terram; dixit, Fiat lux.* ut iſta, *Terra autem* &c. legantur per parentheſin. Qanqam ſive iſtis, ſive illis lineamentis propoſitionem compoſitam concinnaverimus, ad ſyntaxin inſolentiorem illam confugere nihil opus fuerit, qum alia magis familiaris, & uſitata ſatis, præſtò ſit. Uſu ſiqidem havd infreqente venit, ut copulativa particulæ tempus indicantis vicem ſuſtineat. & creberrimè qidem utriuſqe cum protaſi, tum & apodoſi inſervientis, geminata; nec rarò ſingularis etiam, qæ apodoſi qidem præfixa, ſed ad protaſin rejecta, per *qum* avt *qando* commodiſſimè exprimatur. Sic Eſajæ c.50.v.2. *Qare venieham, & nemo præſtò erat? vocabam, & nemo erat reſpondens?* pro eo qod eſt, *Qare qando veniebam, nemo præſtò erat? qando vocabam, nemo erat qi reſponderet?* Ibid.c.58. v.9. *Tunc invocabis, & Jovas reſpondebit; inclamabis, & dicet, Ecce adſum.* h.e. *Tunc qando invocabis, Jovas reſpondebit; qando inclamabis, dicet, Eece adſum.* Et in eandem mentem Cap.65. v.24. *Eritqe nondum invocabunt, & ego reſpondebo; adhuc illi loqentes, & ego exavdiam.* pro eo qod diceretur, *Erit ut priuſqam invocent, ego reſponſurus ſim; & dum adhuc loquntur, ego exavdiam.* Qin & in illo Hoſheæ loco toties lavdato, Vatis verba optimè verti poſſunt, qomodo & Junius reddidit, *Qum primò allocutus eſt Jehovah Hoſheam, edixit Jehovah Hoſheæ.* rectéqe adnotat Piſcator, *Copulativum enunciatum valet relativum temporis.* Perinde & iſtic, ſive ad membrum proximè ſubjunctum, ſive ad ulterius aliqid referas, ſyntaxin qod attinet, verti poterit commation iſtud, vel ut Piſcator in locum, *Principio, cum Deus cepit condere mundum*; vel etiam ut Grotius *in Evang. Joannis, Cum primùm univerſitas cepit creari.* vel, verba ipſa ſi diſertiùs exprimere placuerit, *Qum primò crearet Deus cœlum & terram.* Ita malim, qàm qod Vir Clar. idem in hunc locum ſuggerit. Meliùs, inqit, *In principio creare Deum.* i.e. *priuſqam crearet*, ſive, *forwaret, Deus cœlum & terram.* i.e. univerſum hoc, qale nunc eſt:

eſt: *tunc terra erat inanis & vacua.* Etiamſi enim ſenſum orthodoxum ſanúmqe verbis ſic conceptis dederit; tamen illud, *antequam crearet*, minùs advertenti anſam forſan præbuerit ſuſpicandi, qod Hermogenes olim ſomniavit, ante creationem inchoatam *materiam* extitiſſe; *quæ ipſa ſemper fuerit, neqe nata, neqe facta, nec initium habens omninò, nec finem, ex quâ Deus omnia poſtea fecerit.* Vel etiam qod Valentinus deliravit, *Bython, innatum, immenſum, inviſibilem, æternum, qi ante hæc omnia fuerit.* Eam enim fuiſſe Hermogenis ſententiam, Valentini hanc, ex Tertulliano diſcimus. Hoc autem in negotio, eò uberiore opus eſſe cavtelâ videtur, qòd idem dogma ab inferis diebus hiſce, poſtliminio reſuſcitatum in orbe noſtro qoqe, poſt tam amplum, tam jugem luminis divini fulgorem, emerſiſſe denuò comperiatur. Siqidem inter alia, qæ qotidiè prodeunt, prodigioſa ac portentoſa deliria, qæ *Luminarium Novorum* nomine inſigniuntur, exorta eſt *Theoſophia* (uti arcani hujus myſtæ indigetant) *Tevtonica*; *Theologiæ* (qam antè habuimus) *Germanicæ* qadantenus non abſimilis; niſi qòd *Practicam* illa, *Theoreticam* iſta ſpectare magis præ ſe ferat. De hac, qo faciliùs irretiantur, promptiúſqe effaſcinentur οἱ ἀσύνετοι, rerúmqe novellarum avida ingenia, magno cum faſtu pronunciatur, *qicqid vel effatus eſt de tripode* (diabolico forſan afflatu) *ter maximus Hermes, vel Pythagoras dixit*, (cujus dicta utiqe pro oraculis habenda ſint) *vel diſſerit Socrates, vel aſſerit Ariſtoteles, vel vaticinatus eſt divinus Plato, vel probavit Plotinus; hæc omnia; avt his avguſtiorem longè ac profundiorem philoſophiam, Tevtonicis ſcriptis reconditam* haberi: ſed & (*qod hæc omnia ſuperet*) *ſiqo concordi vinculo Regina illa ac Domina ſacrarum literarum ſapientia cum ancillulâ ſuâ pervicaci, h. e. ratione humanâ ſociari conciliariqe fas ſit, hoc certè fœlix animæ Spiritúſqe conjugium, hanc exoptatiſſimam epharmoſin, hanc mirabilem diſcordium harmoniam Tevtonicum nobis exhibere.* Sed qænam tandem ſunt *Theoſophiæ* iſtius, qæ elogio tam turgido, encomio tam hyberbolico, adornata in publicum prodit, dogmata? Hæc utiqe; *Ante omnem rerum creationem ab æterno extitiſſe immenſa & infinita duo, Deum & Abyſſum. Abyſſum hanc nec penitùs nihil, nec ipſummet*

Deum eſſe; licet poſt Deitatem de realitate entis ſummè participem, ſed Deitatis veluti corpus, vel habitaculum æternum. Abyſſo huic attribui poſſe ferè omnia, qæ Philoſophi Materiæ ſuæ primæ aſcribunt; proprietates utique capitales qatuor, 1. appetitum ad corporeitatem, ſev vim contrahentem, coagulantem & conſtringentem. 2. huic contrariam vim aliam, furibundo qodam impetu coagulationi reſiſtentem. 3. ex horum inter ſe conſligentium certamine enixam vim, ſive ſpiritum angoris primæ matris viſcera corrodentem. 4. ingentem ardorem atqe ignem tenebroſum. Abyſſum hanc cum hiſce ſuis proprietatibus, ubicunqe Deus ſemet intra ſe receperit, reverâ Gehennam eſſe, licet ante Luciferi defectionem in actum gehennalem ſuum non proruperit. Ex harum Abyſſi proprietatum cum radiis è centro Deitatis emanantibus amicâ colluctatione coortam ab æterno lucem qandam Majeſtaticam; qam lucem, vel inde per infinitum Abyſſi ambitum ſpirantem avram, eloqia ſacra & præ cæteris librum illum Solomonis Apocryphum, Sapientiæ nomine indigitare. Mundum itaqe divinum qendam ab æterno fuiſſe, cujus corpus & anima Abyſſus, Spiritus ipſiſſima Sapientia, patre Deo, Abyſſo matre progenita, eſſentia qædam undiqaqe æterna, vivens, intelligens, unde mundi divini ornatus omnis & variegatio, & in qâ velut in ſpeculo pulcritudinem ſuam contemplando Deus ipſe delectetur. Ex his duobus principiis poſt infinitum æternitatis emenſum ſpatium, creatum Mundum Angelicum, in tres regiones veluti ſpheras, diſtinctum, qarum incolæ Angeli in tres Hierarchias diſtincti. Angelorum corpora & animas ex Abyſſo, Spiritum ex Sapientiæ ſinu derivari. Spheram mediam & lucidiſſimam qæ jam noſter mundus eſt, Luciferum cum legionibus ſuis incoluiſſe. Hunc Angelorum ſpecioſiſſimum, et qi Filii Dei imaginem referebat, cum cohortibus ſuis, neglecto divini elementi pabulo, in Abyſſum animæ ſuæ corporiſqe matricem, oculos retrò deflexiſſe, animum demerſiſſe. hinc Spiritu extincto, gehennalem illum actum operari cepiſſe ex cujus halitu vertigine correptos, in animum induxiſſe, omnem reliqarum Hierarchiarum & totius Deitatis pulcritudinem intra ſe abſorbere; tum extra univerſi limites evolare, in ſummo ſolium ſibimet erigere, creaturas omnes adeóqe Deum ipſum imperio ſuo ſubjicere: hac autem

cum

cum non poſſent, enatum hinc angoris & invidentiæ ſpiritum, ardorémque ignis tenebroſum, qo ſe ſuámque regionem omnem vento, fumo, flammiſque ſulphureis impleverint. Hinc primum peccati omnis igníque infernalis originem: hinc antiqiſſimum rerum omnium principium, Chaos, non figmentum poeticum, ſed veriſſimam hujus mundani ſpatii, qalis ante novam creationem ſub Luciferianâ Theomachiâ fuit, hypotyposin. Ne autem hierarchiarum etiam reliqarum regiones Tartareus ille vapor inficeret, néve tam amplum gloriæ æternæ deſtinatum præ cæteris ſpatium in æternum bonitate ſuâ deſtitueretur, ſuóque de tot creaturis in hoc ſpatio beandis propoſito fruſtraretur; ſuccurrere volentem Deum, accinxiſſe ſe ad mundi ſenſibilis hujus è rerum congerie creationem. ac primò omnes illas materiæ particulas craſſiores, Abyſſi vi conſtrictivâ congelatas in unam molem, vel in plures opacas ſphærulas congeſſiſſe, & à parte fluidâ diſtinxiſſe. hanc autem Cœli & Terræ creationem appellari. dein tenebras per totam Luciferianæ regionis Abyſſum diffuſas unâ cum autore ſuo in anguſtum compuliſſe. hanc autem creationem Lucis dici. atqe hoc opus fuiſſe primæ diei, hanc primam de Lucifero victoriam. Deniqe poſt plures ambages, (qas prudens lubénſqe tranſilio, ne Lectorem logis longis tam putidis nimis fortean jam feſſum, eóqe nomine vel navſeantem, vel ſtomachantem etiam, diutiùs detineam, ulteriùs onerem, exerceam, excruciem, enecem) concluditur tandem, *Jam ſatis conſtare, creationem non fuiſſe ex nihilo.*

Vereri utiqe videntur Materiarii iſti, ne potentiæ divinæ immenſitatem eò uſqe extendant, ut ex nihilo qicqam producere valeat. Judæis hac in parte, inferiores & deteriores etiam, qi verbum בָּרָא volunt iſtic ſignificare הוֹצִיא יֵשׁ מֵאַיִן *eſſe*, vel *ens, ex non ente producere.* Eandem certè regulam jam olim defixerat fides Chriſtiana. Tertullianus *Apolog. cap.* 17. Chriſtianorum omnium nomine, *Qod colimus, Deus unus eſt, qi totam molem iſtam, cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo qo juſſit, ratione qâ diſpoſuit, virtute qâ potuit, de nihilo expreſſit.* Enimverò materia iſta, tot proprietatibus tam variis, tam adverſis inſtructa, avt creator fuerit, avt creatura, niſi ſi figmentum merum fuerit: at creatorem eſſe ipſi negant, niſi ſi alium etiam à Deo, qum ſomni-

antibus

antibus nihil arduum exiſtat, creatorem comminiſci collibuerit: creatura avtem ſi fuerit, creatam, ſive conditam & factam, atqe in fieri aliqando fuiſſe, neceſſe eſt, & nec fuiſſe etiam anteqam in fieri foret. et qo modo ab æterno eſſe potuit, qod facturæ ſuæ initium habuit? avt qomodo facturæ ſuæ initium non haberet, qod factum eſt, qum τὸ fieri ℣ eſſe in rebus factis qibuſqe præcedaneum exiſtat? Atqe hæc prima nobis eſto, adverſus Materiam, qam confingunt iſti, præſcriptio. Huic altera iſta ſuccenturiabitur; Si res creata ſit materia iſta, vel ex aliqo, vel ex nihilo condita fuerit. ℣ ἀμέσων enim iſta ſunt. ſi ex aliqo, tanqam aliâ præjacente materiâ; & de illo eandem ratiocinationem adſtruere licebit; atqe ita res per materiarum qarumlibet ſeriem in infinitum protolletur; niſi eò tandem deventum fuerit, qod iſti tantopere agnoſcere renituntur, ut ex nihilo aliqid productum ſit. Sed qorſum qiſqam cum eis ratiocinationem incaſſum inſtitûat ullam, qi ad rationis examen revocari ſua nevtiqam ſuſtinent. Etenim hoc habent commune Theoſophi Βεκκισίλωοι iſti, cum Theologis qibuſdam ἀθεολόγοις, opinionum impiarum, dogmatúmqe impurorum, qæ ſub *Luminum novellorum* titulo ſpecioſo venditant, ſatoribus ac ſartoribus; qòd ut illi Logicam & ratiocinationes Syllogiſticas, tanqam veritati indagandæ atqe eruendæ adverſas damnant, & à diſceptationibus ſuis amandant, & iſti pariter in præloqio, impiis iſtis ac Chriſtiano nomine indigniſſimis deliriis in lingvam vernaculam, qo plures inficiant effaſcinéntqe, traductis, præfixo, eos havd ſemel perſtringunt atróqe carbone notant, qi in diſqiſitionibus ac diſſertationibus iſtiuſmodi ad leges ſyllogiſticas omnia conſtringunt, & ad eas qæqe vel agi, vel exigi poſtulant: qod tamen omninò neceſſarium eſt, niſi ſi avt teſtimonium αὐτόπτην aliqod, avt qod ſenſibus ipſis ſeſe oggerat, poſſit produci. At Scriptura Sacra, qæ ſola nobis eſt ἀυτόπτης, nugarum iſtarum, qæ πὸ ℣ Σατανᾶ βαθέα meritò dixeris, nihil exhibet, nihil habet. Sed nec ipſi commentorum iſtorum qicqam ferè inde elicere adnituntur. qanqam obiter *Lucem* neſcio qam *ex amicâ proprietatum Abyſſi cum radiis divinis* qibuſdam *colluctatione coortam, vel* ſaltem *avram ſuaviſſimam inde ſpirantem, patre*

Deo,

Deo, matre Abyſſo progenitam, non ex divinis attributis aliqod, ſed eſſentiam qandam undiqaqe æternam, viventem, intelligentem, &c. *in eloqiis ſacris* (nam Pſevdo-*Solomonis Apocrypha* cum nihili faciamus, nihil moramur) *Sapientiam indigitari* monent. Verùm ubi Sapientia, qalem illi nobis delineant, in ſacris eloqiis deprehendatur, nulli dicunt. In Paræmiis reverâ Salomonicis *Sapientia divina* mentio ſæpiùs occurrit, ſed qæ avt è divinis ſit attributis, Cap.3.v.19. ubi חָכְמָה & בִּינָה *Sapientia & intelligentia ἐν ϑεολλήλοις* ponuntur; avt ſit ipſa Dei Patris proles, Patri coeſſentialis Filius, ante creaturam omnem conditam genitus, Cap.8.v.22-30. ut jam periculum ſit, juxta iſtorum Theoſophiam ἄϑεον ϰ̀ ἄνοϱον, ne ὁ λόγος jam non exiſtat ampliùs ἀμήτωϱ. uti prædicatur ad Heb. c.7.v.3. cum matrem nactus ſit Abyſſum, & ex Abyſſo Dei Filius ipſe prodierit. ad illa enim Salomonis verba verſ.30. qibus *Sapientia Deo jugiter in delitiis fuiſſe* dicitur, reſpexiſſe videntur, cum *in Sapientiâ* commentitiâ ſuâ, *velut in ſpeculo* qodam *pulcritudinem ſuam contemplando deum ipſum delectari* affirmant. Sic ergò argumentari licuerit, *Sapientia*, qam loquntur eloqia ſacra, *divina*, avt eſt Dei attributum, avt Filius ipſe; at illud eſſe negant Sapientiam illam, qam in eloqiis ſacris eo nomine deſignari affirmant, & ex Abyſſo matre progenitam contendunt: ut Filius ipſe ſit, ergò relinqitur. Ita æternam Dei Sapientiam in creaturarum ordinem redactam, & ex Abyſſo emergentem, à Tenebrionibus iſtis habemus. Sed & de *Theomachiâ Luciferianâ*, & *Lucifero* ipſo, qum *extra univerſi limites evolare, & in ſummo ſolium ſibimet erigere* voluiſſe perhibent; Eſajæ verba Cap.14.v.13, 14. reſpexiſſe videntur. de qo vaticinio optimè Hieronymus; *Avdivimus Medos, avdivimus Babylonem, avdivimus inclytam in ſuperbiâ Chaldæorum: nolumus intelligere qod fuit, & qærimus avdire qod non fuit.* ipſe rectiſſimè verba illa de *Babylonio* interpretatur, qi *qondam ſic glorioſus fuerat, ut fulgori Luciferi comparatus ſit, ſideríqe claro ſimilis videretur.* Certè *Luciferi* nomen *Diabolo* in codice ſacro nuſqam datum deprehenditur. τὸ Φωσφόϱου, qod eſt idem cum *Lucifero*, *Chriſto* tribuitur, Petri ep.2.c.1.v.19. Ita de *Sapientiâ* & *Lucifero* eloqia ſacra qid prodant vidimus. Cæterùm, qæ de *Abyſſo*

antibus nihil arduum exiſtat, creatorem comminiſci collibuerit: creatura avtem ſi fuerit, creatam, ſive conditam & factam, atqe in fieri aliqando fuiſſe, neceſſe eſt, & nec fuiſſe etiam anteqam in fieri foret. et qo modo ab æterno eſſe potuit, qod facturæ ſuæ initium habuit? avt qomodo facturæ ſuæ initium non haberet, qod factum eſt, qum τὸ fieri ℣ eſſe in rebus factis qibuſqe præcedaneum exiſtat? Atqe hæc prima nobis eſto, adverſus Materiam, qam confingunt iſti, præſcriptio. Huic altera iſta ſuccenturiabitur; Si res creata ſit materia iſta, vel ex aliqo, vel ex nihilo condita fuerit. ℣ ἀμίσων enim iſta ſunt. ſi ex aliqo, tanqam aliâ præjacente materiâ; & de illo eandem ratiocinationem adſtruere licebit; atqe ita res per materiarum qarumlibet ſeriem in infinitum protolletur; niſi eò tandem deventum fuerit, qod iſti tantopere agnoſcere renituntur, ut ex nihilo aliqid productum ſit. Sed qorſum qiſqam cum eis ratiocinationem incaſſum inſtituat ullam, qi ad rationis examen revocari ſua nevtiqam ſuſtinent. Etenim hoc habent commune Theoſophi Βικκισίλωοι iſti, cum Theologis qibuſdam ἀθεολόγοις, opinionum impiarum, dogmatúmqe impurorum, qæ ſub *Luminum novellorum* titulo ſpecioſo venditant, ſatoribus ac ſartoribus; qòd ut illi Logicam & ratiocinationes Syllogiſticas, tanqam veritati indagandæ atqe eruendæ adverſas damnant, & à diſceptationibus ſuis amandant, & iſti pariter in præloqio, impiis iſtis ac Chriſtiano nomine indigniſſimis deliriis in lingvam vernaculam, qo plures inficiant effaſcinéntqe, traductis, præfixo, eos havd ſemel perſtringunt atróqe carbone notant, qi in diſqiſitionibus ac diſſertationibus iſtiuſmodi ad leges ſyllogiſticas omnia conſtringunt, & ad eas qæqe vel agi, vel exigi poſtulant: qod tamen omninò neceſſarium eſt, niſi ſi avt teſtimonium αὐτόπτον aliqod, avt qod ſenſibus ipſis ſeſe oggerat, poſſit produci. At Scriptura Sacra, qæ ſola nobis eſt ἀυτόπτος, nugarum iſtarum, qæ τὰ ℣ Σατανᾶ βαθέα meritò dixeris, nihil exhibet, nihil habet. Sed nec ipſi commentorum iſtorum qicqam ferè inde elicere adnituntur. qanqam obiter *Lucem* neſcio qam *ex amicâ proprietatum Abyſſi cum radiis divinis* qibuſdam *collvctatione coortam, vel* ſaltem *avram ſvaviſſimam inde ſpirantem, patre Deo,*

Deo, matre Abyſſo progenitam, non ex divinis attributis aliqod, ſed eſſentiam qandam undiqaqe æternam, viventem, intelligentem, &c. *in eloqiis ſacris* (nam Pſevdo-*Solomonis Apocrypha* cum nihili faciamus, nihil moramur) *Sapientiam indigitari* monent. Verùm ubi Sapientia, qalem illi nobis delineant, in ſacris eloqiis deprehendatur, nulli dicunt. In Paræmiis reverâ Salomonicis *Sapientiæ divinæ* mentio ſæpiùs occurrit, ſed qæ avt è divinis ſit attributis, Cap.3 v.19. ubi חָכְמָה & בִּינָה *Sapientia & intelligentia* ἐν θεμελίοις ponuntur; avt ſit ipſa Dei Patris proles, Patri coeſſentialis Filius, ante creaturam omnem conditam genitus, Cap.8.v.22-30. ut jam periculum ſit, juxta iſtorum Theoſophiam ἄκτιστον & ἄναρχον, ne ὁ λόγος jam non exiſtat ampliùs ἀμήτωρ uti prædicatur ad Heb. c.7. v.3. cum matrem nactus ſit Abyſſum, & ex Abyſſo Dei Filius ipſe prodierit. ad illa enim Salomonis verba verſ.30. qibus *Sapientia Deo jugiter in delitiis fuiſſe* dicitur, reſpexiſſe videntur, cum *in Sapientiâ* commentitiâ ſuâ, *velut in ſpeculo* qodam *pulcritudinem ſuam contemplando deum ipſum delectari* affirmant. Sic ergò argumentari licuerit, *Sapientia*, qam loquntur eloqia ſacra, *divina*, avt eſt Dei attributum, avt Filius ipſe; at illud eſſe negant Sapientiam illam, qam in eloqiis ſacris eo nomine deſignari affirmant, & ex Abyſſo matre progenitam contendunt: ut Filius ipſe ſit, ergò relinqitur. Ita æternam Dei Sapientiam in creaturarum ordinem redactam, & ex Abyſſo emergentem, à Tenebrionibus iſtis habemus. Sed & de *Theomachiâ Luciferianâ*, & *Lucifero* ipſo, qum *extra univerſi limites evolare, & in ſummo ſolium ſibimet erigere* voluiſſe perhibent; Eſajæ verba Cap.14.v.13, 14. reſpexiſſe videntur. de qo vaticinio optimè Hieronymus; *Avdivimus Medos, avdivimus Babylonem, avdivimus inclytam in ſuperbiâ Chaldæorum: nolumus intelligere qod fuit, & qærimus avdire qod non fuit.* ipſe rectiſſimè verba illa de *Babylonio* interpretatur, qi *qondam ſic glorioſus fuerat, ut fulgori Luciferi comparatus ſit, ſideríqe claro ſimilis videretur.* Certè *Luciferi* nomen *Diabolo* in codice ſacro nuſqam datum deprehenditur. τὸ Φωσφόρου, qod eſt idem cum *Lucifero, Chriſto* tribuitur, Petri ep.2. c.1.v.19. Ita de *Sapientiâ* & *Lucifero* eloqia ſacra qid prodant vidimus. Cæterùm, qæ de *Abyſſo*

ſive Materiâ primâ *attributis tot inſtructâ*, hujuſque *conflictibus, angoribus, parturitionibus, partubus, prole eternâ*, ſive *Luce*, ſive *Avrâ, Deo patre, Abyſſo matre progenitâ, mundo gemino, divino* altero, altero *Angelico, regionibus Hierarchicis, Theomachiâ Luciferianâ, ejuſdémque cum ſuis intentionibus, fumis ſulphureis, ignibus gehennalibus*; qæ mundi hujuſce natales ſeculis infinitis anteverterint, qædam etiam ab æterno extiterint; qæ de iſtis, inqam, commentantur, hæc vel è ſcholâ Hermogenianâ, vel ex fabricâ Valentinianâ, vel ex officinâ Servetianâ prodire fortean potuerint; è Sacrâ paginâ, qum de eis nec in ſcriptis vel Moſaicis, vel propheticis qicqam omninò compareat, non poſſunt. His itaqe depulſi, qò tandem, ad ſomnia ſua ſtatuminanda confugient? Ad Philoſophos forſan antiqos, qos *Hæreticorum* veterum *Patriarchas* appellat Septimius, provocabunt. Hos enim, tanqam dogmatum ſuorum ex parte ſaltem Patronos, lavdant. Pythagoram utiqe, cujus μετεμψυχώσεις, qam & religio & ratio ipſa jamdudum exploſit; ψυχῶν μετεμψίσωσις Manichæanus ſed & Judæorum גלגול נשמות ſive, *revolutio animarum*, originem ſuam debet. Ariſtotelem, cujus de Mundi iſtius ab æterno exiſtentiam nec ipſi probant. Platonem, qi περὶ κοσμοποιΐας qàm ridicula, qàm impia nugatus eſt, in Timæo eſt videre. Plotinum, inferioris ævi hominem, ejuſdem ferè cum Platone in ſpeculationibus hiſce indolis, avt multo etiam inqinatiorem. Verùm iſti cum nec centeſimam partem myſteriorum iſtorum exhibeant, Dionyſium, opinor, Areopagitam, & Hermetem ter maximum, qem in acie primâ collocant, appellaturi ſunt; ſcriptores ſcil. ἀποκρύφως καὶ ψευδολιμαίως, fictitia nomina antiqitatem ementita, qibus larvam jam olim eſt qòd viri magni detraxerint, fucóqe qo obliti & obducti multis priùs impoſuerant, deterſo, ampullas inanes ac mendacia ſplendida detexerint, mundóqe literario palam ſpectanda atqe ridenda expoſuerint. Qanqam nec iſtis etiam acqieſcunt ipſi. *auguſtiora* utiqe & *profundiora longè* profitentur & pollicentur, qàm iſti omnes ſimul juncti ſuppeditent. Et iſta ergo arcana tam abſtruſa, ut illis innotuiſſe nevtiqam compareat, unde habent? à nuper exortis fungis neſcio qibus *Tevtonicis. Fratribus*, opinor, *de Roſeâ Cruce*. ejuſdem enim

farinæ,

farinæ, vel furfuris potiùs, eſſe docent, qæ ex illis nonnulli ſcripto conſignata reliquerunt. intereſt duntaxat, qòd his illi ſcripturis freqentiùs licentiúſqe abutuntur, pro Hæreſiarcharum noſtratium more methodóqe, *in allegorias & imagines omnia urgentes, imaginarii planè & ipſi Chriſtiani*, uti de Valentinianis, non ſcitè magis qàm verè, Tertullianus. Verùm interrogando ſi ulterius perurgemus, unde Tevtonici fratres illi arcana hæc havſerint: (neqe enim tanti eſſe apud nos poterit Tenebrionum iſtorum avtoritas, ut ipſorum dictata, vel pro oraculis, vel pro principiis ἀναμφισβήτοις, quibus ἀνεξετάστως καὶ ἀναπρρήτως fides exhibenda ſit, habeamus) ecqid reſponſuri ſunt? Certè neceſſe eſt tandem, vel cum Talmudicis fabulatoribus, ad Cabalam Moſi ſeorſim demandatam; vel cum Pontificiis ſeductoribus, ad Traditiones ἀγράφους; vel cum Genethliacis nugatoribus, ad Abrahamum & Adamum, ſive ab Angelis, ſive à Deo ipſo, edoctos; vel cum Chymicis impoſtoribus, ad arcana Salomonis magicæ ſcripta; vel deniqe cum Enthuſiaſtis noſtris, ad Apocalypſes novellas & Spiritus neſcio cujus, (ἐγγαστριμύθου opinor, cujuſpiam) inſufflationem ſuggeſtionémqe, ſe conferant. Hæc enim ferè ſunt κρησφύγετα illa, ad qæ opinionum inanium, ſive architecti primi, ſive promi-condi, & Scripturarum patrocinio, & ratiocinationum firmamentis deſtituti, recipere ſe conſveverunt: extra hæc avtem atqe hujuſmodi commentitia, qod vel prætexant, vel præſcribant, havd eſt proclive qicqam comminiſci: & noviſſimum illud reverâ præfert Jacobus Boemen Tevto ille, à qo fabulæ hujus partem maximam mutuati videntur; qi poſtqam à Magiſtratu ſub qo vixerat, in publicum ſua emittere prohibitus, per annos aliqot conqieverat, tandem Spiritus (Pythonici, puto, qi nunc paſſim ſpirat) impulſu ad iſta commentanda atqe evulganda adactum ſeſe profitetur. At verò de iſtis ſive ſeorſim ſingulis, ſive junctim univerſis, jure poterit uſurpari Judæorum diverbium illud qod in *More nebocim lib.* 1. *cap.* 74. exhibet Majmonides; שְׁלוּחֲךָ עֲבָדָא צְרִיךְ *Fidejuſſor tuus habet ipſe fidejuſſore opus.* ſive qod apud Comicum illa, *Huic ipſi eſt opus patrono, qem tu tibi patronum paras.* Niſi enim avt ipſis de ſe teſtimonium ferentibus, ſi inſpirationem ſive illuſtrationem

extraordinariam aliqam immediatè cœlitùs datam fuſtinuerint profiteri, avt eorum, qos advocant accerſúntqe, avtorum ſcitis placitíſqe, ſenſus noſtros ultronei obſtrinxerimus, qâ fidem dogmatibus ſuis concilient, ratio methodúſqe nulla omninò ſupererit. Ita ex filo putrido, hominum hac in parte fide nullâ dignorum, pendet myſteriorum iſtorum machina tota, cujus fabrica proin univerſa hoc dirupto corruat concidátqe neceſſe eſt. Verùm fruſtra homines iſti importuni, & diſceptatores iniquiſſimi, qò in tenebris nobiſcum ſecuriùs vel micent, vel dimicent, delíriíſqe ſuis ratione nullâ ſubnixis aſſenſum præſtruant, Scripturarum lucem declinari, mentíſqe oculum occludi penitùs poſtulant, hominéſqe pro jumentis habent, dum pecudum obſeqentium ritu, cerebri ſui fanatici ſub titulo ſpecioſo aliqo figmenta venditanti cuivis, citra rationis examen ullum, ultrò ſeſe ducendos præbere volunt. Nos cum Tertulliano, [a] *Scripturarum plenitudinem adoramus.* ex his diſcimus, [b] *Nihil ſine origine niſi Deum ſolum: hunc* [c] *primum eſſe. at qomodò primus, cui materia coatanea eſt?* [d] *ante omnia ſolum, ipſum ſibi & mundum & locum & omnia: ſolum avtem, qia nihil aliud extrinſecùs præter ipſum.* Támqe Valentinianis, avt Manichæis, avt Marcioni, avt Serveto de commentis ſuis, qàm iſtis de figmentis eis, fidei etiam Chriſtianæ huic adverſis utriſqe, fidem adhibere par eſt. Interim argumenti primitùs propoſiti oblitum ferè, longiùs abripuiſſe, diutiúſqe qàm inſtitueram detinuiſſe, ſentio affectus ardorem adverſus iſtas μύθων χαυδῶν à ſcripturis extraneas, imò his etiam adverſas καινοφωνίας, & hæreſeon jam diu reconditarum reſuſcitatas denuò καινοτομίας, qæ niſi tempeſtivè compeſcantur, εἰς πλεῖον προκόψουσιν ἀσεβείας, ὡς γάγγραινα νομὴν ἔξει, *in majorem progreſſus facient impietatem, proſerpéntqe latiùs, gangrana inſtar*, qæ totum tandem fidei Chriſtianæ corpus depaſcat, pietatiſqe veræ cor ipſum exedat. qanqam impii abundè plus ſatis, ut nihil amplius accedat, hoc ipſum habet, (ut de ſuperiùs recitatis nihil adjiciam) cum, [e] *ea qæ propria Dei vindicamus, ſemper fuiſſe, ſine initio, ſine fine, & primum fuiſſe, & ſolum omnium avtonem, materia* cum Hermogene *competere* volunt: qod ipſum, ſi Tertulliano credimus, [f] *totum*

qod

[a] Adv. Hermog. c. 22.
[b] Adv. Marc. l. 5. c. 1.
[c] Adv. Herm. c. 6.
[d] Adv. Prax. c. 4.
[e] Tertul. adv. Herm. c. 6.
[f] Ibid. c. 21.

qod eſt Deus avfert, nolens ipſum ex nihilo univerſa feciſſe. Certè, qod Avguſtinus, *de Geneſ. contr. Manich. l. 1. c. 6. Ideò Deus rectiſſimè creditur omnia de nihilo feciſſe, qia etiamſi omnia formata de iſtâ materiâ facta ſunt, hæc ipſa materia tamen de omninò nihilo facta eſt. Non enim debemus eſſe ſimiles iſtis, qi omnipotentem Deum non credunt aliqid de nihilo facere potuiſſe, cum conſiderant fabros & qoſlibet opifices non poſſe aliqid fabricare, niſi habuerint unde fabricent. Si enim non adjuventur eâ materiâ unde aliqid faciunt, nihil poſſunt facere, cum materiam ipſam ipſi non faciant. Omnipotens autem Deus nullâ re adjuvandus erat, qam ipſe non fecerat, ut qod volebat efficeret. Si enim ad eas res, qas facere volebat, adjuvabat eum aliqa res, qam ipſe non fecerat, non erat omnipotens; qod ſacrilegum eſt credere.* Et ſacrilega proinde iſta dogmatum portenta à noſtrorum ſuorúmqe omnium mentibus Deus Opt. Max. averruncet.

Nos his tricis, non tam incertis, qàm inſanis extricati tandem & expediti, ad Moſis ſcriptum, λόγον βαβαιότητον καὶ ὑγιεινότητον, cui nihil cum commentis iſtis commune, revertemur: ſed ut ea qæ de argumento hoc inſuper dicenda ac differenda habemus, qia iſtud ampliùs ſub manu excrevit, ad caput proximum rejiciamus.

Cap. II.

Particula ב *in* בְּרֵאשִׁית *qid valeat. Maimonidæ de eâ ſententia rejecta: ſed & ejuſdem atqe Aqilæ ſeqacium de* רֵאשִׁית *argutia. Idem hic eſſe* רֵאשִׁית *qod* תְּחִלָּה principium, initium. Λόγῳ *qid Joanni, & unde. Joannis verba c. 1. v. 1. perperam habita.* רֵאשִׁית *&* רִאשׁוֹנָה *qi diſtent.* בְּרֵאשִׁית principio, primò, primitùs. אֵת *particulæ qis hîc uſus. an idem qod* עִם *Cùm*, cum, unâ, *hîc valeat. De eâ etiam noſtri cujuſdam frivolum nugamentum. Maimonidæ explicatio, in qâ nec ſibi conſtat; Aqilæ item verſio, cum inde natis argutiis, de rebus omnibus unà conditis, rejecta. Eſajæ verba c. 48. 1, 13. à pravâ interpretatione vindicata. Aqila in Hebraicis vertendis qalis.* Cœli *ac* terræ *nominibus qid iſtic deſignetur.* Spiritus *nomine Gen. 1. 2. qid denotatur.* Cœli *nomine aerem ætherémqe*, terræ, *aqam qoqe contineri.* Abyſ-

ſus *qid velit.* מְרַחֶפֶת *qid ſonet.* ἐπωάζειν *an ſignificet. Syris qid.* Agitationis *notionem ſemper habere in ſcripturis, rectè Camins. Verba Moſis Devt.*32.11. *diſcuſſa. mendum in Græcâ verſione exiſtimari; ſed antiquum.* nidus, *pro* pullis, *ſive* ovis. *Exod.*19.4. *Jajri argutiæ havd admiſſæ. Eſajæ verba Cap.*10.14. *&* c.31.5. *explicata.* Spiritus Dei, *qi ſumatur. Super aqas qorſum motitarit.* 1 *Reg.* 16.15. *&* Job 31.23. *explicata. Gen.*1.4. *ſyntaxis varia.* טוֹב *qid ſonet.* ἀνταπόδοτος *trajectæ exempla. Pleonaſmi Hebræis familiares. Numeralia cardinalia pro ordinalibus uſurpata. De* 1 *Cor.*16.2. *ampliatur. Chriſti verba Joan.*10. 18. *explicata. De diei creationis ſecundi exitu diſceptatio. Benedictio in Verſione Græcâ inſerta, qam Hebræa lectio non agnoſcit. Præterita Hebræa in pluſqam perfecti notione.* קָוָה *Gen.*1.9. *&* Jer.3.17. *qid ſonet. Animantia die quinto, an ſexto creata. Picherelli methodus in Capitibus* 1. *&* 2. *Moſaicis de Coſmopœiâ conſarcinandis. Paradiſus qoto die conſitus. Stirpes an die tertio conſummatæ. Jajrâ & Aramæ ineptiæ rejectæ. Omnia primitùs in perfectione ſuâ creata. De Verbis Gen.*2. 4,5. *diſceptatio.* טֶרֶם *qid propriè ſignificet. Verſio Junniana, ſed & Dievſiana utraqe, rejectæ.* אֹתָהּ iſtæ, *non* illæ. Ille *unde. alavdæ* ὑπερμβάσιοι. שִׂיחַ *qid. Job* 12.8. *explicatus.* שָׂרָה *qàm latè pateat.* צָמַח *qid ſonet.* אוֹר *qid ſignificet, & unde ortum habeat. pro* calamitate *perperam Junio ſumptum Jer.*36.27. *Plinii locus inſignis de aqis cœleſtibus. Rorem & nebulam pluviæ vicem ſupplere. Saadiæ, & Junii expoſitiones* ו vav *hic probatæ. Copulativa in disjunctivæ notione. Negativæ ellipſis* ἐκ τοινοῦ *ſuppletæ. Eſajæ locus inſignis noviter explicatus & illuſtratus.* Panis *pro frumento.* frumentum *pro pane.* טָרַף traha. חָרוּץ tribula, *qâ ratione dicta. Formulæ paſſivæ verbalia, notionis diverſæ.* חָרוּץ טֹרֵג *qâ ſyntaxi dicatur. Subjecti ellipſis havd inſolens. Dan.*9.21. *&* Joel. 3.14. *explicata. De tribulâ Magiſtrorum ſententia. Triturandi apud Hebræos modi varii. Sed & apud exteros ex Varrone.* פָּרָשִׁים *Eſajæ qid.* פִּיפִיּוֹת בַּעַל *qid velit.* μάχαιρα λίσμος. אֹפֶן & גִּלְגַּל *ſive* גַּלְגַּל κάνθος. Cornu *qid, Mic.*4.14. *Capite tertio narrata, utrum intra hebdomadam mundi primam concluſa. De diei*

ſexti

ſexti horis 12. *& intra eaſdem peractis, nugamenta Talmudica. Evam ante lapſum, à viro cognitam, intra horulam, gemellos ſaltem edidiſſe. Corpus Adæ unde confectum, mole quàm prodigioſum fabulentur. De Homine intra diem ſextum lapſo traditio impugnata & rejecta. Ambigentium, contráve ſentientium cenſura ab Avtore* concentus Scripturæ *nimis aſpera; hominis ingenio condonanda. De Adæ ſepulcro, de lapſu illi parili, traditio.*

DE Dictionis Moſaicæ liminaris ſtructurâ in Capite præceſſo diſſeruimus. De vocibus nonnullis, qibus ea concipitur, in hoc ulteriùs diſpicietur. Atqe hîc novos nobis rurſus in ſimpulo fluctus cient, vel laſciviora, vel moroſiora qædam ingenia. Ex his ſunt curioſitates havd unæ, à Moſe Majmonide magno illo apud ſuos habito, in *Moreh nebocim*, ſive *Doctore perplexorum*, propoſitæ, qas examini iſtic ſubjiciemus.

De בראשית primo loco ſic argutatur, ut *bet* nolit eſſe בית זמן ſive *temporis indicem* particulam, ſed בית כלי i.e. *inſtrumentalem*, qæ efficientis cooperantis, ſive coadjuvantis, & ſubſervientis deſignandi rationem habeat: Huic accedit, qòd verbo ראשית hîc non vult temporis *exordium*, ſive *initium* intelligi. itaqe inter תחלה & ראשית anxiè diſtingvit, & תחלה qidem vult de eo duntaxat uſurpari qod tempore antecedit; ראשית verò, & de illo qod eſt rei alterius alicujus *principium*, ſicut cor eſt principium in corpore animato, & elementum in corpore elementari. itaqe à ראש derivari, qod *caput* ſignificat, qod ipſum eſt ſitus ratione animantis principium. omninò avtem contendit ראשית non eſſe hîc idem qod תחלה Ita *ſubſtantivum* aliqod *principium*, ut Tertullianus loqitur, voculâ iſtâ deſignatum innuere videtur: (neqe enim explicatè ſatis loqitur) & ad Targumiſtæ חכמה forſan reſpexerit, *Sapientiam* utiqe divinam, qâ terram is fundaſſe perhibetur. Parœm.c.3.v.19. qod eſt ſuprà rejectum. Ejuſmodi aliqid & Aqila voluiſſe videtur, qi (referente, poſt Hieronymum, in *Tradit.* ſive *Qæſt. Hebr. in Geneſ.* Joanne Philopono, in commentariis εἰς ἑξαήμερον, qorum excerpta qædam apud Photium in *myriobiblo cod.*240. ſuperſunt) reddidit,

didit, Ἐν κεφαλαίῳ, *In capite*, ſive, *In capitulo*. Affinia certè habuiſſe Græcos, qi Aqilæ verſionem ſeqebantur, ex Philopono eodem diſcimus. Ex eis nonnulli *capitis* nomen *principii* loco uſurpatum voluere, ἀπὸ τ ἀρχῆς τ σώματος, τ κεφαλῆς, *à capite, qod eſt corporis principium*, ductâ ſimilitudine; à qâ ſubtilitate nec Majmonides abfuit. Alii inſuper hinc argutabantur, Συμπεπλεγμένως καὶ ὁμοῦ γενόντας, *ſimul junctímqe condita cœlum & terram.* κεφάλαιον enim nomine freqenter deſignari τ ἐν ἑνὶ πολλῶν ἅμα ζωαίρεσιν, *rerum complurium in uno aliqo qaſi capite comprehenſionem.* qâ de re ulteriùs dicendi deinceps locus dabitur.

Verùm iſtic Majmonidæ David Camius adverſatur, qi uti רֵאשִׁית hîc, contrà qàm Jajrus & Eſdrajdes, סָמוּךְ i e. *conſtructum* eſſe negat, ita contrà etiam qàm Majmonides, רֵאשִׁית hîc idem planè qod תְּחִלָּה valere diſertè affirmat. ac proinde בְּרֵאשִׁית per בִּתְחִלָּה *in principio*, ſive, *in initio*, exponit. Cui aſtipulatur & qod Moſes ipſe, Cap. 2. v. 4. *Hi ſunt*, inqit, *natales cœli & terra*, בְּהִבָּרְאָם *cum creabantur*, בְּיוֹם עֲשׂוֹת *in die facere*, i.e. *qo tempore Jovas Deus fecit terram & cœlum.* Nec aliud opinor, voluit, avt Jonathas, cum מִן אוּלָה *à principio*, (qo modo ἀπ' ἀρχῆς Evangeliſtæ Matth. c. 19. v. 4. & Joan. c. 8. v. 44.) avt Onkelos, qi בְּקַדְמִין *in initiis*, ſive, *in primordiis*, (plurali uſus, prout & Latini qandoqe) reddidere. Sed nec Evangeliſtam, cum narrationem ita ordiebatur Evangelicam, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, *In principio erat Verbum*, ſive, *Sermo*, qod Eraſmus, ſive *Ratio*, qod Tertullianus maluiſſe videtur; Talmudiſtæ & Targumiſtæ מֵימַר dicerent, qod ad priora illa propiùs accedit. In qo loco ediſſerendo fruſtra ſunt, cum è Scriptoribus Græcis, inter qos eſt Cyrillus, qi ἀρχὴν τ πατέρα σημαίνειν, *principii* nomine Deum *Patrem* volunt *ſignificari*, in qo Filius ab æterno fuerit: tum & Socinus blaſphemus ille multo magis, qi qò τ λόγου æternitatem eludat, non de *Mundi materialis* primitùs *à Deo conditi* primordio, ſed de *Mundi ſpiritualis*, ſive Eccleſiæ Chriſtianæ, *per Chriſtum conditi atqe extructi* exordio, impiè admodum accipiendum contendit. Qin nec aliud qicqam ſenſiſſe Judæi Magiſtri illi videntur, avt qi, Jajro referente, בְּרֵאשִׁית הַכֹּל *in principio univerſi*, ſive *rerum omnium*, expoſuere; avt

avt qi, Eſdraide narrante, בְּרֵאשִׁית הַשֶּׁרֶב אוֹ בַּלַּיְלָה אוֹ הַחֹשֶׁךְ h. e. *in principio veſperæ, vel noctis, vel tenebrarum.* qia utiqe veſpertinum matutino, nox die, luce tenebræ priores extiterant. qi eidem, & Abrahâ eodem commemorante, בֵּית hîc נוֹסָף *addititicium*, ſive *ſupervacaneum* eſſe exiſtimabant. atqe ita בְּרֵאשִׁית dictum, qo modo בָּרִאשׁוֹנָה Num. c. 10. v. 13, 14. qod ſine בָּרִאשׁוֹנָה legitur Num. c. 2. v 9. ubi dicitur בָּרִאשׁוֹנָה יִסָּעוּ *hi primò ſunt profecti.* ita בְּרֵאשִׁית & בָּרִאשׁוֹנָה, ſed & dempto ב בְּרֵאשִׁית & בָּרִאשׁוֹנָה idem omninò fuerint. et, qicqid in adverſum differat Eſdraides, hoc loco reverâ ſunt. proinde & בְּרֵאשִׁית hîc *primò* verti poſſet; ſed adverbialiter ſumpto: qo modo & ἀρχῶ Græcis uſurpatur Joan. c. 8. v. 25. de qo loco adverſus Pradenſem alibi diſſerui: & *Principio* Latinis, uti in Maroniano illo *Æn. l. 6.*

Principio cœlum & terram. ——

Verùm, cum בָּרִאשׁוֹנָה latiùs pateat qàm בְּרֵאשִׁית illud enim tam ad loci, qàm ad temporis ordinem pertineat, qo modo in Numerorum inciſo illo, *Primò.* i.e. *loco primo, profecti ſunt:* hoc ad temporis duntaxat rationem referatur: ideò, qò ambiguitas omnis tollatur, בָּרִאשׁוֹנָה *primitùs* verti aptiſſimè poterit. ſicut in Luciliano illo, qod apud Nonium depravatiſſimè proſtat, *primitùs* uſurpatur,

Sicuti cum primus ſicos propola recentes
Protulit, ingenti pretio dat primitùs pavcos.

ita certè commodiſſimè redderetur loco ab Eſdraide ſuperiùs indicato, Devt. c. 33. v. 21. וַיַּרְא רֵאשִׁית לוֹ *& proſpexit primitùs ſibi.* ad primum ſcil. appulſum, ſive ingreſſum, in terræ promiſſæ fines; ſive ad primam hæreditatis divinitùs deſignatæ aditionem. ſicut hoc loco ad primum orbis condendi opus à numine ceptum aggreſſúmve. Multa qidem differunt & noſtri de variis vocis *Principii* acceptionibus, Baſilius, Ambroſius, Avguſtinus, Tertullianus, alii; & oſtendere conantur, qo modo citra fidei detrimentum *principium* iſtud variè ſumi qeat: verùm ad hoc tandem deveniunt, ut genuinus voculæ ſenſus is ſit iſtic, qo temporis articulus denotetur. Ita Baſilius, *in hexam. orat. 1.* Ἐν ἀρχῇ, τουτέστιν, ἐν ἀρχῇ καιρῷ τῆς κτίσεως. et Ambroſius in ſubjectum idem *l. 1. c. 5.* *In principio temporis*, inqit, *cœlum & terram Deus fecit.* Di-

 ſertiſſimè

ſertiſſimè verò omnium Tertullianus *adv. Hermog. c. 19. Nos unicuique vocabulo proprietatem ſuam vindicamus; principium initium eſſe, & competiſſe ita poni rebus incipientibus fieri. nihil enim quod fieri habet, ſine initio eſſe, quum initium ſit illi ipſum dum incipit fieri. ita principium, ſive initium, inceptionis eſſe verbum, non alicujus ſubſtantiæ nomen.*

Cæterùm aliam inſuper, qâ lectores ſuos exerceret, ſubtilitatem ex verbis noviſſimis elicit Majmonides. Etenim, *Scire*, inqit, *hoc quoque te refert, quòd in verbis illis* אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *particula* אֵת *idem valet quod* עִם i. e. *cum*, ubi præverbii rationem obtinet, unde duo iſta à Sapientibus colligi monet. primò, *cœlum & terram ſimul eſſe creata*; tum *Deum unâ cum cœlis creaſſe quæcunque ſunt in cœlis, & unâ cum terrâ, quæcunque ſunt in terrâ.* ita tandem concludunt, cuncta *ſimul fuiſſe creata*; juxta illud Eſajæ c.48,v.13. קָרָא אֲנִי אֵלֵיהֶם יַעַמְדוּ יַחְדָּו *Me illa compellante conſiſtunt ſimul; licet poſteà ſucceſſivè ſint ab invicem diſcreta.* id quod illuſtrant imagine ab agricolâ deſumptâ, quum ſemina varia uno eodémque temporis articulo terræ committit, quorum quædam poſtridiè, alia poſt biduum, à triduo alia proveniunt, etiamſi ſementis tota ſit uno eodémque temporis momento peracta. Cui poteſt adjici Ajnſworthi noſtri ex eâdem forſan officinâ de particulâ eâdem inanis argutiola, mundum univerſum cum omnibus eodem comprehenſis à Deo conditum eâ innui, quia ex literulis duabus conſtat, quarum altera Alphabeti Hebraici prima, altera eſt noviſſima.

Verùm miſſo futili commento iſto, Judæorum illi, (quod tamen avtores an favtores è noſtris etiam inſignes habuit, de qo & alibi diſſertum eſt) ex adverſo ſe opponit Eſdraides. negat enim ultra unum aliquod die uno quicquam fuiſſe creatum; primo *lucem*; ſecundo, *expanſum*; tertio, *herbas ſtirpéſque*; quarto, *luminaria*; quinto & ſexto, *animantia*. verùm & de hoc meritò ambigi poteſt. terram enim quandò creatam dixerimus, ſi intra nullum è ſex illis condita fuerit? Interim de Eſajæ loco illo rectè idem monet; non de rebus nondum creatis ibi agi; (qi enim poſſe compellari, qæ nondum exiſtant?) ſed de jam conditis, quorum priùs per vatem ſuum Deus meminerat; déque horum miniſterio, qo ſervorum avt fa-

tellitum

tellitum inſtar regibus & magnatibus avt magiſtratibus aſtantium, ad Dei imperia excipienda, mandata exeqenda, qaſi in procinctu, jugiter præſtò conſiſtunt.

Cæterùm novam rurſus crucem Græcis ſuis Aqila etiam hîc fixit, dum (qod ex Philopono diſcimus) verſum integrum ſic reddit, Ἐν τῷ καταλαβεῖν ἔκτισεν ὁ θεὸς (σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν. qæ qidem verſio cum vix Græca ſit, interpretes proinde, in expiſcando qid vellet, havd parum torſit, exercitoſqe habuit. id ariolabantur utiqe pleriqe formulâ hac inuſitatâ deſignari, qod & Judæi Magiſtri illi; τὸ σὺν (συνδυασμὸν δηλοῦν, particulâ σὺν nempè *rerum duarum conjunctionem indicari*. itaqe eâ hîc inſinuari, ἄμα γενέσθαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *cœlum & terram utrumqe ſimul extitiſſe*. alii verò inſuper, qod & illi itidem, διὰ τὸ ἄκρων καὶ τὰ μέσα περιλήφεσθαι, *unâ cum terminis extremis*, ſuperiore cœlo, inferiore terrâ, *ea qæ interjacent ſimul fuiſſe* comprehenſa. Ita vel ex hoc ſenſu, τὸ τοῖς μέσοις, ſive τοῖς μεταξύ, ſubintelligeretur, qo ſenſus integer foret, vel ex priore, τὸ σὺν, non tam præverbii, qod regat, qàm adverbii abſolutè adjecti rationem obtineret; prout, ubi σύνδυο γεγενημένοις, *unâ duo editi*, de geminis dicitur; et, σὺν τοῖν δύο ἐρχομένοιν, *duo ſimul incedentes*, Homero; et ad verbum *condendi*, non ad *cœli ac terræ* nomina, σὺν particula pertineret: qæ qidem ſtructura utraqe hîc, ſive Græca, ſive Hebraica ſpectamus, eſt nimium qantum coacta & abſurdiſſima planè. Nec mirum Aqilæ homini cumprimis κακοζηλίας vitio laboranti; ut voculas formuláſqe Hebraicas citra judicium, anxiè nimis plerumqe, putidè etiam ſæpenumero exprimere ſtudio habuiſſe videatur, verſionem tam abſonam excidiſſe. Mirum magis Majmonidem, virum tantum, tantíqe apud ſuos habitum, ut de eo vulgò dici conſveverit, *A Moſe ad Moſen huic parem nullum extitiſſe*, animum inducere potuiſſe, ut de interpretatione, tam ab omni ratione ſenſúqe alienâ, tam ſeriò ſuos moneret: ídqe cum verſionem expoſitionémqe hactenus genuinam, à qâ iſta tantopere diſtat, pro verâ antè verbis illis propoſuiſſet; *Et vera loci illius expoſitio eſt hæc*, In principio creavit Deus ſuperiora & inferiora. *expoſitio conveniens novitati mundi*. Hæc ille. Nec poteſt reverà aliud eſſe hîc את particula, qàm index nominis ſub verbi regimine, pro eâ

ratione, qâ in lingvis exteris, per casus qos appellant in flexione variantibus, *accusandi* qem nuncupare solent, designaretur. nec ἀντὶ τοῦ אֵת usurpari consvevit, nisi ubi verbum vel consistens merè, vel reciprocum anteceſſerat. Post transeuntia affectum jugiter habet superiùs indicatum; nec in lingvis illis exteris exprimi, avt solet, avt etiam rite potest; cum affectus istius indicem, præter nominis ipsius avt pronominis formam, particulam nullam habeant.

De particulæ itaqe vi verâ constat satis. Verùm *cœli ac terræ* nominibus qid designetur, disqisitione ulteriore aliqâ opus habet. Siqidem nec Judæis Magistris, nec nostris etiam interpretibus secum invicem hîc convenit. Et Majmonides qidem, (qod & antè monuimus) *cœli* nomine vult *superiora*, *terræ* nomine designari vult *inferiora*. hisce avtem contineri qid velit, mox explicat. *cœli* nempe, sive *superiorum* nomenclaturâ *orbes cœlestes*; *terra*, sive *inferiorum*, *elementa qatuor*, *ignem*, *aerem*, *aqam*, *terram*, qorum in seqentibus mentio fiat distincta, idqe eo ordine, qo ex rerum ipsarum naturâ situm suum obtinent; primo enim loco occurrere *terram*, qæ omnium sit infima; supra hanc esse *aqam*; aqæ adhærere *aerem*; supra hunc esse *ignem*. *tenebras* avtem ignem esse probatum it, ex Devt. c.5.v.22,23. & Job.c.20.v.21. qæ cum dicantur esse *super faciem abyssi*, inde constare aere superiores existere. *Spiritus* avtem nomine *aerem* sive *ventum* intelligi, firmatum it ex Exod.c.10. v.19. & c.15.v.10. et Num.c.11. v.31. (cui adjiciunt ex nostris, inter qos Theodoretus, Hymn.147.v.8.) qi & *Dei* esse, & *ferri* dicatur, qia mobilem ac flatilem Deus fecerat, ventiqe motus in Scriptis sacris Deo semper adscribatur. In qibus adversantes sibi ex parte habet Græcos illos qorum vestigia premit Philoponus. Hi enim ratione potiore τὸ σκότος, sive *tenebras*, non *ignem*, sed ἀέρα ἀφώτιστον, *aerem lumine cassum prorsus*, exponunt, תְּהוֹם sive ἄβυσσον, pro vocis Græcæ notione atqe usu perpetuo, non *aerem*, sed ὕδωρ πολὺ καὶ εἰς βάθος χωρῶν ἀλυπήτον, *copiosam immensæ altitudinis aqam*, πνεῦμα δὲ verò, h.e. *Spiritu*, sive *venti*, qo modo vox ea usurpatur Joan.c.3.v.8. nomine, *aerem*, (τοῖς ὕδασι γὰρ ὁ ἀὴρ ἐπιπέπτωκε, *qin aer* utiqe *aqis supernatat*) intelligunt.

At

At Abraham Eſdraides, nec Majmonidæ per omnia, nec ſibi ipſi etiam conſentiens, hîc deprehenditur. Siquidem poſtquam Saadiæ ſententiam retulerat, qi *terram* ait *centri* ſive *puncti inſtar* habere, *cœlum* avtem *fili*, ſive *lineæ* huic *circumductæ*; neqe cum ratione conſtare, ut vel *centrum ſine lineâ*, vel *linea* etiam *ſine puncto* conſtitueretur; ideóqe *cœlum & terram* eodem temporis articulo fuiſſe condita, primo utiqe die; deinceps verò ea qæ illis continentur, *aqam* utiqe & *ignem*; aliorum etiam ſenſum adjecerat, qi *cœli* vocabulo *aerem*, *terræ aqam*, comprehendi, volebant; ac omnia etiam, die primo ſimul condita avtumabant. iſte ab his utriſqe recedens, cum ultra unum aliqod die unoqoqe conditum negat, (uti eſt ſuprà indicatum) ſtatuit tandem *cœli* nomine *expanſum*, (cui condendo diem ſecundum ſuperiùs aſſignaverat) *terræ* nomine *aridam* deſignari. *aqam* qoto die creatam velit, nullus dicit. Interim nec Majmonides, nec ipſe verò ſatis liqidò ſeſe explicant; eâqe uterqe profert, qæ nec ſecum invicem probè conveniunt. Verùm Oedipo aliqo, avt Delio natatore opus eſſe innuunt, qi ſenſus ſuos expiſcentur, cum ajunt, אַנְשֵׁי הַמְּדוֹת יָבִינוּ אֱלֹהַּ הַסּוֹדוֹת *Viros intelligentiâ ampliori inſtructos iſta*, qæ hîc tradunt, *arcana aſſecuturos*. qorum è numero me non eſſe, liberè palâmqe profiteri, nullus erubeſco.

Sed nec noſtri etiam in appellationum harum expoſitione ſecum invicem conſentiunt. Etenim (ut ſententias receptas maximè duntaxat attingam) ſunt qi *cœli ac terræ* nomine, non ea qæ nunc oculis uſurpamus, intelligi velint; ſed rudem vaſtamqe qandam materiæ congeriem molémqe, in qâ, tanqam παγγερμίᾳ ſive *ſeminario communi*, deliteſcebant recondita horum utriuſqe ſemina, & ex qâ educta ſint, qæ deinceps condita ſunt univerſa. Alii *cœli ac terræ* nominibus volunt deſignari, mundi hujus machinam univerſam, in duas qaſi partes principales diſtributam, de cujus utriuſqe cum ſtructurâ, tum & inſtructurâ, narratio in ſeqentibus accuratiùs & diſtinctiùs inſtituatur. Cui ſententiæ favere videtur, qod Eſdraides monuit, הַיְדִיעָה ה articulum hoc loco eſſe δακτυλικὸν, ut qaſi δακτυλοδεικτέμενα, ſive digito exerto demonſtrata, deſignentur *cœlum iſtud & terra iſta*, qæ ſe oculis noſtris ingerunt. Qin & mentem ſuam hac in parte Moſes ipſe

perſpicuè ſatis explicuiſſe videtur; ubi Cap. 2. narrationis antegreſſæ ἀνακεφαλαίωσιν inſtituens, *Ita*, inqit, *conſummata ſunt cœlum & terra, cum univerſâ eorum inſtructurâ.* Et rurſus, *Hi natales fuere cœli & terræ, quando ea creabantur; eo die*, ſive, *tempore, fecit Deus terram & cœlum.* qibus verbis, non aliud *cœlum, terrámve* aliam, opinor, voluit deſignata, qàm ea qæ ſenſibus humanis ſubjecta, in diem uſque hodiernum perſiſtunt. Diſtinctionem horum qod attinet (mihi mea ſi licuerit animi ſenſa interponere) *Cœli* nomine contineri exiſtimem *mundum ſuperiorem*, ſive ambitum univerſum illum, in tres qodammodo regiones diſpertitum, in qo aves feruntur, in qo nubes conſiſtunt, in qo ſidera collucent: iſtis enim omnibus cœli nomen in voluminibus ſacroſanctis paſſim tribuitur: qæ etiam, ſi cui διχοτομία magis arriſerit, in *aerem* & *ætherem* poterunt diſpeſci. *Aeris* nomine cum Theodoreto, comprehendendo, τὸ ἐκ τῆ ὕδατος ἐπιφανείας μέχρι τῆ ὑψηλοτέρου δίνου, *id omne qod ab aqæ ſuperficie ad cœlum uſque*, qod nos vulgò dicimus, ſiderum utiqe regionem ſedémve, *pertingit*: (nam de *ignis elemento* & pagina ſacra ſilet, nec de eo etiam inter Philoſophiæ ſeculares ſtudioſos ac peritos ſit necne ſatis convenit) *ætheris autem*, qicqid inde ad extimum uſqe univerſi ambitum porrigitur. *Terræ* nomine, *mundum inferiorem*, ſive *terræ* & *aqæ*, ita ſibi invicem intercurſantium molem, ut corpus unum, globum ſaltem unum, junctim confici videantur. Hoc eo magis ita ſumendum avtumo, qia in recenſione mundi primitùs conditi toties alibi repetitâ, *terræ* ſolius mentio facta reperitur. Hymn. 121. v. 2. & 124. v. 8. & 134. v. 3. Jer. c. 10. v. 11. Matth. c. 11. v. 25. qibus tamen locis *terræ* nomine *mare* qoqe comprehendi, patet ex Hymn. 46. v. 6. Act. c. 4. v. 24. & c. 14. v. 14. Apoc. c. 10. v. 6. & c. 14. v. 14. qod & propterea factum conjicere licet, qòd *cœlum & terra*, hominibus qibuſqe, in qacunqe *orbis terrarum*, uti loqimur, regione ſive climate agant, ex aſpectu ipſo cognita ſint; qum *mare* qàm plurimis, ex eis præſertim, qi in intimis continentis alicujus partibus perpetim degerint, niſi ſi de nomine forſan ſolo, nunqam innotuerit. Patet idem etiam, ne longiùs hinc abeamus, ex eo, qòd hoc ipſo Capite Verſ. 15. *luminaria in cœlo ſita* perhibentur, *ad terram illuſtrandam*; qod tam ad

mare

mare qàm ad *aridam* pertinere qis neſcit? Act.c.27.v.20.33. Et cum *vapores dicuntur à terrâ aſcendere*, Cap.2.v.6.et, *à finibus terræ*, Hymn.135.v.7. tam è mari extrahi & exhalare, qàm à terrâ ſurſum attolli, intelliguntur. Qin & *Cœli* nomine, eâdem in hac mundi primitùs extructi atqe inſtructi narratione Moſaicâ, inſignitur, tam *aer*, ejuſdémqe cum regio ea, in qâ *aves* volitant, Verſ.20. tum ea in qâ *nubes* aqoſæ conſiſtunt, Verſ.6.7. qàm & *æther*, ſive regio avt ſtatio illa, qæ eſt ſideribus aſſignata. Verſ. 14.15. Sed & ex proximè ſeqentibus eadem elicitur diſtributio, ubi *terra* primitùs *informis & inanis* fuiſſe dicitur, utpote aqis immerſa penitùs, donec eis in loca certa diſcretis, arida ſeſe proderet, & in conſpectum prodiret; & *abyſſi* nomine globus ille deſignatur, qo aqæ terram intra ſe in ſuis qaſi viſceribus demerſam & concluſam continebant. neqe enim poſſum hîc Viro Cl. Fr. Junio aſſentiri, qi *abyſſi* nomine vult communem *cœli terræqe materiam* denotari; qum nuſqam in ſacro codice vocem hanc ſic uſurpatam reperiam. Hujus avtem *abyſſi faciem*, ſive, *ſuperficiem*, qod *tenebræ* dicuntur occupaſſe, ſuperiorem illam mundi regionem, qæ aqis extabat, univerſam, (tam *aerem* contiguum, qàm *atherem* longiùs diſſitum) lumine omni deſtitutam orbámqe prorſus, cœli nomine inſignitam datur intelligi; qum niſi in ſubjecto aliqo nec lumen, nec tenebræ conſiſtere poſſint. denique qod primò dictum eſt, *ſuper faciem abyſſi*, id mox, *ſuper faciem aqæ*, ſive, *aqarum*, dicitur, ut *abyſſi* nomine intelligantur *aqæ*, qorum in utero continebatur hactenus terra in apertum & conſpectum brevi proditura. atqe ita Jajrus è Moſe ipſo Moſen exponit עַל פְּנֵי הַמַּיִם שֶׁעַל הָאָרֶץ i.e. *ſuper faciem abyſſi*, עַל־פְּנֵי תְהוֹם *ſuper faciem aqarum quæ ſuper terram* fuerant.

Hoc avtem poſterius à Moſe his verbis concipitur, וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם Ubi *Spiritum Dei*, non deſunt è noſtris, qi cum Eſdraide & Majmonide, *aerem*, ſive *ventum*, exponant, in qibus eſt Origenes *de Principiis lib.*1. Diodorus Tarſenſis, Theodoretus in Geneſ. qæſt.8. Tertullianus *adv.Hermog.* c.32. qod & ſuprà eſt obſervatum: cum pleriqe tamen de *Spiritu ſancto* intelligant; à qo nec Jajrus ipſe prorſus abhorrere videtur, cum ad inciſum iſtud hæc habeat,

beat, *Solium gloriæ in atre fuit conſiſtens*, et מְרַחֶפֶת *movens*, an *incubans*, *Spiritu oris ſui, Dei utique ſancti Benedicti, & Verbo ſuo, ſuper faciem aqarum.* Verùm utrovis modo *Spiritus* vocabulum ſumere libuerit, de verbo רָחַף unde מְרַחֶפֶת iſtud ampliùs erit qærendum. Hoc eò pleriqe referunt, ut alitis ovis, qò excludat, incubantis, eáqe calore ſuo foventis, affectionem geſtúmqe propriè deſignet. Ita Jajrus, qi ſuprà dictis ſubjungit, כְּיוֹנָה מְרַחֶפֶת עַל הַקֵּן *ſicut columba, qæ modo ſuo incubat.* ita enim voce barbarâ, uti ipſe appellat, *accubandi*, ſive *incubandi*, explicat ulteriùs. Ab illo Vir Cl. Grotius ſumpſiſſe videtur, qod in *Annotat. ad lib.* 1. *de Verit. Relig. Chriſt.* dixit, vocem hanc *incubitum columbæ ſuper ova ſua* ſignificare; qod ad *Spiritum* trahit in ſpecie columbæ ad Chriſti intinctum *ſuper ipſum deſcendentem & deſidentem* etiam. καταβαῖνον καὶ μένον. Joan. c. 1. v. 33. id qod נָחָה *requieſcet ſuper eum Spiritus*, dixerat Eſajas c. 11. v. 2. Verùm non de *columbâ* ſolâ, de *agilâ* etiam dici, rectè monet Eſdraides ex Devt. c. 32. v. 11. itaqe laxiùs extulit Baſilius *in hexaemer. orat.* 1. ubi à Syro qodam ait didiciſſe, hanc eſſe genuinam vocabuli hujus notionem, σωίδλατι καὶ ἀζωογόνου ἢ ἢ ὑδάτων φύσιν, καὶ ἢ εἰκόνα ἢ ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικὴν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποδαλομένοις. Hinc Ambroſius, qi ex Baſilio complura traduxit, in *hexamer. l.* 1. *c.* 8. *Syrus, qi vicinus Hebræo eſt, & ſermone conſonat in pleriſqe & congruit*, (qod idem reverâ ferè de Syris etiam Baſilius) *ſic habet*, et Spiritus Dei fovebat aqas. *i.e. Vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, & fotu ſuo animaret ad vitam.* At Syrus qid habeat, nec Baſilius dixerat, nec Ambroſius, credo, qicqam reſciverat. et fortean vocabulum hoc ipſum retinuerat; qo modo in explicatione ſuâ Jajrus. Hieronymus in *Qaſt.* ſive *Tradit. Hebr. in Geneſ. Incubabat & confovebat, in modum volucris ova calore animantis.* Et monet qidem inſuper *Pentaglotti* avtor, τὸ רָחַף Rabbinicè & Syriacè, *ovis incubuit*, ſignificare. et metaphoricè, *fovit, confovit, complexus eſt amore, miſericordiâ*, &c. atqe ab hac radice reverâ prodeuntia legimus, מְרַחֵם *miſerator*, Jacob. c. 5. v. 11. qo loco conjunguntur מְרַחֵם qod τὸ πολύσπλαγχνον, & τὸ מְרַחֵם qod τὸ οἰκτίρμων, exprimat. et רַחֲמָא Philip. c. 2. v. 1. qo loco רַחֲמָא & junctim

junctim qoqe posita reperiuntur; sed ut contrà qàm apud Jacobum, illud τῷ ἀπλάγχνα, hoc τῷ οἰκτίρμοι respondeat. ita רָחַם sensu tralatitio usurpatum idem ferè prorsus qod רֶחֶם valuerit, à qo fortean per literarum ἐναλλαγὴν ortum primitùs habuerit. nam de proprio significatu, qo רָחַם ἐπωάζειν, sive, *ovis incubandi*, notionem apud Rabbinos & Syros habere dicitur, nullum hactenùs prolatum exemplum videre contigit. Et reverâ alibi, non *incubitus*, sive *quietis* in loco, sed *motionis* & *agitationis* notionem obtinet. Bis tantùm extra locum de qo agitur, in codicibus sacris usurpatum deprehenditur, Devt. c. 32. v. 11. in Cantico Mosis, & Jer. c. 23. v. 9. qibus omnibus recensitis, in *Radicib.* Camius subjungit, כָּלַם טִנְנִין נִדְנוּד וְתִנּוֹעָה *habent ea omnia motus atqe agitationis notionem.* Et qidem in Jeremiæ verbis aliter sumi non potest, ubi vates, *Confringitur cor meum intra me*, רָחַמַי כָּל עַצְמֹתַי *commoventur*, sive, *concutiuntur, omnia ossa mea.* Targum, וְעוֹ Græci, ἐσαλεύθη. Latinus Vulgatus, *contremuerunt.* Tigurinus, *fluctuarunt.* Pagninus, *commota sunt.* Junius, *eliduntur.* Piscator, *colliduntur.* qæ omnia eôdem recidunt. De loco in Mosis Cantico varietas insignior. Targum Jonathæ, מחוף ex qo emaculandus Targumista Hierosolymitanus, apud qem מְחַסְחַף pro מְחַפְחַף ex formulâ geminatâ vitiosè habetur. idem valet ex eodem themate utrunqe, *protegens.* Apud Græcos, qi LXX dicuntur, ἐπιπόθησεν vulgò legitur. qod *desiderii* & *affectus* notionem habet, qalem apud Syros רַחֲמָא obtinere, suprà indicatum est. at Picherellus mendum subesse suspicatur, & pro ἐπιπόθησεν, legendum ἐπιπίπτων. qod & editio Complutensis admisit, h. e. *involitat*, sive, *involitare assolet.* Ita enim aoristæ ista creberrimè usurpari, alibi ostendimus. Verùm mendum illud si fuerit, ab antiqo vitiatos codices, ex Hieronymo constat, qi ad Matthæi verba illa ca. 23. v. 37. ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας; *qoties volueram liberos tuos congregare, qemadmodum avis*, sive, *gallina, pullos suos sub alas suas congregat?* Gallinæ, inqit, similitudinem in Cantico Devteronomii legimus; *sicut aqila protegit* (σκεπάσει, *tegit*, Græcus) *nidum suum, & super pullos suos desideravit; expandens alas suscepit eos, & tulit super pennas suas.* At

Latinus Vulgatus, *Sicut aqila provocat ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitat, expandit alas ſuas; & aſſumpſit eum, atqe portavit in humeris ſuis.* Tigurinus ad Hebraica propiùs accedens. *Qemadmodum aqila excitat nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitans, expandénſqe alas ſuas tollit illum, & portat eum ſuper alas ſuas.* Junius verò ſenſum alterum ſecutus, *Ut aqila excitat nidum ſuum, pullis ſuis incubat; pandit alas ſuas, aſſumit eum, portat eum ſuper alas ſuas.* Et ab utroqe alium, uti videri poſſit, in *Pentaglot.* Schindlerus, licet eôdem cum prioribus iis collineet, *Sicut aqila dilatatis & expanſis alis movetur & agitatur ſuper pullis ſuis,* eos ad volandum exſuſcitans & invitans: ſive, *volat juxta pullos ſuos,* ut eos volare doceat. Videtur exiſtimaſſe רִחַף iſtic cum רָחַב cognationem habere, qod *dilatandi* notionem jugiter obtinet. Certè רִחַף iſtic ℣ ἐπιπόθειν avt ℣ ζωογονεῖν, ſignificatum habere non poteſt, qum non de *ovis,* ſed de *pullis* jam excluſis, & pennis etiam (ſi hos ſeqimur) jam inſtructis uſurpetur. qemadmodum & Vatablus primum etiam Verſiculi inciſum illud interpretatur, *excitans,* vel, *provocans, nidum ſuum,* i.e. *pullos ſuos.* Mihi iſtic ab utriſqe his, tam qi in *incubandi,* tam qi in *ad volandum provocandi* notione ſumunt, diſcedendi libertatem concedi poſtulavetim, & ad *protectionem* cum paraphraſtis retulerim. Verba Moſis ſic verterim, *Sicut aqila excitat,* ſive, *excutit, nidum ſuum,* (vel *nidum* propriè ſumptum, qò pullis commodiorem faciat; ut Jajrus, מְקַשְׁקֵשׁ וּמְרַחֵף vel, nidum. i.e. *pullos,* ut & Jajrus idem; Metonymia ſubjecti, Piſcator; continens pro contento, Vatablus; qò modo non deſunt qi ſumant, Eſaj.c.16.v.2.) *agitat ſe ſuper pullos ſuos,* (ad eos utiqe protegendos; *non aggravando, ſed protegendo,* Jajrus) *alis paſſis aſſumptum eum* (vel, nidum, pro pullis, ut antè dicebatur, acceptum, Piſcator. vel potius, *eorum unumqemqe*; כָּל גּוֹזָל וְגוֹזָל *unumqemqe pullum & pullum,* Eſdraides) *ſuper alas ſuas vehit.* (nondum utiqe volare potes, Eſdraides) pari modo (deeſt collationis redditæ index particula; prout & Parœm.c.25.v.12. & c.26.v.11.) *duxit eum Jovas ſolus, abſqe ullo Deo alieno.* qò pertinet & qod ipſe de ſe dixerat, Exod.c.19.v.4. *Vidiſtis ipſi, qo modo ſuper alas aqilinas vexerim vos.* qanqam argutius pavlò, nec

verum

verum forſan, qod Jajrus hîc commentatur, volucres alias aqilæ metu, qam norint ſeſe & viribus & volatu ſuperare, pullos ſuos in pedibus ſuis vectare; aqilam verò, cum à nullo alite, ſed à ſagittâ ſolâ metuat, ideò ſuper alas ſuos ferre, præſtare reputans, ut ſagittas in eos miſſas, ipſa potiùs, qàm illi, excipiat. qod & ad Deum accommodat; qi inter Ægyptios ſuoſque conſiſtens, Exod. c. 14. v. 19. 20. ſagittas & ſaxa à baliſtis, ex illorum caſtris in hos miſſa, ipſe intercipiebat. qo modo & *alas expanſas*, ad *nubem* ſuper capita ipſorum *expanſam*, Hymn. 105. v. 39. refert Eſdraides. Ego verò etiamſi in *agitationis* notione cum Camio aliiſque pleriſque verbum עוף hîc ſumam, (eam enim eſſe genuinam vocabuli notionem ex Jeremiæ verbis liqidò patet) at de *agitationis* hujus fine atqe intentione eis nevtiqam aſſentior; qia contextus ipſius ſeries aliò ſpectare videatur. Notum certè ſatis eſt, qantâ cum ſedulitate, qanto pro viribus cum molimine, agant agiténtqe ſe circumvolitando alites qiqe, qò pullos ſuos, ubi in diſcrimine verſari ſenſerint, vel tranſferendo eripiant, vel protegendo tutentur. Eò reſpexit Aſſyrius, qum de ſe jactabundus prædicat Eſajæ c. 10. v. 14. *Inveniſſe manum ſuam tanqam nidum* (i. e. *tanqam aves* in nido. metonymia ſubjecti; inqit Piſcator. qod tamen ibi non eſt neceſſe) malim, *tanqam* in *nido*, (ellipſis particulæ, qalis Job. c. 1. v. 13. & alibi creberrimè; ſive ova, ſive pullos, Devt. c. 22. v. 6. 7.) *opes populorum*; *& ſicut ova derelicta* (per metum ab ave incubante) *colliguntur*; *terra totius* opes; (ὁυ ϝ κοινῦ ſuppletum, qomodo Job. c. 31. v. 3. & c. 36. v. 32. Eſajæ c. 5. v. 24. 29. & c. 58. 13.) *nec fuit, qi agitaret alam, avt aperiret os, avt pipiret.* ubi rectè Piſcator, *agitaret alam*, i. e. avderet ſe mihi opponere. qod ille qidem ad pullos ipſos imbelles alludere exiſtimat; ego ad matrem malim ipſorum, qæ alâ ſolet manum in nidum immiſſam vel depellere, vel impetere ſaltem; (qod & Camius iſtic obſervavit) qomodo & *pipiendi* vocabulum, volucrum earundem voces qerulas reſpicere, qas huc illuc volitantes edere ſolent, ubi nidos ſuos diripi, pullóſque abripi, ſuccurere impotes prorſus ipſæ, viderint. Junius argutiùs pavlò, *alam*, inqit, *agitet*, ad avolandum, vel involandum; *os aperiat*, ad impetendum; *pipiat*, ad implorandam opem,

avt expoſtulationem faciendam. Eôdem omninò, qo hîc Moſes, Deus ipſe reſpexit apud eundem vatem Cap. 31. v. 5. verbis illis, qibus Thraſonis illius jactantiam vanam retundit, *Sicut aviculæ volitant* (circa nidum ſuum, ut rectè Piſcator, opem pullis, ſi id pote, laturæ, ſive, qo pullos protegant, ex inciſo ſeqenti ſupplendum; cui gemina videas, ejuſdem vaticinii Cap 1. v. 18. & c. 13. v. 13. & c. 30. v. 17.) ita (circumvolitando) *proteget Jovas Hieroſolyma.* aliter ibi ſecum agi deprehenſurus eſt Aſſyrius, qàm in eis qas occupaverat regionibus ac provinciis factitatum eſſe jactaverat.

Sed ad Moſis prima illa de *Spiritu Dei* enunciata denuò revertemur. Ibi qoqe, prout alibi in *motionis* ſive *agitationis* ſignificatu verbum רָחַף ſumunt havd pavci. Targumiſtæ tres, qaſi uno conſenſu, pro מְרַחֶפֶת מְנַשְּׁבָא exhibent; Eſdraides, נוֹשֶׁבֶת *ſpirabat*; ſive, ut Pagninus, *ſufflabat*. Græci, ἐπεφέρετο. Theodoretus *in Gen. qæſt.* 8. de *aere* interpretatus; ἀέρος δὲ φύσις, τὸ τοῖς κάτω χαμαίνοις ἐπιφερόμενος. (qod Philoponus ἀπνεύχεως dixit) μᾶλλα δ' ἀμυδρὸν τὸ ἐπιφέρετο, καὶ οὐκ ἐπίκυτο, εἴρηκε; τὸ δὲ ἐπιφέρετο ἀντὶ κινητικῶς ἀέρος ἢ ὑσίας παρεδήλωκε. *incubandi* notionem ut minùs idoneam excludit. Latinus pariter Interpres, *ferebatur*. Tigurinus, *motabat*. Vatablus, *volitabat*; *agitabat ſeſe*. Picherellus, *involitabat*, ſive, velut *involitabat*; *addito ad lucem majorem ſimilitudinis adverbio*; *qaſi chaos ipſum ad erumpendum, emergendum, & formàm ſumendam provocans. metaphora à volucribus pullos ad volandum provocantibus. Vide Devt.* 32. 11. de qo loco qid ſentiendum ſit, eſt ſuprà indicatum. Hieronymus vocis notionem utranqe conjunxit, in *Epiſt. de Epiſc. digamo ad Ocean.* qo loco & ad fontis ſacri aqam cum Tertulliano, Ambroſio aliiſqe accommodat, verbis illis, *Spiritus Dei in avrigæ modum ſuper aqas ferebatur*; *& naſcentem mundum in figurâ baptiſmi parturiebat.* De *aere* ſanè, ſive *vento*, ſi cum antiqis illis ceperimus, intelligi poterit non incommodè, *Spiritus Dei*, flatus vehementiſſimus; qo modo, *montes Dei*. h. e. excelſiſſimi, Hymn. 36. v. 6. &, *arbores Dei*, proceriſſimæ; Hymn. 104. v. 16. vel à Deo immiſſus, qo modo, *malus ſpiritus Dei*, Reg. l. 1. c. 16. v. 15. à Deo utiqe miſſus, Verſ. 14. *malus ob vitium, Dei ob miniſterium*, uti Auguſtini nomine avtor *de mirab. ſacr. ſcript. l. 2.*

l.2. c.10. ſive, ut Gregorius in Job.l.2.c.10. *Domini, per licentiam poteſtatis juſtæ, malus per deſiderium voluntatis injuſtæ.* et l.18.c.2. *domini, per acceptam juſtiſſimam poteſtatem, malus per inſitam neqiſſimam voluntatem.* qo modo deniqe אֵיד אֵל Job.c.31.v.23. *exitium,* ſive *calamitas, Dei.* κακὸν θεῖον, τυτέςι μέγα, ἢ κακὸν διήλατον, *malum* vel *ingens,* vel *à Deo immiſſum,* vel utrumqe etiam. flatus avtem iſte partim aqis exorbendis & exhavriendis, dum in vapores attenuatæ ſurſum attrahuntur, partim ad loca certa eiſdem deſignata cogendis, inſervire poterat, qo terræ in abyſſo hactenus reconditæ, ſed in conſpectum poſt pavlo produturæ, via methodúſqe præſtrueretur. Videatur Exod.c.14.v.21.

Seqitur ibid. verſ. 4. וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי טוֹב *Et vidit Deus lucem, qòd bona eſſet.* Ubi Druſius *obſerv.l.15.c.4. Vidit.* i.e. *approbavit, lucem*; eò qòd ſvavis, jucunda, utilis eſſet. unde *lux, lata* omnia ſignificat. Eſt.c.8. v.16. Hymn. 97.v.11. Vide Eccleſ. c.11.v.7. טוֹב avtem tam *ſvave & jucundum,* qàm *bonum* ſignificat; de qo alibi monuimus. Sed & aliam ſyntaxin, eámqe (opinor) genuinam, Vir idem Cl. ſubjicit, ut ſit ἀντίπτωσις cum trajectione; qalis in Terentiano illo, *Eunuch. act.5. ſc.9. Scin' me, in qibus ſim gavdiis?* cui adjici poterit ex eádem fabulâ, *act.4.ſc.3. Eunuchum qem dediſti nobis, qas turbas dedit?* et, qod ad eum locum ex Marone *Æn.l.1.* Donatus, *Urbem qam ſtatuo, veſtra eſt.* qibus gemina ex Codicis ſacri Inſtrumento Novo, Marci c.6. v.16. ὃν ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτος ἐστιν. *qem decollaveram Joannem, iſte eſt.* Et ad Romanos Pavli Cap.6. v.17. εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. *in qam traditi eſtis formam doctrinæ.* ad qem locum Piſcator, *Hypallage,* qæ valde illuſtratur exemplo illo Terentiano, *Reſtitue in qem me accepiſti locum.* Ita fuerit, *Vidit lucem, qòd bona eſſet,* pro eo qod eſſet, *Vidit lucem hanc eſſe bonam*; qo modo Junius reddidit. nec recedit Piſcator. *Vidit,* inqit, i. conſideravit, judicavit, intellexit, ac proinde approbavit, *lucem illam eſſe bonam.* i.utilem ad conſtituendum diem. At Picherellus, *Viderat avtem,* ſive, *Præviderat, illam fore bonam.* ut non tam ad poſtremam operi additam manum, avt de opere jam confecto latam cenſuram, qàm ad, inſtar architecti prudentiſſimi ac providentiſſimi, de opere

futuro deliberationem & prævisionem referatur.

Seqitur, וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ *& separavit Deus inter lucem & inter tenebras.* h.e. *distinctionem fecit inter lucem & tenebras,* sive, *lucem à tenebris discrevit.* Factum avtem hoc non tam קְרִיאַת שֵׁמוֹת *nominum* inditorum *appellatione,* uti Abraham Esdraides, qàm קְבִיעַת תְּחוּמִים *terminorum* utriqe certorum *fixione,* qibus sibi invicem succederent, uti Salomon Jajrus. Syntaxin qod attinet, observat hìc Esdraides, *separationem* rerum Hebræis ritu triplici designari; qandoqe בֵּין *inter,* cui ל *ad* respondeat; sicut istic Vers.6. מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם *separans inter aqas ad aqas.* pro eo qod est, *inter aqas & aqas,* uti Tigurina; sive, *aqas ab aqis,* uti vulgata versio reddidit. ita, בֵּין קֹדֶשׁ לְחֹל *inter sacrum ad profanum.* Ezek. c.22,v.26. & c.42. v.20. & c.44. v.23. qandoqe, ídqe creberrimè, בין gemino adhibito; qo modo hoc ipso in loco; & rursus vers.7. בֵּין הַמַּיִם וּבֵין הַמָּיִם *Et separavit inter aqas has qa sunt infra expansum, & inter aqas illas qa sunt supra expansum.* i. has ab illis. qibus gemina occurrunt Cap.9. v.13. & c.10. v.12. & c.13. v.7,8. & c.16. v.5, 14. & c.17. v.2,7, 10,11. & c.32. v.16. & alibi passim. aliqando deniqe particulâ בֵּין unâ cum ל præfixo, iteratâ; qo modo legitur Esajæ c.59.v.2. qo separatio utiqe ac distantia à se invicem dissitorum qàm longissimè facta designaretur, בֵּינֵיכֶם לְבֵין אֱלֹהֵיכֶם *iniqitates vestræ separationem fecerunt inter vos & ad inter Deum vestrum.* h.e. vos Deúmqe vestrum à se invicem qàm longissimè separarunt. Pleonasmum hunc Græcus interpres istic retinuit, & sic expressit, Καὶ διεχώρισεν ὁ θεὸς ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους. Sed nec Latinis insolens prorsus est istiusmodi redundantia. Sic enim Livius *lib.22. Romæ juris dicundi urbana sors Pomponio, inter cives Romanos & inter peregrinos P. Furio Philo, evenit.* et Flaccus *sermon.lib.1. sat.7.* ——— *inter*

Hectora Priamiden, animosum atqe inter Achillem
Ira fuit capitalis ———

Huic affinis & pleonasmus ille alter, qi in hoc Capite sæpiùs occurrit Versu 5,8, 13,19,23,31. Versu 5. וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד qod Græci ἀυτολεξεὶ reddidere, Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα μία. Sed μία, sive, una, illis, opinor,

opinor, ἀντὶ τ῀ πρώτη *prima*. ſicut, μία Σαββάτων, Matth.c.28. v.1. eſt *primus hebdomadis*. ſed &, uti pleriſqe viſum, ad Cor.ep.1. c.16.v.2. ubi tamen vir acris judicii Thomas Mortonus noſter, in ſuccincto ſuo illo, ſed ſenſuum prægnante ad Epiſtolam illam commentario, reclamat; & diſqiſitionem ſanè ulteriorem poſcere locus ille videtur. Verùm ad Moſen redeamus. apud hunc יום אֶחָד non eſt aliud qàm יום ראשון *dies primus*: qemadmodum, יום אחד *dies primus menſis* (uti orbis iſtic) Ezr.c.10.v.16,17. & Nehem.c.8.v.2. clarè docet *ſecundi, tertii*, & reliqorum cujuſqe ordine ſuo deinceps diſertè facta mentio. Ut inanis planè ſit illa Jajri argutia, qâ *diem* hunc non *primum*, ſed *unum* dictum vult, qia angelis utiqe, qos die ſecundo vult creatos, nondum exiſtentibus, Deus tunc יְחִיד *ſolus*, ſive *ſolitarius* fuerit. Satis notum eſt Hebræos numerorum nomina *cardinalia* qæ appellant *ordinalium* vice freqentiſſimè uſurpare. Verùm de numerali vocabulo ſive hoc, ſive illud ſtatuere libuerit, ſyntaxis in ſingulis eſt pleonaſtica; *Et fuit veſpera, & fuit mane, dies primus, & dies ſecundus*, & ſic deinceps. h.e. ita veſpertinum tempus & matutinum (ſive ab initio utriuſqe *nox* & *dies* ſic Ζωικλοχικῶς deſignata, τὸ νυχθήμερον, ad Cor.ep.2. c.11.v.25.)diem primum conſtituebant. At Junius vult nomina priora illa cum noviſſimo in rectionis ſtructurâ committi, qum vertit, retento pleonaſmo Hebraico, *Sic fuit veſpera, & fuit mane diei primi*. Picherellus etiam, ſed omiſſâ redundantiâ illâ, *Atqe ita primi veſpertinum diei & matutinum extiterunt*. qanqam monet idem verti poſſe, *Atqe ita veſpertino conſtans & matutino extitit primus dies*. Atqe hoqmodo reddidit Vulgata verſio, *Factumqe eſt veſpere & mane dies unus*. et Tigurinus, *Fuitqe veſpere & mane dies unus*. Eò concedit & à Junio hîc diſcedens Piſcator. qod & ex accentu ſive pavſâ *tiphcha* præcedente confirmat. vertit itaqe, *Atqe ita fuit veſpera et mane dies primus*. per *appoſitionem*, inqit ille. per *prædicationem*, malim ego, alterius utiqe de altero. *Veſpertinum & matutinum fuerunt dies primus*. h. e. diem primum conſtituebant. qemadmodum Jer. c.7. v. 4. הֵיכַל יְהוָה הֵמָּה ubi pavſa eadem. *Jovæ Templum*, ſive *Palatium, ſunt iſta*. Et Matth.c.19. v.8. οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. Vir & uxor *ſunt una caro*.

Sed

Sed & Joan. c. 10. v. 30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. *Ego & Pater unum sumus.* Idémque ep. 1. c. 5. v. 7. ὅτι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι. *Tres hi unum sunt.* Verùm pleonasmum quod attinet, ejusdem esse commatis existimem illud Evangelistæ ejusdem Evangelii cap. 10. v. 18. in verbis illis, Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. *Potestatem habeo animam meam ponere; & potestatem habeo eam rursus sumere.* hoc est, potestatem habeo, animam meam, ubi posuerim, resumendi.

De *die secundo*, qi versû 8. concluſus videtur, qæritur, cur celebre illud epiphonema, approbationis divinæ testimonium, *Et vidit Deus bonum esse*, quod est die illo factum, non sit cum reliqis diebus consecutus. qanqam Græca editio, qæ τὴν δευτέραν titulum præfert, etiam hîc contextui, sed citra paginæ Hebraicæ avtoritatem, inseruerit, Καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν. Mitto in Sapientum allegorica; ad qæ Majmonides nos amandat; avt in ea etiam qæ ipse proponit ænigmata, quibus τῷ ἐντῷ fidem derogat, altiùs inqirere. mitto & Hieronymi de re conjugali, cui ille passim iniqior, nugamenta; aliorúmque Pythagoricis de numeris superstitiosis subtilitatibus addictorum futiles putidásque ratiunculas. Ratio, Jajrus qam reddit, nec plerisque improbatur, hæc est; benedictionem, sive approbationis divinæ elogium, de diei secundi opere suspensum fuisse, & ad diem tertium dilatum, eò quòd aqarum constitutio die secundo inchoata tantùm, non & consummata fuerit, nihil avtem, donec perfectè consummatum fuerit, in plenitudine ac bonitate suâ existat: proinde ad diei tertii opera elogium geminum dari, alterum ad opus de aqâ die secundo inchoatum, sed tertio absolutum vers. 10. alterum de opere diei tertii peculiari, stirpium nempe atqe herbarum productione. vers. 12. Verùm Vir Cl. Petrus Picherellus aliam nodi istius solvendi rationem init. Existimat ille intra diem secundum, non avtem tertio, peractum, quod Vers. 9. ac 10. factum narratur. Itaqe illud וַיֹּאמֶר Vers. 9. συναγέσθων reddit, *Sed tamen postqam Deus dixisset, in unum congregarent se locum, qa sub extento erant aqæ, & siccum appareret; sicqe extitisset: & siccum illud appellasset Deus Terram, aqarum verò congregationem Mare. Prævidérat avtem illud fore bonum.* Ad paraphrasin adnotat: In Hebræo, *Et dixit Deus.*

quod

qod per pluſqām perfectum interpretor. qo modo & initio Cap.12. collatione factâ cum fine Capitis prægreſſi, & cum Stephani verbis, Act.c.7.v.2,3,4. neceſſariò ſumendum liqidò patebit. Nec reverâ aliter eo loci Junius etiam וַיֹּאמֶר reddidit, *Dixerat enim Jehovah Abramo.* Nec diffitetur Vir Cl. pleroſque diei tertio hæc attribuere. ſe verò cum doctiſſimis qibuſdam & Rabbinis & Chriſtianis diei ſecundo aſſignare; ne ſecundus elogio ſuo deſtituatur, qod reliqis qibuſqe conſtanter aſſcribitur. Ejuſmodi avtem hyſteroſes monet reperiri & hoc ipſo in Capite, de qo deinceps videbitur, & in proximo aliqoties. Habétqe reverâ hac in parte conſentientem ſibi Abraham Eſdraidem. Iſtud, inqit hic, וַיֹּאמֶר *Et dixit*, cohæret cum ſuperioribus. neqe enim factum eſt expanſum anteqam terra ſiccaretur. terram avtem cœlúmqe uno eodémqe die condita fuiſſe probatum it, ex Cap.2. v.4. ubi dicitur, *die, qo terram & cœlum fecit Deus.* de qo loco non ſemel, cum iſtic, tum & alibi, diſſeruimus. nec eſt, inqit, *creatio* propriè loqendo, avt rei abſconditæ, ac deliteſcentis, qæ jam actu exiſtit, in apertum ſive in conſpectum productio, avt rei diffuſæ ac diſperſæ in locum unum aliqem congregatio, & intra limites terminóſqe certos coercitio; qorum illud *terra, aqis* iſtud factum hoc loco narratur. in qam mentem & de *expanſo* Jajrus vult intelligi qod eſt dictum, *Et fecit Deus expanſum*, non de creatione utiqe, ſed de ſitu ac conſtitutione; qo modo verbum עָשָׂה ſive *facere* uſurpatur in lege illâ Devt. c.21.v.12. *et faciet ungves*, de qo loco cum Reg.l.2.c.19.v.24. collato alibi qoqe egimus. Sed eò tandem devenit Abrahas, ut concludat, verborum iſtorum, וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים hanc eſſe mentem, וְכֵן אָמַר אֱלֹהִים *Ante avtem dixerat Deus, Congregentur aqæ in unum locum.* qod Junius (obiter monitum eſto) *rectâ confluant & collineent*, exponit. tanqam à קָוָה lineâ voce deductâ. et de *aqis* duntaxat uſurpari affirmat. in qo eum caſtigat Piſcator, allato ex Jer. c.3. v.17. qem eundem lavdat & Eſdraides, qo *congregandi* notionem vocabulo ſubeſſe confirmet. ubi de populis Hieroſolymis congregatis, ſive convenientibus, uſurpatur. Verùm nihil obſtat, qo minùs eo loci qoqe, *confluent*, commodè ſatis reddatur; metaphorâ ab *aqis confluentibus* ductâ. qo mo-

do in loco huic gemino Eſajæ c.2.v.2. verbum עוד indidem traductum de populis eiſdem uſurpatur. Verùm in tranſitu iſtud. Certè avtem Judæi Magiſtri, *Ante dixit*, & Viri doctiſſimi, *Poſtqam dixerat*, eôdem prorſus recidunt. Geminum avtem eſt huic utrique illud Reg.l.2. c.19.v.24. de Mephiboſhetho, ולא עשה רגליו ולא עשה שפמו *& non fecit pedes ſuos, & non fecit myſtacem ſuam.* h.e. nec pedes, nec barbam ſibi hactenus curaverat. Sed ne longiùs abeamus; expoſitioni huic ſuæ ſtatuminandæ ex Capite proximo duo loca depromit Vir doctiſſ. qæ iſti paria eſſe cenſet : alterum ex Verſ.8. & 9. *Et collocavit ibi hominem qem finxerat. et fecit ut è terrâ progerminaret arbor qævis.* hoc eſt, *Ante avtem fecerat, ut è terra progerminaret arbor qalibet.* nam ante hominem conditum è terrâ Deus ſtirpes qaſqe produxérat. Alterum ſuggerit ex Verſ.17. ubi poſt interdictum fructus arboris ſcientiæ boni ac mali eſum, dicitur, *Et formavit Deus è terrâ beſtias agri univerſas.* h. e. *antè formaverat.* nam animantia itidem qæqe ante conditum, nedum in horto collocatum, hominem, condita fuerant.

Verùm locus ille tertius, ad qem digitum Vir doctiſſ. intendit, ex hoc ipſo Capite depromptus, eſt ampliore aliqâ diſqiſitione non indignus. Habetur ver.24. ubi Vir Cl. eandem qam iſtic, hyſteroſin exiſtimat deprehendi. Proinde qomodo hîc, perinde & illic, Moſis verba ſic ἐξηγέζεται; *Sed poſtqam tamen etiam Deus dixiſſet, Terra animantia juxta eorum ſpecies produceret ; nimirum jumenta, reptilia, & feras ; sicqe extitiſſet. Feras enim ſecundum ſpecies ſuas, jumenta juxta ſuas ſpecies, Et omnia ſuper terram reptantia juxta etiam ſuas ſpecies ficerat Deus. qum hoc qoqe bonum fore prævidiſſet.* Ita animantium terreſtrium productionem, ad diem qintum, à ſexto revulſam, retrahit. Rationes avtem, qibus ſententiam ſuam hanc firmatum it, duas ſubjungit. Primò, qòd cum uno eodémqe, tertio nempe, die, herbas & arbores qaſqe vegetativâ præditas animâ, Deus è terrâ creaverit; par eſſe, ut animâ prædita ſentiente, volatilia & animantia terreſtria qæqe, uno eodémqe die, qinto nimirum, ex terrâ qoqe fecerit. nam volucres qoqe ex terrâ Deum feciſſe, conſtare ex Cap.2. v.19. Deinde Adamum plaſma tam nobile, & cum eo Evam,

dignos

dignos fuiſſe, qibus & eis qæ eos contingebant, creandis, ſuus daretur ſeorſim dies: ut, ſicut qibus vegetans erat anima, unus; qibus anima ſentiens, item unus; ſic, qin potiùs, qibus anima rationalis, ſuus itidem impenderetur dies. Deniqe inde fumi poſſe argumentum, animantia terreſtria die qinto, non ſexto, condita; cum enim propagationis beneficio nevtiqam deſtituantur, meliore multo ratione ſub benedictione aqatilibus, unâ cum volatilibus collatâ, communi comprehendatur; Verſ. 22. qam ſub peculiari illâ unâ cum dominatu in creaturas reliqas, in hominem collatâ contineretur, Verſ. 24. illa avtem qum die qinto, hæc ſexto ſit data; illo itaqe die, non iſto creata, ad qæ benedictio die illo edita pertineat. Hæc ille. de qibus ſententiam ferant eruditi, qibus ego illa ideo diſpicienda propoſui; qia hæc Viri doctiſſimi reliqa ſcripta in pavcorum manibus haberi exiſtimem.

Ita avtem ὁ μαγειρος ille ſuam τῆ κοσμοποιΐᾳ Moſaicæ paraphraſin inſtituit, ut qæ de eadem diſtinctiùs latiúſqe explicata Capite ſecundo denarrantur, intra primi terminos per dies ſingulos, pro eo qo ſunt condita ordine, ſub contextu uno, qaſi filo perpetim producto, digeſta exhibuerit. Proinde ſtirpium producendi rationem, & paradiſi qem appellant plantationem, ad diem tertium revocavit, ejuſdémqe inter opera recenſuit. Qod etiamſi veritati conſentaneum omninò videatur: qum intra dies ſex opera, qæ fecerat, univerſa confeciſſe Deum ac conſummaſſe planè, Moſes ipſe atteſtetur; ubi Caput ſecundum (cujus tamen Verſus tres primordiales, non ſine ratione probabili, primo adtexunt nonnulli) ad ſexti diei exitum, verbis hiſce orditur, *Et*, ſive, *Ita, conſummata ſunt cœlum & terra, cum totâ eorundem inſtructurâ. conſummaverat enim die ſeptimo opus ſuum, qod fecerat; qievitqe die ſeptimo ab omni opere qod fecit.* habet tamen hac in re V. Cl. ſibi adverſantes havd pavcos; illos cumprimis, qi nolunt ea qæ Verſ. 5, 6. de ſtirpibus herbiſqe è terrâ productis in diei tertii operibus haberi. In his eſt Salomon Jajrus, qi plantas ait ſtirpéſqe tertio qidem die fuiſſe creatas, ſed פֶּתַח קִרְקַע ad *ſoli oſtium*, ſive ſuperficiem ſummam, conſtitiſſe, donec Adam eſſet conditus, qi cum imbrium utilitatem, & ad ſatorum productionem neceſſitatem intelli-

geret, pluviam eſt prece ſupplici à Deo conſecutus, qâ tellure jam irrigatâ, ex qæ nondum ſeſe altiùs extulerant, ad perfectionem juſtam perductæ ſint. Idem ex R. Ame, in *Gemarâ Holin* refert Manaſſes Iſraelides, in *Conciliatore ad Geneſ. qæſt.* 3. Qò pertinet, & qam eodem loci, ex Iſaako Aramâ refert, fabula, *Vaporem*, qem Moſes, cum aſcendiſſet, dixerit terræ totius ſuperficiem irrigaſſe; aerem utiqe fuiſſe humidum igneâ vi ſolis ſurſum evectum, qo in aqam reſoluto cum terra irrigaretur, omnia ſimul concurrerent elementa, ignis, aer, aqa, terra, ad argillam illam conficiendam, ex qâ corpus Adæ conderetur. Totâ mirum nî telluris univerſæ ſuperficie irrigatâ & maceratâ opus erat, ad hominis unius, havd giganteæ (opinor) molis, (licet & hoc illi, uti pòſt videbitur, fabulentur) corpuſculum conſtituendum. At Moſes Majmonides, ex Sapientum ſcitis, concedit qidem & ipſe, herbas Deum arboréſqe è terrâ non antè produxiſſe, qàm pluviâ demiſſâ irrigaverat: proinde id qod dicitur, *Et vapor aſcendit*, qod Onkelos *nubem* reddidit, narrationem eſſe rei antegreſſæ illud Dei edictum, *Producat terra herbam.* Cap. 1. v. 11. ídqe ex hoc ipſo loco liqidò patere affirmat, ubi dictum ſit, *Et omne virgultum nondum erat in terrâ.* Subjungit, qod illorum commentum peſſundat prorſus, pro recepto apud Sapientes ſuos axiomate haberi, Univerſa à Deo primitùs creata, בְּקוֹמָתָן בְּיִצִּירָתָן בְּצִבְיוֹנָן *in ſtaturâ ſuâ, in ſcientiâ ſuâ, in decore ſuo.* h.e. in qantitate, formâ, ſpecie perfectiſſimâ & elegantiſſimâ. qod de ſtirpibus dici non poterat, niſi ſi & ipſo creationis ſuæ die & altitudinem juſtam attigiſſent, & frondibus, fructibúſqe etiam, qæ fructum facere natæ erant, exornatæ fuiſſent. Qàm avtem abſurdum eſt & à ratione omni alienum, opinari, vel terram, qæ ex aqis, qibus immerſa penitùs antè jacuerat, per diem unum duntaxat, nec integrum forſitan, recens emerſerat, aqâ cœlitùs demiſſâ opus habuiſſe, qò limus madidus ſtirpibus producendis neceſſarius haberetur; vel hominem tam ſtupidum initio conditum, ut intra dieculæ, nec hujus integræ ſpatiolum, pluviæ imbriúmve vi ac virtute fieri poſſe ſperaret, futurúmqe expectaret, ut ſtirpes nondum è terrâ prominentes proceritatem juſtam aſſeqerentur, & fructus etiam omne genus proferrent. Nam qod

Conci-

Conciliator de Moſe utroqe, Majmonide & Nachmanide, & Iſaako etiam Abarbenele refert, exiſtimaſſe hos, ſtirpes qis dem qaſvis die tertio creatas, nec creviſſe tamen, nec ſpecie ullas produxiſſe ante diem ſextum : de hoc apud Majmonidem nihil qicqam ultra id qod ſuperiùs eſt indicatum reperio. Et certè niſi *creſcendi* verbum in *propagationis* notione ſumatur, prout Cap.1.v.22.28. qod eſt iſtic δυνατὸν, repugnantia planè & ἀδύνατον loqeretur. De Nachmanide & Abarbenele, cum horum in Moſen commentarios non habeam, non habeo qod dicam. Abarbanelis tamen verba, qæ recitat Manaſſes ipſe, aliò ſpectare videntur, prout & ab ipſo explicantur, nihil horum utiqe generatione naturali proveniſſe, cum & pluviæ deeſſent, & homo qi terram coleret. id qod eſt omnium veriſſimum, Moſiſqe cum verbis, tum & ſcopo, qem collimat, propoſito cumprimis conſentaneum.

Sed in textum Moſaicum, cum locus inſignis ſit, altiùs inqirere operæ pretium (opinor) fuerit : Huic explicando primo loco obſervatu dignum eſt, qod Jajrus ſuggerit, omne טֶרֶם in paginâ ſacrâ עֹד לֹא h.e. *adhuc non*, ſive *nondum* ſonanare, non avtem קֹדֶם i.e. *ante*, ſive, *anteqam*. qanqam & iſtic & alibi ſæpe, ſive hoc, ſive illo modo reddatur, parum avt nihil omninò intererit. Verùm id eò magis advertendum, qia minùs animadverſum interpretes, tam Judæos qàm noſtros, inſigniores etiam, havd mediocriter torſit, in Moſis verbis exponendis Exo.c.9.v.30. & c.10.v.7. qorum interpretationes parum commodas, abſonas etiam nonnullas, coactiores pleraſqe, apud avtores ipſos videndas & cenſendas aliis dimitto. Jajri dictatum hoc fuſiùs proſeqitur in *animadverſ. poſtum.* Vir Cl. Lud. Dievſius, & hanc eſſe primariam ac nativam particulæ notionem, allatis compluribus, qibus id evincatur, exemplis firmatum it. Et verſioni tamen Junianæ, qi *nondum* reddidit, Vulgatam præfert, qæ Græcam πρὸ secuta, *anteqam* exhibet. Verùm qâ ratione *anteqam*, vel *priuſqam* verti poſſit, ex aliâ Hebrææ dictionis peculiari ſtructurâ oſtendit evenire. cui adjicere licet, qod huic loco convenit, *bet* particulam, qæ qandoqe exprimitur, nonnunqam ſubavdiri, ut ſit טֶרֶם *nondum*, pro בְּטֶרֶם *in nondum*, ſive, *qum nondum*, ſive, *qum adhuc non* : qod idem prorſus cum *anteqam*

avt *priusqam* valet. hoc avtem admisso, syntaxi peculiari illâ nihil omninò opus fuerit. ita cum *bet* reperitur Gen. c.37. v.18. Lev.c.14.v.39. Reg.l.1. c.2. v.15. Hagg.c.2.v.16. fine *bet* avtem Gen. c.16. v.4. טֶרֶם יִשְׁכַּב *antequam cubitum iſſent.* Hymn.119.v.67. טֶרֶם אֶעֱנֶה *cum nondum*, ſive, *antequam*, vel *priusquam, affligerer.* et hoc loco pariter טֶרֶם וְיִוָּרֵא *qum nondum*, ſive, *antequam, eſſet.* At Juniana reverâ & verſio & expoſitio aliâ ratione coactior utraqe videtur, Vertit, *Et omnem ſtirpem agri*, qi *nondum fuiſſet futurus in terrâ, & omnem herbam agri*, qæ *nondum fuiſſet oritura*, h.e. uti ſe ipſe explicat, *qamvis juſtiſſimis naturæ temporibus deſcendiſſent pluviæ, vapores aſcendiſſent, culturam homines adhibuiſſent, Sol calefeciſſet, Luna humectaviſſet, aer perſpiraviſſet, cætera denique omnia unâ operam ſuam contuliſſent; fruſtrâ fuiſſent omnia, niſi Deus creaviſſet ſtirpes verbo potente ſuo, & adhuc eâdem ſuâ vi recrearet foverétqe, non has ſolùm formas, ſed etiam apta his continendis & propagandis media.* Sed & apertiùs pavlò adhuc in ~~vernaculâ~~ *nondum* iſtic ad illud tempus refert, in qo Moſes iſta ſcripto conſignavit. qod omninò nihil eſt neceſſe; nec ad illud pertinet, qod hîc Moſes ſibi propoſuerat, prout ipſe etiam illud ipſum definivit, nempe, *illuſtriſſimum extitiſſe in creandis iſtis divinæ potentiæ teſtimonium: non enim provenire ſolent illæ, niſi & irrigantes pluviæ, & humana cultura, & humectantes vapores acceſſerint. hæc avtem omnia diſertè Moſes, ante procreationem ſtirpium etiam inſativorum negat extitiſſe; ut ſolo Dei potente verbo prognatos fuiſſe agnoſcamus.* Nec qicqam certè ampliùs exhibent contextus verba, qæ ſic habent, *Iſti ſunt natales cœli & terræ, cum creabantur illa; in die facere* יהוה *Deum* (i.e. qo tempore faciebat) *terram & cœlum; & ſtirpem agri omnem, qum nondum eſſet in terrâ, & herbam qamqe, qum nondum germinaſſet.* ita reddo ſimpliciter, prout in ſuperiùs adductis. qod ſive, *qum nondum*, ſive, *antequam*, reddideris, eôdem deveniet, idqe temporis ſpatium duntaxat deſignabitur, qod ſtirpium herbarumqe die tertio productionem præceſſerat, Dei ſolius nutu ſive ſermone mero peractam, abſqe aliis ullis adminiculis; de qorum ex ordine in rerum naturæ divinitùs fixo, uſu in futurum ordinario, vel vi etiam divinâ, citra qam nihil valeant,

ant, jugiter adſiſtente, nihil in verbis hiſce Moſes, niſi qod aliunde per vim apertam contextui infercitur.

Verùm Vir doctiſſ. qi & Junianam, & Vulgatam etiam, licet Junianæ prælatam, (in qo ſaltem illi volens aſſentior) repudiat, qo ipſe modo verti velit, videamus. Verſionem geminam proponit. et de utrâqe videbitur. Prior ſic habet; ut, *Vav*, à qo Verſus qintus orditur, otietur, *Illa ſunt generationes cœli ac terræ, qum crearentur illa, qo die faciebat Dominus Deus cœlum & terram, antequam ullum virgultum eſſet in terrâ & antequm herba agri nlla germinabat, qia &c.* Alteram ſic inſtituit, ut מֻרָם per *nondum*, qomodo Jonathæ עַד לָא כְדוֹ i.e. *hactenus non*, (in edit. Buxtorf. עַד לָא tantùm) exprimatur; *vav* avtem, non pro copulativo; ſed pro retributivo ad בְּהִבָּרְאָם habeatur, & Latinè vel abundet; vel per *tum* vertatur, ut Cap. 3. v. 5. *Illa ſunt generationes cœli & terræ.* (h.e. Hujuſmodi fuit ratio productionis rerum qalis jam ſeqitur) *Qum crearentur illa, & qo die faciebat Dominus Deus cœlum & terram, nlla ſtirps agri nondum erat in terrâ, & nlla herba agri nondum germinabat; qia non pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat ad colendum terram; ſed vapor aſcendebat à terrâ, & irrigabat totam ſuperficiem terræ.* Iſtæ verò verſiones ambæ mihi certè multo minùs arridenr, qàm avt Juniana, avt Vulgata, qæ maximâ ex parte eſt probabatis. Mitto, qod אֵלֶּה *Illæ* vertat. etiamſi enim ſono ita prope conveniant אֵלֶּה &, *Illæ*: ut alterum ab altero profluxiſſe videatur. qod tamen ſecùs eſt. cum ab *is, ille*, (qod Jul. Scaliger in *Cavſſ. Ling. Lat.* havd ſemel monuit) derivatum ſit. qo modo & *idem*, & *iſte*, & *ipſe*; *le* avtem ſyllabica tantùm adjectio exiſtat, ſicut in iſtis *dem, te*, & *pſe*. at אֵלֶּה non *illi*, avt *illæ*, ſed *hi* & *hæ*, ſive *iſti*, & *iſtæ*, ſignificat. ut in אֵלֶּה שְׁמוֹת unde Exodus orditur, & Hebræis nuncupatur, *Iſtæ*, non *illæ*, ſunt *nomina*. itaqe in Paraphraſi Vir doctiſſ. non *Ejuſmodi*, avt *Illinſmodi*, ſed, *Hujuſmodi*, ipſe dixit. Mitto & qod verba Moſis in verſione utrâqe invertit, *cœlum & terram*, in commatii primi membro noviſſimo, ponendo, cum *terram* Moſes in eâ clavſulâ *cœlo* præpoſuerit. de qo multa curioſius argutantur & Judæi & noſtri, qibus avt diſcutiendis avt recitandis etiam impræſentiarum

ſuper-

ſuperſedeo. Iſta mitto leviuſcula. At duo ſunt præcipuè, qæ in iſtis minùs poſſum probare. Alterum eſt, qòd ſyntaxi planâ & familiari repudiatâ, novam inducit Spiritus Sancti propoſito minùs convenientem. Qale enim, qæſo, eſt iſtud dicere? avt qorſum diceretur, *ante cælum & terram condita, nec ſtirpem ullam, nec herbam ullam extitiſſe?* Ecqis enim ſuſpicari poſſet, herbàm ſtirpémve ullam exiſtere, ubi fundus unde oriatur, nullus extat? Niſi ſiqis fabulam Ariſtophaneam pro hiſtoriâ habuerit, de *alavdis* terrâ antiqioribus, qarum parens cum expiraſſet, necdum tellus eſſet, in qâ ſepeliretur, proles in capite ſuo parenti ſepulcrum defoderit, unde ἐπιτυμβίδιοι poſteà illæ ſint nuncupatæ: qod in qibuſdam (nec immeritò) ridet ſimul & flagellat Hejnſius *Theocritic. lect. c.* 27. avt qorſum *cælum & terram* condita perhiberet ante ſtirpem herbámve ullam exortam; qaſi iſtæ ad cœli terræve fabricam extruendam conducere aliqid, ſi extiterant, potuiſſent? niſi ſi *cœli tabulata, & cœnacula* Enniana cum *ſcalis & pergulis*, uti de Valentinianis Tertullianus, comminiſci placuerit, qibus excitandis è ſylvis & nemoribus materies neceſſaria fuerit. Alterum, qod minùs probem, eſt, qod ideò ſtirpes nondum extitiſſe dicat, qia pluvia nondum extiterat, nec homo qi terram coleret, ſed vapor tantùm aſcendebat, qi terram irrigarit, & plantas illas in paradiſo produxerit. qaſi verò avt citra pluviæ adjumentum hominiſve operam non potuerit Deus ſtirpes qaſlibet producere; avt ſine illis, ſi rei ipſius naturam intueamur, vapor ſolus hiſce non producendis, ſed ad perfectionem ſummam uno qaſi momento perducendis ſufficeret. Siqidem ex dictione Moſaicâ ſic conceptâ hoc inſinuaretur, potuiſſe illa exiſtere, ſi pluvia juſta unâ cum hominis culturâ adfuiſſet; et vaporem ſolum, cum deeſſet utrumqe, utriuſqe potuiſſe defectum ſupplere. Qin & ſi ideò iſta nondum exiſtebant, qia nec pluvia, nec agricola aliqis adhuc extaret, & tam hominis tellurem colentis opera, qàm & pluviæ eandem humectantis tempeſtiva deſcenſio, ad iſta producenda neceſſariò exigebatur, unde factum eſt, ut *vapor*, qi pluviæ ſolius vicem ſupplebat, totum hoc præſtiterit, cum nihil interim præſtò eſſet, qod hominis miniſterio reſponderet?

Sed

Sed nec in his Viro doctiſſ. poſſum aſſentiri; primò qòd ad hortum in Edene conſitum periochen hanc refert. in qo forſan tamen Græcos potuerit conſentientes habere, qi אֵד Verſ.6. qod vaporem ſignificat, πηγὴν *fontem* reddiderunt, qaſi *fontis* nomine deſignetur fluvius ille, qi hortum illum irrigaſſe fertur, Verſ.10. Verba enim ambitus latioris eſſe multo videntur, & de terræ totius tam inſtructurâ, qàm & irrigatione agere. Altero, qòd illa, אֵלֶּה תוֹלְדוֹת *iſtæ*, potiùs qàm, *Illæ, generationes ſunt*, vel, *fuerunt*, etiam, &c. non vult cum Jajro aliiſqe pleriſqe, ad ſuperiora, qæ ſunt capite antegreſſo deſignata, ſpectare; ſed ad ſeqentia referri, qibus ratio modúſqe productionis rerum qarundam repetitur pleniúſqe explicatur; ad qod conficiendum, in novas denuò formas Moſis verba refingit. etiamſi enim de plantis productis, homine creato, horto inſtructo, muliere conditâ, fuſiùs pavlò qædam iſtic enarrantur, qæ ſunt ſtrictim duntaxat ſuperiùs relata; at de *cœlo terrâqe* ipſis conditis, nihil ampliùs hîc dicitur, qàm in Capitis præcedentis exordio ipſo priùs fuerat dictum. Qin &, etiamſi hoc illi concederetur, non tamen evinceret, non fuiſſe intra dies ſex illos Capite præcedente recenſitos condita, qæcunqe Capite iſto narrantur, niſi ſi mulieris creationem extra limites illos protollere libuerit, qod *maris & fœminæ* Cap.1. v.27. mentio facta planiſſimè refellit. Nam qæ Vir doctiſſ. de vocabulis hîc uſurpatis argutatur; שִׂיחַ qòd *virgultum* ſignificet, i.e. *virgarum multitudinem ex præcedaneâ radice, ut eloqium & ſermo*; qòd & שִׂיחַ ſignificet, *ex conceptibus pullulantium*. שָׂדֶה qòd non abſolutè *terram*, ſed *terram cultam, & ſive ſatis, ſive pecorum paſtui adaptatam* denotet. צָמַח deniqe, qòd *germinare, pullulare* ſignificet: itaqe *de ſurculis & ſtolonibus dici, qi ex præcedanteſemine ac radice exurgunt. tale autem nihil fuiſſe in primâ creatione, ad qæ pluvia & cultura reqiruntur*: ſed herbas & arbores, de qibus Cap.1. *non ex ſemine ac radicibus pullulaſſe, ſed ipſaſmet fuiſſe prima omnium plantarum ſemina & radices. itaqe nullum horum vocabulorum Cap.1. extare*. Hæc, inqam, omnia, ſunt meræ ſubtilitares, Chryſippeis non abſimiles, qas *retundi* facilè atqe *in ſe replicari* affirmat Seneca. et qidem qod de *ariſtâ* ille, uti *nihil acutius, ita*

fragilius nihil. Nam primò latiore notione, qàm eâ ad qam Vir Cl. hîc adſtringere conniti tur, ſumi vocabula iſta, clarum eſt ſatis. צָמַח in genere pro *produci* ſive *prodire* uſurpatur. Eſaj. c.42. v.9. etiamſi ad ea plerumqe accommodatur, qæ ratione naturali jam proveniunt, qia de eis ſolis plerunqe ſermo habetur. qod idem & de הוֹצִיא *producere*, qod Cap.1.v.12. uſurpatur, dici poteſt; & de יָצַח *germinare*, qod ibid. verſ.11. habetur, & niſi Joel.c.2.v.22. nuſqam alibi reperitur. Sed & שִׂיחַ laxiùs ſumi patet. idqe hoc ipſo in Capite v.19,20 niſi *feras agreſtes*, qæ à *pecudibus* ibi diſtinguuntur, vel à Deo conditas, vel ad Adam adductas negaverimus. et Cap.3.v.1. niſi ſi ſerpentes eis accenſere voluerimus, qæ niſi in locis cultis non agunt. Et עֵשֶׂב *herba*, qæ iſtic habetur, etiam Cap.1.v.12. deprehenditur; & junctim cum eâdem unâ עֵץ qod *ſtirpem* omnem, ſive *arborem*, ſive *fruticem*, comprehendit. nec, ſi eam qam dat Vir doctiſſ. שִׂיחַ notationem admittimus, *arbores* ſine *virgis* conditas qiſqam facilè conceſſerit, eas ſaltem harum ſpecies, qæ fruticare aptæ natæ ſuâpte ſunt. et שִׂיחַ cum pro *frutice*, ſive *arbuſculâ* plerumqe ſumatur, ut Job.c.30.v.4. & ibidem rurſus v.7. qod & hîc uſurpatum eò magis videtur, qò ſignificaretur ne *fruticem* qidem avt ſuffruticem, nedum arborem proceram aliqam extitiſſe, cum Deus arbores creandi opus aggrediebatur. qâ ratione & à Jobo c.12.v.8. vocem hanc cum Moſe Nachmanide & Abrahâ Peritſolide ex Pagnini fide, adhibitam exiſtimo. Ubi hæc habet, *Interroga jumenta, & docebit te* horum qodqe; *avt volucrem cæli, & indicabit tibi; avt* שִׂיחַ לָאָרֶץ *fruticem terræ*, (ut מִזְמוֹר לְדָוִד *Pſalmus Davidis*) *& docebit te; etiam piſces maris, & enarrabunt tibi.* Ut hæc Jobi mens ſit, nullum eſſe tam vilem, & nihili habitum fruticem, avt ſuffruticem, qi non vim virtutémqe divinam deprædicet: juxta vulgare illud,

Præſentémqe refert qalibet herba Deum.

Pagninus, *virgultum terræ*, reddidit; Oecolampadius, *fruticem*; & in metaphraſi, *ex arbuſculis*, earúmqe *minimis*, Dei conditoris ſapientiam imperveſtigabilem deprehendi. certè niſi ſic ſumimus, licet pleriqe aliò abeant, nihil fuerit, qod jumentis terreſtribus, volucribus aeriis, piſcibus marinis, com-

commodè ſatis reſpondeat. Qin & eodem fine, cum שִׂיחַ הַשָּׂדֶה *frutex agri*, tum & עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה *herba agri*, h.e. *agreſtis*, dicitur, ut nec arbuſculam fruticantem herbámve agreſtem, ſive ut Junius loqitur, *inſativam*, nedum ſativam avt hortenſem ullam extitiſſe innuatur, anteqam Deus eas creandi opus inceptaſſet, qas citra ullum adminiculum, qod tum nullum fuerat, adhibitum, nutu ſolo è terrâ produxit. ut omninò, contrà planè qàm vir doctiſſ. cenſet, *ager* iſtic *horto ſepto* atqe concluſo, Cant.c.4.v.12. & c.5.v.1. opponatur, in qo plantæ pretii notæqe qæ ſunt alicujus, ſtudioſe coli conſveverunt. Cæterùm futile nimis eſt argumentum, *herba & arbores qas die tertio Deus creavit, non ex ſemine & radicibus præcedaneis pullularunt, ſed ipſa fuerunt prima omnium plantarum ſemina & radices*: (qod tamen impropriè, ut verum ſit, dictum ſumi oportet) ergò non fuerunt tunc plantæ ipſæ conſummatæ & integræ; qales nunc ex ſemine & radicibus præcedaneis oriuntur. huc enim contendit Viri doctiſſ. diſſertatio. Etenim pari modo argumentari licebit; animantia die qinto, an ſexto creata, non fuerunt ex ſemine præcedaneo procreata, ſed futurorum omnium ſemen in ſe continebant. ergò non fuerunt eo ipſo qo ſunt condita die corporibus organicis integris, avt juſtâ etiam mole ac ſtaturâ præditis conſummata: cujuſmodi ſunt qæ ex ſexus utriuſqe germine nunc non creantur, ſed procreantur & propagantur. de protoplaſtis itidem parentibus noſtris, qorum creatio in priori capite ſtrictim tantùm attingitur, idem indidem concludere licuerit. Scopus eſt Moſis oſtendere, ut cœlum & terram; ita ſtirpes herbáſqe qaſvis ſolo nutu verbóqe divino producta. proinde verbis proximis removet tollítqe adminicula, qorum ope operáve iſtæ hodiè producuntur & propagantur, univerſa. Ego itaqe id qod ſequitur verterim, non, *qia non fecerat*, ſed, *neqe enim fecerat*. (qo modo particula hæc ſumitur Hymn.12.v.1. Eſaj.c.28. v.27. Jer.c.4. v.3. & c.14. v.13. & c.51. v. 5.) ſive, *qum* (prout Hymn.75.v.2. Job.c.3. v.22. & c.5.v.21.) *non feciſſet, Jovas ut ſuper terram plueret*, (neqe enim hoc vult, ideò priùs hæc non extitiſſe, qia adminicula iſtiuſmodi defuerunt, ſed ideò ſolo nutu verbóve condita, qandoqidem iſtiuſmodi nihil ſuppetebat)

nec hòmo ullus eſſet qi tellurem (terræ particulam ullam) *coleret, avt vapor*, ſive, *nec vapor, aſcendiſſet, qi totam terræ ſuperficiem irrigaret*; qæ tota utiqe tunc plantis ſtirpibúſqe eſt inſtructa.

Cæterùm de clavſulâ noviſſimâ iſtâ major adhuc eſt concertatio. אד an אר qid ſignificet, ſtatuere havd eſt adeò difficile. qanqam de vocis origine, qâ *calamitatem cladémqe* plerunqe denotat, havd perinde apud eruditos convenit. qidam hoc à *vapore*, ſive *pluviâ* tractum volunt, qæ fit plantis noxia, cum avt intempeſtiva avt immoderata eis ſupervenit. Job.c.37.v.12. Reg.l.1.c.12.v.17. Paræm.c.26.v.1. ita Mercerus. alii qia ea vox עֲנָן nubem denotat, qo modo & Jonathas iſtic reddidit; dies avtem calamitatis avt cladis, יוֹם עָנָן *dies nubis & caliginis* dicatur, Joel.c.2.v.2. ita Eſdraides. alii, in qibus Avenarius, ab אור volunt deduci. *titionem* id ſignificat, Amos c.4.v.11. Zac.c.3.v.2. qod *fumigare* ſolet, Eſaj.c.7.v.4. itaqe primariò ac propriè *fumum* denotare: qo modo Eſdraides per עָשָׁן iſtic exponit. qanqam avtem *fumus* propriè exhalationem ſicciorem deſignet, qalis à fornace aſcendere ſolet, Gen.c.19.v.28. אד tamen hîc *vaporem* potiùs humidiorem denotat, qod & Camius obſervavit, qalis è lebete ab igne ſubtùs accenſo excitatur, qi ubi in aheni operculum aſcenderit, illinc denuò defluit: qo modo & vapores ab aqis radiorum ſolarium viſurſum attracti, & poſtqam in nubes condenſati fuerint, reſoluti denuò, in terram, à qâ ſublati fuerant, deſcendunt. Hinc Job. c.36.v.27. *extrahit* Deus *ſtillas aqæ* (i.e. aqas attenuatas è mari locíſqe his inferioribus extrahit) *qæ pluviam fundunt ad vaporem ejus*. qo loco optarim Junius, *ad calamitatem*, non vertiſſet. ad hunc explicandum adducit Camius: nec alibi in notione hac votula ea reperitur. Non poſſum avtem hîc ſubticere Plinii illa *lib.31. c.1. Aqæ ſcandunt in ſublime, & cœlum qoqe ſibi vendicant. qid eſſe mirabilius poteſt aqis in cœlo ſtantibus? eædem cadentes omnium terrâ naſcentium cavſſa fiunt. prorſùs mirabili naturâ, ſi qis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticeſqe vivant, in cœlum migrare aqas, animámqe etiam herbis vitalem deferre.* Qanqam vapores qoqe iſti, etiamſi altiùs evecti longiúſve à terrâ ſublati non fuerint, hujus tamen

tamen ſuperficiem nebulâ temiore roſcidóqe madore humectare conſveverunt. Ita Maro, de Mantuâ ſuâ, *Georg. l.* 1.

Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit. Videatur & Judic. c.6. v.38,40.

Sed in primâ particulâ hîc plurimum laboratur. Copulativam plerique diſcretivam avt adverſativam faciunt. itaqe, qo modo & Dievſius, *ſed*, reddunt. Volunt enim, etiamſi non pluvias imbréſve copioſiores, at *vapores* ſaltem fuiſſe herbarum ſtirpiúmqe productioni hîc narratæ præcedaneos. qaſi Deus ſcil. adminiculo ullo in rebus creandis uſus fuerit; vaporum in his, qæ ante luminaria, qorum miniſterio vapores educi conſtat, condita & in cœlo conſtituta, die tertio ſunt productæ. qæ qidem expoſitio narrationis hujus totius ſcopo primario ſuperiùs indicato, ex diametro adverſatur. Proinde, qò contextus ratio rite procedat; duplici modo particula exprimi poterit. Alter eſt, ut copulativa notionem induat disjunctivam. Ita Junius reddidit, *avt vapor aſcendens à terrâ*. h.e. *qalis aſcendere ſolet*. qâ in re Junium caſtigans Piſcator, per, *Sed*, reddi probat magis; *ut ſignificetur*, inqit, *qomodo Deus initio terram humefecerit ad ſtirpes producendas*. id qod eſt hoc loco ἀλλόηριον καὶ ἀλλόκοτον. Copulativam avtem eâ qâ vult hîc Junius notione uſurpari, ſatis eſt familiare. Intendit ille digitum ad Exod. c.21.v.15. cui adjici poſſunt Exo.c.21.v.17. Eſt.c.4.v.11. Nehem.c.5. v.8. Job.c.6. v.22. & c.8.v.3. & alia complura. Modus alter eſt, ut copulativæ notione primariâ retentâ, negativa ἀπὸ κοινοῦ à præcedentibus ſuppleatur. Ea eſt Saadiæ explicatio; *Vav*, pro וְלֹא neqe. ut ſenſus ſit, qomodo Camius in *radicib.* explicat, *In mundi principio, nec hominem fuiſſe, qi ſereret, nec vaporem, qi aſcenderet; ſed Deum ſanctum benedictum omnia creaſſe decreto ſuo mero ea conſtituentem*. Saadiæ interpretationem hanc commemorat tantùm nudéqe proponit Eſdraides: Camius probat, reliqiſqe omnibus his verbis præfert, וְכֵן הוּא וְזֶה הַפֵּרוּשׁ בְּכָל אֲשֶׁר מִפְּנֵיהֶן בּוֹ *& recta eſt expoſitio iſta pra omnium eorum qi locum hunc expoſuerunt*, expoſitionibus utiqe. Neqe verò avt inſolentia, avt infreqentia etiam, ſunt negativæ Defectus & ſupplementa iſtiuſmodi; idqe vel

cum particulâ copulativâ, vel abſque eâdem. cum copulativâ, Hymn.1.v.5. *non conſiſtent improbi in judicio,* & (i.e. *neqe*) *peccatores in cœtu juſtorum.* Hymn.44. v. 19. *Non retroceſſit cor noſtrum,* & (i. *neqe*) *declinarunt à ſemitis tuis greſſus noſtri.* Hym.50. v.8. *Non reprehendam te de ſacrificiis,* & (ſive, *neqe*) *de holocauſtis tuis coram me jugiter.* Parœm.c.31. v.3. *Ne concedas mulieribus vires,* ſive, *facultates, tuas,* & (i. *neqe*) *vias tuas eis, qa regibus ſunt exitio.* Eſaj.c.41.v.28. *circumſpiciebam, & non erat ex eis qi conſuleret; & interrogabam eos, & retulerunt verbum:* ſive, *neqe erant, qi cum interrogabam eos, qicqam reſpondere poterant.* Sine copulativâ, Hymn.9.v.17. *Non in æternum oblivioni habebitur egenus,* [neqe] *afflictorum expectatio in perpetuum peribit.* Hymn.91. v.4,5. qo loco in eâdem periodo ter reperitur; *Non timebis à pavore nocturno;* [neqe] *à ſagittâ, qæ interdiu volat;* [neqe] *à peſte, qa in tenebris graſſatur;* [neqe] *ab exciſione, qa in meridie devaſtat:* Eſaj.c.23. v.4. *Non parturio, neqe pario filios, nec juvenes tollo,* [nec] *puellas educo.* Unicum adjiciam ex eodem vate locum, inſignem ſanè. eò magis, qò non ἐναντιοφανὲς ſolvam, ſed ἐναντίωσιν quæ ſit tollam, qam interpretes, qos hactenus viderim, univerſi; per obſervationem hanc eo loci non animadverſam, in Vatis dicta intulerunt.

Habetur is Cap.28. v.27,28. in hæc verba.

Neqe enim tribulâ triturabitur melanthium, & rota plæuſtri ſuper cuminum circumagetur. excutitur namqe baculo melanthium, & virgâ cuminum: panis comminuetur: neqe enim in perpetuum triturando triturabit eum, & conteret cantho plæuſtri ſui, & eqitibus ſuis non comminuet eum. An non in verſiculo altero, inter inciſi primi ac noviſſimi verba, repugnantia manifeſta & contradictio mera ſtatim deprehenditur? *Panis,* inqit, *comminuetur*; & rurſus, *non comminuet eum.* qod & magis parebit, ſi verbum, cum indefinitum ſit, per formam paſſivam, qam appellant (prout commodè poteſt, & in ſtructuris iſtiuſmodi crebertimè fit) exprimatur; *comminuetur panis*; *nec comminuetur is.* et ad idem, & de eodem enunciatur utrunqe: qum de pane tricurando utrobiqe agatur. Qin & ratio qàm inſulſa fuerit iſta, *Panis comminuetur*; *qia non comminuet eum.* ita enim dictionis contexitur ſeries. Nam

qod

qod de *ſtipula* ſive *ſtraminis conciſione* ſuggerunt hîc Judæi Magiſtri Camius & Abarbinel, frivola planè & futiliſſima ſunt. Sed nec huc qicqam faciunt, qod de *frumento in molâ comminuendo*, priuſqam panis inde confici poſſit, alii ad hunc locum diſſerunt: qum de excutiendo, non de commolendo apertè agatur. Cæterùm nodum hunc tam difficilem facilè ſolvet, omnémqe repugnantiam penitùs amovebit, formula qam diximus in Vatis verbis obſervata; in qibus iterata, & qidem utroqe modo, nunc cum copulativâ, nunc citra eandem adhibita, occurrit. et alteram qidem, hîc, adhibitam, nec ſemel tantùm, ubi copulativa aderat, adverterunt, atqe admiſerunt interpretes: at ea ubi deerat, fecit hujus defectus, ut eorundem ſedulitatem per inadvertentiam eadem deliteſcens ſubterfugeret. adverterunt in illis, *& rota plauſtri circumagetur.* itaqe verterunt, *neqe rota plauſtri circumagetur.* admiſerunt & in illis, *& conteret rota plauſtri ſui*; reddentes, *neqe conteret.* ibi non adverterunt, ubi animadverſo maximè opus erat, ad ea vatis enunciata concilianda, qæ alioqi frontibus planè adverſis ſibi invicem repugnarent: in initio utiqe Verſ. 28. qo loco admiſſâ, Vatis verba ego ſic reddiderim; *Neqe enim tribulâ triturabitur* (ſive, triturari ſolet) *melanthium, neqe rota plauſtri ſuper cuminum circumagitur:* (ſive, circumagi ſolet) (*nam*, vel, *qia*, vel, *ſed*, *baculo excutitur melanthium, & virgâ cuminum:*) Neqe *panis comminuetur:* (ſive, comminui conſvevit.) *neqe enim perpetim triturare eum pergit*; (Heb. *in perpetuum triturando triturabit*) *neqe plauſtri ſuo cantho conterit, neqe eqitibus ſuis comminuit eum.* Poterunt & miſſâ negativâ per disjunctivam ſic reddi; *Neqe enim tribulâ trituratur melanthium, aut ſuper cuminum plauſtri rota circumagitur:* (*baculo namqe excutitur melanthium, & virgâ cuminum:*) Aut *panis comminuitur: qum non perpetim eum triturare pergat; aut plauſtri ſui cantho conterat, nec eqitibus ſuis comminuat eum.* Utrumvis enim adhibueris, mens eſt eadem planè futura. ut ſicui negativa interſita minùs placuerit, disjunctivam tamen ſuppletam admittere ne refugiat, cujus ellipſis paſſim tam freqenter occurrit. Videantur Reg. l. 1. c. 20. v. 12. & l. 4. c. 9. v. 32. Job c. 6. v. 6. & c. 8. v. 11. & c. 11. v. 7. & c. 13. v. 9. Eſaj. c. 17. v. 6. & c. 27.

c.27.v.7. & c.38.v.14. Jer.c.2.v.31,32. & c.11.v.19. & c.18. v.14.

Sed & voces ipſas pavliſper diſpiciamus. Atqe hîc primò לֶחֶם ſive *panis* nomine, qod & Camius & Abarbinel monet, continentur *triticum, hordeum,* & *ſpelta*, qia ex his panis confici ſolet. *panis* pro frumento ; qo modo & Hymn.104.v.15. Eccleſ.c.11.v.1. Eſaj.c.30.v.23. ſicut viciſſim, *frumentum,* pro pane, Thren.c.2.v.12. Zachar.c.9.v.17. Tum חָרוּץ occurrit, qod αὐτολεξεὶ *exciſum, conciſum, deciſum,* ſive, *exciſorium, conciſorium, deciſorium,* ſonat. Si avtem adjectivum fuerit, qod & eſſe videtur ; erit ſubſtantivi, ſive ſubjecti, defectus ; & vox מוֹרָג h.e. *traha,* fuerit ſubintelligenda. atqe ita Camius in *radic.* hunc locum explicans, חָרוּץ inqit, מוֹרָג חָרוּץ qod & ipſum expreſſum habemus Cap.41.v.15. ubi populo ſuo Deus, הִנֵּה שַׂמְתִּיךָ לְמוֹרַג חָרוּץ חָדָשׁ בַּעַל פִּיפִיּוֹת qi locus (qod obiter monere viſum) in Buxtorfianis *Concordantiis,* accuratiſſimis illis, ſub hoc titulo deeſt. h.e. *Ecce poſui te in traham inciſoriam* (*exacutam*, an *acutam ?*) *novam, dentibus inſtructam.* מוֹרָג cum Pagnino, *traham* verto : מָרַג qod in Targum Devt.c.19.v.5. & Reg.l.2.c.6.v.6. *impellere,* ſive, *propellere,* denotat : de qâ in ſeqentibus ulteriùs dicetur. מוֹרָג avtem & חָרוּץ qidam volunt eſſe ſubſtantivum utrunqe, qod vel ſimilitudinis notâ, vel copulâ interveniente, licet non expreſſâ, alterum alteri conjungatur. illam interſerit Pagninus, dum ſic vertit, *Poſui te ut traham* ; ut *tribula nova habens ora, triturabis montes.* iſtam alii nonnulli. ut מוֹרָג חָרוּץ ſit *avtì* מוֹרָג וְחָרוּץ *traham* & *tribulam.* ſicut שָׁמִיר pro שָׁמִיר וְשַׁיִת *ſentis* & *vepris,* Eſaj.c.27.v.4. שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ *Sol Luna*; pro, *Sol* & *Luna,* Habb.c.3.v.11. ita in *radic.* Camius; qi & diverſa vult eſſe inſtrumenta, triturationi qidem exercendæ deſtinatum utrunqe, qanqam mole vel figurâ à ſe invicem diſcrepantia. At aliis nullum particulæ iſtius utriuſqe avt defectum avt uſum hîc agnoſcentibus, alia ſyntaxis magis probatur. Ex his avtem qidam illud ſubſtantivum, iſtud adjectivum eſſe volunt, uti ſuprà ſtrictim eſt indicatum. et מוֹרָג qidem ſubſtantivum eſſe, nevtiqam ambigitur, de חָרוּץ duntaxat controvertitur. hoc avtem nomen eſſe verbale an participiale, inter hos convenit ſatis. Qidam enim, in qibus Avenarius

narius & Irtonus, מוֹרָג חָרוּץ volunt eſſe *tribulam exciſam*, ſive *inciſam*, *inciſiones multas habentem*; ob foramina in tabulâ imâ, de qibus ex Magiſtris infrà dicetur. vel etiam *exacutam* & *expolitam*. qomodo חֵץ בָּרוּר *ſagitta expolita* dicitur, Cap.49.v.2. et forma qidem notionem paſſivam exigere videtur: qâ ratione, pecus *mutilatum* חָרוּץ Levit.c.22.v.22. et, *excidium deciſum*, כָּלְיוֹן חָרוּץ Eſaj.c.10.v.22. et, foſſa *inciſa*, חָרוּץ uti mox indicabitur, Dan.c.9.v.21. dicitur. Alii tamen activam potiùs attribuunt. ita Camius in *comment.* מְחֻתָּךְ הֵיטֵב h.e. *benè incidentem*, ſive incidere habilem, interpretatur; & inde vult dictam, qia ſtipulam, ſive ſtramen ab ariſtâ ſuccidat. Proinde Piſcator, qem & noſtri ſecuti ſunt, *acutam*, reddidit; et, Heb. inqit, *inciſam*. i.e. *incidendi facultate præditam*. nec deſunt, ſive verbalia, ſive participialia nomina, qæ licet formulam paſſivam gerant, activam tamen magis notionem habeant, nec tam perpeſſionem aliunde illatam & impreſſam qàm affectionem inſitam & inhærentem deſignant. ex his ſunt, עָצוּם ſive pro *valido*, ſive pro *numeroſo* ſumatur, Num.c.22.v.6. עָשֻׁק *oppreſſor*, Parœm. c.28.v.17. לָמוּר *peritus*. Annal.l.1.c.5. v.18. שָׁכֵן *habitans*, ſive *habitator*, Jud.c.8.v.12. ſed & ipſum חָרוּץ (ab eâdem radice, ſed in ſignificatu diverſo, qâ *movere*, ſive *agitare* denotat, Exod.c.11.v.7. Jud.c.10.v.21.) pro *ſedulo*, Parœm. c.10.v.4. & c.12.v.24,27. & c.13.v.4. & c.21.v.5. qi *pigro*, *ſomnolento*, *remiſſo* opponitur. Sic λελογισμένῳ Græcis, & *conſideratus* Latinis, non is, *de qo ratio* avt *conſideratio habetur*, ſed *qi ratione & conſideratione juſtâ in rebus peragendis uti conſvevit*. Alii מוֹרָג & חָרוּץ ſubſtantivum eſſe utrunqe volunt, non in conjunctione tamen, ſed in rectione cohærentia. et מוֹרָג qidem prout מַשְׁפֵּט qod alioqi *Camets* in ſyllabâ alterâ haberet, regere iſtic videatur. ita fuerit *traha tribula*, ſive *tribularis*; qo à trahis aliis uſibus deſtinatis & deſignatis, diſtingvatur. vel *traha exciſionis*, qo modo עֵמֶק הֶחָרוּץ Joel.c.3.v.14. i.e. *vallis exciſionis*; ſive *conciſionis*, uti poſt Vulgatum Junius & Pagninus reddidere. à *judicio deciſo*, *definito*, *determinato* Eſaj.c.10. v.22,23. & c.28. v.23. eo loci exeqendo ſic dicta. ubi tamen Piſcator, qod magis probem, *tribula*, ſive, *triturationis*, ex Eſajæ locis his, de qibus

nunc agimus. Huic autem noviſſimæ interpretationi omninò aſſentior; ſed ut nomen חָרוּץ qanqam primariò adjectivum merum fuerit, tamen ratione peculiari ubi de inſtrumento hoc triturationi deſignato, ſicut & alias qandoqe, pro ſubſtantivo habeatur. Sic יַבֶּשָׁה qod *aridam* duntaxat ex ſe deſignat, Eſaj.c.44. v.3. pro, *terrâ* uſurpatur, Gen.c.1.v.9,10. Jon.c.1.v.9.13. קָמָה qod *conſiſtentem* denotat, pro *ſegete*, Deut.c.6.v.9. & c.23. v.25,26. Jud.c.15.v.5. Eſaj.c.17.v.5. קָלִי ſive קָלָוִי qod *toſtum*, pro *frumento*, ſive *ſpico*, (cui & conjunctum reperitur Lev.c.2.v.14.) *toſto*, adhibetur, Lev. c.23.v.12,14. Joſh.c.5.v.11. Reg.l.1.c.17.v.17. & l.2.c.17. v.28. פָּרִית & פָּרִיָּה qod *feracem*, *fœcundam*, *fructuoſam*, ſignificat, & cum גֶּפֶן *vineæ* qandoqe tanqam attributum jungitur, Hymn.128.v.3. Eſaj.c.32. v.12. at ſeorſim, *nunc* pro *vite*, Gen.c.49. v.22. nunc pro *oleâ*, *fœcundâ*, Eſaj.c.17.v.6. uſurpatur. חָרוּץ deniqe pariter, cum *inciſum* primariò ſignificet, tamen qaſi ſubſtantivè acceptum, nunc pro *foſſâ inciſâ*, Dan.c.9.v.21. nunc pro *trahâ*, ſive *tribulâ incidente*, ſicut hoc utroqe Eſajæ loco, uſurpatur. Ita demùm מוֹרָג חָרוּץ fuerit, ſi adjectivè חָרוּץ ſumatur, *traha inciſoria*, ſin ſubſtantivè, qod ipſe malim, *traha tribule*, ſive *tribularis*; à tribulâ triturationis inſtrumento, qod ab incidendo nominis id habet; ſic dicta. *Trahas* certè *tribuláſqe* conjunxit Maro *Georg.l.2.* verbis illis,

Tribuláqe, traheaqe ——

ad qæ Servius emendandus, *Tribula*, inqit, *genus vehiculi omni parte dentatum, unde feruntur* (*feruntur*, legendum) *frumenta*; *qo maximè in Africâ utebantur. Trahea*; *vel tabula eſt, ut qidam dicunt, qæ trahentibus bubus ſolet aræa induci ad pabulum colligendum. vel vehicula ſine rotis, qas vulgò tragas dicunt.* noſtri ſleds vocant. Sed & חָרוּץ Camio in *radicib.* inſtrumentum eſt qo frumenta triturant. eſt autem, inqit ille, tabula lignea, qæ lapides acutos ſuppactos habet, ad ſtipulam incidendum, & granum è folliculo ſive glumâ excutiendum. Abarbinel itidem *in Eſajam*, Eſt, inqit, inſtrumentum è ligno lato cum multis foraminibus confectum, qorum in medio ſilices acuti ſunt; cui lapidum pondus grave imponunt; tum frumento ſuperinducunt, qo granum hujus

operâ

operâ à paleis ſeparetur. Jajrus avtem, Inſtrumentum eſt, inqit, ligneum grave. ſtylis ſive clavis freqentibus inſtructum, qod ſuper ſtipulam ſpicarum trahendo, in ſtramen eam minutum conterunt. qanqàm reverâ *tribula*, non tam ſtipulæ incidendæ, qàm grano ex ariſtâ excutiendo adhibebatur. Verùm huc facit qod Targumiſta Cap. 28. 28 חֲרוּצָא reddidit מוֹרְגִי בַרְזְלָא *trahas*, ſive, *tribulas ferreas*. qo modo חֲרוּצֵי legimus Reg. l. 2. c. 12. v. 31. & Annal. l. 1. c. 20. v. 3. & חַרְצוֹת הַבַּרְזֶל Amos c. 1. v. 3. i. e. *tribula* ferreæ. non ex qidem è ferro ſolido confectæ, ſed ſtylis clavíſve ferreis inſtructæ. à qibus inſtrumentum iſtud Cap. 41. בַּעַל פִּיפִיּוֹת pro idiotiſmo Hebraico, *orium dominus*, qaſi *oribus inſtructum*, ſive *ora habens*, uti Pagninus reddidit, prædicatur. qo modo חֶרֶב פִּיפִיּוֹת *enſis orium*, Hymn. 149. v. 6. dicitur. qem Græci qoqe μάχαιραν δίστομον, Heb. c. 4. v. 12. Latini, *ancipitem* dicunt. Sic בַּעַל קְרָנַיִם aries, *cornuum dominus*, h. e. cornibus inſtructus, cornutus, Dan. 8. v. 3, 6. & בַּעַל כָּנָף ales, *alæ dominus*, i. e. alis inſtructus, alatus, Parœm. c. 1. v. 17. dicitur. *Dentibus* avtem *inſtructum*, reddidi. qia *dentem anchoræ*, apud Maronem *Æneid. l. 6.* & *Vomeris dentem*, apud eundem *Georg. l. 1.* &, qod eôdem recidit, *aratri*, apud Columellam *l. 2. c. 4.* reperio. et *forcipes denticulatos*, apud Plinium *l. 9. c. 11.* Sed & Servius *vehiculum* hoc undiqaqe *dentatum* dixit. ejuſdémqe *orbiculos dentatos*, Varro. Et Camius ipſe שִׁנֵּי *dentes* tribulæ nuncupat qeis ſtipulam incidunt, qos פָּרָשִׁים Cap. 28. v. 28. Vates appellat, uti & Pagninus, *dentes* reddidit. Vox ipſa plerunqe *eqites* denotat. unde qidam, è qibus Mercerus eſt, *dentes*, ſive *ſtylos* illos, de qibus Camius & Jajrus, ſic dictos volunt, qia eqitum calcaria qadantenus referant. alii de eis intelligunt, *qi tribulam regunt*, (*avrigas* eos Varro vocat, uti mox indicabitur) ita Piſcator; qi & *eqites* reddidit. Alii de jumentis ipſis ſumunt. qos פָּרָשִׁים Camius refert סוּסִים non *eqites*, ſed *eqos*, interpretari. Itaqe Vulgatus & Tigurinus, *ungulas*, reddidere. qaſi פָּרְסוֹת legiſſent. In qam mentem & Abarbinel, licet lectionem receptam havd immutet, *jumenta*, inqit, *qæ tribulam trahunt*, פָּרָשִׁים hîc dicuntur. *Tribula* avtem, qam Vates hîc reſpexit (licet ſeciùs pavlò, uti ex ſuprà adductis patet, è Judæis Magiſtris qidam

deſcribunt) *plavſtri*, ſive *ploſtelli* formam habuiſſe videtur. id enim vox עֲגָלָה Cap. 28. ſubjuncta ſignificat. atque ita מִרְכָּב reddidit Vetus interpres, Cap. 41. Qin nec *plavſtrum* an *ploſtellum* iſtud rotis caruiſſe, quod de *trahis*, ſive *tragis* ſuis Servius prodit; qibus havd abſimile videtur fuiſſe illud, quod Judæi Magiſtri illi nobis hîc ſuggerunt; ab iſto, quod vates reſpexit, planè diverſum. cui enim uſui eſſe poterant, ſilices illi acuti tabulæ imæ infixi, cum rotis ea inſiſtens aream ſuperficiem, ſpicáſve in eâ ſtratas non attingeret. at hoc de qo vates *rotis* ſive *orbiculis*, ut Varro loqitur, inſtructum fuiſſe, ex duabus etiam vocibus אֹפָן & גַּלְגַּל Vati pariter ibidem uſurpatis, apparet. אֹפָן enim *rotam* ſignificat; גַּלְגַּל (ſive גִּלְגַּל qod eſt uſitatius) *orbem*, ſive *canthum*, rotæ: de qo Perſius *ſat.* 5.

Nam quamvis prope te, quamvis temone ſub uno
Vertentem ſeſe, fruſtra ſectabere canthum,
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo.

unde & גַּלְגַּל Talmudicis, perinde ac κάνθος Græcis, & *canthus* Latinis, de oculo qoqe uſurpatur. Κάνθος, ὁ τῆ ὀφθαλμοῦ κύκλος. Heſych. & inde Græcis recentioribus κάνθοι, qæ antiqioribus ἐλάσματα, οἱ ἐκλὸς τῆ ξυλῶν σιδήρεοι κύκλοι. ſive τὰ κύκλα τῆ τῆ ἅρματος ξυλῶν σίδηρα. ſive τὰ ἐπάνω τῆ ξυλῶν ζίδηρα ἢ χαλκᾶ. uti eos deſcribunt Svidas, Etymologus, Evſtathius. h.e. ut Hieronymus *in Ezek. circuli rotarum ferrei*, (avt *ærei* etiam) *qibus lignorum rotunditas artatur & ſtringitur.* ſive etiam ligna ipſa qibus radiorum extima pars infigitur. Adhæc *canthos* iſtos, è qacunqe fuerint materiâ, clavis, ſive ſtylis ferreis ſuppactos atqe inſtructos fuiſſe, eſt ex altero hujus ejuſdem Vatis loco ſuperiùs indicatum. Atqe hic qidem fuit unus frumenti triturandi modus apud Judæos uſitatus, ſub qo contineri poterit etiam qod à Judæis magiſtris deſcribitur; fuit & alter, in aream immiſſis jumentis, ſive bobus, ſive aſinis, avt eqis, ac per ſegetes agitatis, qæ ungulis ſuis granum è ſpicis excuterent. alluſum huc loco illuſtri illo, Mic. c. 4. v. 13, 14. ubi Deus populos Sionis hoſtes, adverſus ipſam convenientes, *tanqam manipulos in aream* congregaturum ſe comminatus, eam ſic alloqitur. *Surge & tritura, filia Sion; ferreum enim faciam cornu tuum & ungulas chalybeas, qibus populos multos comminuas.* qo loco קֶרֶן ſive *cornu*, de *ungulâ*

qoqe

qoqe intelligi poteſt. prout & Latinis eqi *cornipedes*, apud Maronem Siliumqe, inde appellantur. Ad triturandi modum utrumqe pertinet, de *bovis*, dum in areâ grano excutiendo operam impendit, *ore fiſcellâ non obſtringendo*, lex lata, Devt.c.25. v.4. Cor.ep.1.c.9. v.9. Utrumqe, nec ſine illâ, qam obſervavimus in altero, differentiâ, apud exteros etiam in uſu fuiſſe, ex Varrone *de re rvſtic.l.*1.*c.*52. diſcimus; cujus verba, qia Vatis locum hunc utrumqe, & Magiſtrorum qoqe Judæorum ad eundem annotata, ſuperiùs adducta, eumprimis illuſtrant, adſcribere hîc nevtiqam gravabor. *E ſpicis in aream ſecerni grana oportet. qod fit apud alios jumentis junctis ac tribulo. id fit è tabulâ lapidibus avt ferro aſperatâ; qæ impoſito avrigâ, avt pondere grandi, trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat è ſpicâ grana; avt ex aſſibus dentatis cum orbiculis, qod vocant ploſtellum Pœnicum. in eo qis ſedeat atqe agitet qæ trahant jumenta; ut in Hiſpaniâ citeriore & aliis locis faciunt. Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, qòd (qoad, forſan) ungulis è ſpicâ exteruntur grana.* Hæc ille. Apud nos verò baculo, ſive flagello, qod ad *melanthium* & *cuminum* adhibebant Judæi, ad frumenta etiam qælibet trituranda abutuntur.

Cæterùm ut finem tandem diſſertationi prolixiori huic demus: qomodo apud Vatem, & apud Moſem pariter, vel copulæ index particula in disjunctionis notione ſumi, vel negans ex prægreſſis ſuppleri poterit: qo ſignificetur, ne tenuiſſimum qidem terram irrigandi, qo ferax fieret, vaporis etiam, nedum imbris, adminiculum extitiſſe; qo tempore eam herbis ſtirpibúſqe Deus primitùs inſtruebat.

Qod avtem Vir Cl. omnem illam Capite ſecundo comprehenſam hiſtoriam intra hebdomadem primam concluſit, & Capitis primi contextui ipſi in Paraphraſi intertexuit, in hoc, opinor, non eſt reprehenſione dignus, nec de re ipſâ qenqam ferè diſſentientem habere poterit. At, qi tertio Capite narrata, etiam intra ſex dierum ambitum conſtipant, ei verò an avdiendi ſint, ambigi forſitan nec immeritò poteſt, &, qod ille olim, *avdiendos magis* ipſe *qàm avſcultandos* exiſtimem. In his ſunt Talmudici, qi in *Gemarâ Sanhedrin. Cap.*4.*ſect.*10. ex ſententiâ R. Achæ filii Haninæ, diem ſex-

tum in horas duodecim diſpertitum ita particulatim, an *articulatim* (uti ille loqitur) *comminuunt*, ut vel homine condendo, vel eis qæ ſive ab homine, ſive de homine ſunt facta, dies integer inſumatur. Siqidem *horâ*, ajunt, *primâ collectus & coaggeratus eſt pulvis*, ex qo corpus hominis conderetur; *ſecundâ, ex pulvere illo* עלם (Hymn.139.v.16.) ſive *maſſa* qædam *informis coacta & compacta eſt*; *tertiâ, ex eâ maſſâ membra ſingula, artúſqe effingebantur*; *qartâ, corpori ſic effigiato anima infundebatur*; *qintâ, animâ jam præditus homo, humo, in qâ jacebat, elevatus elatúſqe, in pedes erigebatur*; *ſextâ, nomina animantibus impoſuit*; *ſeptimâ, mulierem connubio ſibi junctam accepit*; *octavâ, lectum aſcenderunt duo, & deſcenderunt qatuor*; *nonâ, præceptum accepere de abſtinendo à fructu arboris ſcientiæ boni ac mali*; *decimâ, præceptum datum ſunt tranſgreſſi*; *undecimâ, de tranſgreſſione judicium ſubiere*; *duodecimâ de horto expulſi ſunt*. At iſta, qoad horarum digeſtionem ac diſtinctionem frivola ſunt univerſa, incerta minúſqe veriſimilia nonnulla, qædam apertè, imò prodigioſè, falſa. Scilicet tam operoſè cunctantérqe, per gradus, horáſqe gradibus ſingulis inſumptas, in hominis corpuſculo condendo Deum progredi neceſſe fuerat, qi verbulo ſolo, unóqe ferè momento, mundi hujus univerſi fabricam integram exſtruxerat, qam per dies ſingulos deinceps, havd majore, credo, cum negotio, & expolivit & inſtruxit. Illud avtem ab omni eſt ratione alienum, qòd qi Deo in homine condendo tot horarum moram dederant, ut una materie convehendâ, altera eâdem macerandâ, tertia effingendâ, qarta erigendâ, extraheretur, qinta denique ſpiritu vitali imbuendâ exigeretur, homini eidem tam proclivia omnia atqe expedita fecerint, ut intra horulæ unius ſpatium, animantia univerſa à Deo ad ſe adducta, & in conſpectu ſuo poſita, non recenſuerit tantùm, ſed nomina etiam, ſingulorum naturæ ratione ſaltem aliqâ conſentanea, ſingulis ſeorſim ſingula impoſuerit; tum ut intra horulæ alterius ſpatium, mulier à viro prægnans facta, gemellos ederet partus, Cajnum nempe cum ſorore ſuâ; qanqam alii etiam non geminos, avt tergeminos, (uti minùs propriè loquuntur) ſed qaternos partu eodem hoc editos volunt. Sed ideò forſan

Deo

Deo operi ſuo conficiendo ſpatii prolixioris dandi rationem aliqam habuerint; qia ſecundum R. Meirem, ex Pavli Ricii fide, ad corpus hominis condendum ex totâ terreſtri machinâ terra erat convehenda; qo utiqe ſecundum R. Oziam, truncus corporis è terrâ Babylonicâ, caput è terrâ Iſraeliticâ, reliqa membra ex regionibus aliis collectâ materiâ effingerentur: moles avtem corporis tanta, juxta R. Eleazarum fuerit, ut capitis vertice firmamentum ſuperius pulſaret, lacertis expanſis extremos utrinqe orbis terminos attingeret. tum ad materiam terream illam ſubigendam macerandámqe, neceſſaria fuerat elementorum reliqorum ignis, aeris, aqæ, pro mole terrenâ illâ portio juſta, ad qam è ſingulis decerpendam tempus par exigebatur. Molis deniqe tam portentoſæ coloſſo tam vaſto erigendo, præſertim cum inanime adhuc exiſteret, nec qod Laconille, cum cadaveri pedibus conſtituendo fruſtra inſudaſſet, intus aliqid qo operis id promoveretur, non haberet, horâ minimum aſſignatâ opus fuerat, cum non citra labis alicujus diſcrimen, avt ſubitò, avt niſi magnâ cum cavtelâ id pavlatim poſſet peragi: neqe enim Regis Babylonii, ſtupendæ licet altitudinis, hac tamen tam longè inferiorem ſtatuam illam, vel die forſan uno, nedum horulâ unâ, erectam ac conſtitutam, veriſimile eſt. ut de flatus vitalis per tot membra tam longè à ſe invicem diſſita permeaturo nihil adjiciatur. Cæterùm & iſtis majora, etiamſi vera forent, verbo nutúve ſolo, uno momento Deus, cui nihil arduum eſt, poterat; & ante inceptum iſtud (uti eſt probabile) confecerat; & iſta ſunt reverâ hominum vaniſſimorum commenta putidiſſima. Tum & ea, qæ vel ab homine jam condito deſignata, vel circa eundem geſta narrantur, per horas certas hoc modo diſpartiri ac digerere, & eſt præſumptio mera fundamento nullo ſubnixa, eáqe in nonnullis nec rationi conſentanea, & veritati etiam adverſa.

Ut enim nihil dicam, qod de fructu interdicto lex homini data, mulieri conditæ ſubjicitur, contra planè qàm contextus Moſaicus exhibet: mulierem ante legem illam eandem datam, nedum violatam, à viro cognitam fuiſſe, & eſt narrationi Moſaicæ omninò contrarium, etiamſi Jajrus qoqe

id

id affirmare ſuſtinuerit; & Judæorum etiam aliorum placitis adverſatur, qi avtore Manahemo, Cajnum tradunt, à ſemine immundo, quod Evæ ſerpens inſtillaverat, prognatum: à noſtris verò itidem omnibus jure merito repudiatur, qi vitioſitate ingenitâ à conceptu ipſo intinctum ſtatuunt fuiſſe, qod ante contractum id à parentibus ipſis vitium non poterat. De geminis intra horulæ ſpatiolum & conceptis & editis, ecqid opus eſt qicqam adjicere? ſtipites ſunt meri, qibus iſta probentur. Ad animantia redeatur; ad hominem adducta, & ab eodem ſigillatim perluſtrata, appellationibúſqe non ſine juſtâ aliqâ ratione inſignita; hoc totum, inqam, intra horulam ab Adâ fuiſſe peractum, rationi conſentaneum mihi nevtiqam videtur. Etiamſi enim demus hominem eximiis cum animi, tum & corporis ab initio fuiſſe dotibus inſtructum: at & mentis dotes & carnis vires circumſcriptas terminatâſqe habuerit neceſſe eſt: víxqe fieri poterat, qin dieculæ illius pars benè magna, tot animantium variorum ſpeciebus diverſis, ſigillatim perluſtrandis, conſiderandis, nuncupandis, extraheretur.

Horum avtem ſeria ſeduláqe contemplatio (qò animi mei ſenſa liberiùs expromam) eô adigit, ut ſententiæ illi tanto cum conſenſu receptæ, neqeam acqieſcere, qâ ſtatuitur utiqe, hominem eo ipſo qo eſt conditus die, à conditore ſuo defeciſſe, hortóqe (qod ab his dicitur) ejectum fuiſſe. Aliò animum abducunt diei illius geſta, prout à Moſe Spiritus Sancti amanuenſe ſcripto conſignata ac digeſta exhibentur. Mitto qærere, an præter hominem animantia ulla eo die ſint producta. detur, qod Vir Cl. cenſet, pridiè fuiſſe condita; vel, qia plures ad hunc referunt horum creationem, momento temporis creatas ſpecies tot varias qæ antè non extiterant. ad ea me adſtringo, hominem qæ ſpectant. Sed nec alterâ ex parte id admittendum cenſuerim, qod Epiphanius *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 4. nonnullos ſenſiſſe refert, *hominis creationem die qinto inchoatam, ſexto conſummatam fuiſſe.* cæterùm, prout Moſes narrat, Die ſexto omninò conditus eſt homo; extra hortum, opinor; id contextus ſeries ſapit. extra hortum conditus, in hortum deducitur; arbor utraqe & vitæ & notitiæ, in horti medio conſita utraqe, indicatur; de abſtinendo

nendo ab alterius fructu lex datur: ab hac datâ ex horto denuò in planitiem (credo) patentem aliqam abducitur; (hortum enim qis crediderit animantium turbâ tantâ tam confertâ conculcatum?) ſiſtuntur eô loci (Deo id procurante) animalia qæ terra protulerat univerſa, generis cujuſqe unicum ſaltem; atqe ita (puto) conveniunt, ut ne ſe invicem, avt contrudant, avt conculcent: in Adæ conſpectu ita ſita ſiſtuntur, ut de ſingulis ſpeciebus ſeorſum diſpiceret; & ubi diſpexerat, pro ſpeciei cujuſqe naturâ, indole, dote aliqâ inſigniore, qâ à reliqis diſtingvebatur, ex eâ qâ valebat ſagacitate, appellationem aliqam ſpeciei illi peculiarem, ingenióqe ejuſdem congruentem imponeret. Nec poſſum aſſeqi (qæ meæ forſitan fuerit vel mentis obtuſioris hebetudo, vel intelligentiæ reſtrictioris anguſtia) qî fieri qiverit, qin diei pars magna negotio hoc conficiendo fuerit inſumpta. Viri utiqe militares copiis havd numeroſis viritim perluſtrandis diutiùs longè diſtinerentur.

A negotio hoc exacto, Adam ſive fatigatione aliqâ, cum in opere illo diutiùs fuiſſet immoratus, ſive citra hanc etiam procuratione divinâ, in ſomnum incidit altiorem. dormienti interim coſta eximitur, ex qâ mulier conjux ei futura extruitur. Eam à ſe conditam, παράνυμφον ſive pronubum agens ipſe, ad maritum futurum virum Deus adducit, eidémqe addicit. Is in eâ ſui partem agnoſcens, in conſortii intimi atqe individui pactionem ad ſe aſſumit. Atqe hactenùs qidem protrahitur, iſtâqe planè ſerie pertexitur, narratio Moſaica, intra diei ſexti terminos concluſa. Ab iſtis, novo qaſi ſumpto exordio, narrantur, qæ ad hominem, non tam conſtitutum, qàm deſtituendum mox, & deſtitutum jam etiam pertineant. Mulierem enim jam viro junctam, ſed à viro ſejunctam, per ſerpentem adortus eſt Satanas. Ita, atteſtante paginâ ſacrâ, cum Saadiâ & Manae, aliiſqe tam Judæis Magiſtris, qàm & noſtris, potiùs cenſuerim, qàm cum Eſdraide, qi ſerpentem merum ſolúmqe vult extitiſſe. qamvis per ſerpentem is locutus fuerit; ſicut per aſinum Deus ipſe, an angelus Dei, cujus dicta tamen aſino tribuuntur. Petr. ep. 2. c. 2. v. 16. Qanqam nec accedo Talmudicis fabulis illis, qibus, narrante Majmonide *More l.* 2. *c.* 30. Sammaelem perhibent

ſpirituum maſignorum principem, ſerpenti, qi camelum magnitudine æqabat, inequitantem, mulierem aggreſſum, eam ſeduxiſſe. Cæterùm abſente viro, cum ſerpenti ſeſe inſinuaſſe, mulierem adortam, Satanam, noſtri, quos viderim, conſentiunt univerſi. Etiamſi enim verſio noſtra antiqior, qæ à Tindalo ceptam ſecuta eſt, aliò ſpectare videatur, dum reddit, **and gave alſo unto her husband being with her.** at nec illud **being** in contextu reperitur, nec aliud à reliqis hac in parte ſenſiſſe verſionis illius avtores, inde evincitur; qum & Piſcator, qi ſupplementum illud ipſum interſerit, *dedit etiam viro ſuo, cum eſſet ſecum*, aliud verbis illis voluiſſe ſe apertè indicat, ubi in ſcholiis ſic ſe explicat, *qi erat ſecum*, h.e. *qum primum ille ad ipſam veniſſet: ſermocinatione ſerpentis jam abſolutâ, & ſerpente, ut videtur, jam elapſo.* Sed & Vatablus, licet quoſdam referat hinc dicere, *ſeductam Evam præſente viro.* (qod Calvinus etiam cum retulerit, *nullo modo credibile* eſſe affirmat) Hebræos tamen ait ſubavdire, *ut ederet*; sicqe conjungere, *dedit viro ſuo, ut ederet unâ cum ipſâ.* atqe ita revera Eſdraides in locum. Ecqis avtem, ſcriptura cum hac in parte ſileat, animum facilè induxerit, ut credat, fieri potuiſſe, ut avt mulier à viro ſuo, ad qem adductam in tam arctam & intimam cum eodem conſvetudinem, tantâ cum ſolennitate, eam adjunxerat atqe adſtrinxerat Deus ipſe, qamqe tanto cum affectu verbis ſignatiſſimis expreſſo ſuſceperat atqe amplexatus fuerat vir, ab eodem ſtatim, eodem non die, ſed horâ ferè, ſeſe ſubducere ſuſtinuerit; avt ut vir, qi ſibi à Deo ſic oblatam & commendatam, tantâ cum lubentiâ admiſerat, qaſi conſortii cum eâ initi ſatias ſtatim cepiſſet, à latere ſuo, non dico divelli, (ecqis enim erat, id qi faceret?) ſed è conſpectu ſuo longiùs diſcedere, atqe exſpatiari, confeſtim pateretur. Certè non tam exilis langvidiſqe affectus inter pares lubentiâ pari recens junctos hodie etiam reperitur: nedum ut illi alterutri eſſe potuerit: præſertim cum nemo qiſqam extaret, qocum poſſent à ſe invicem diſſiti familiariter converſari. Sed & ſermocinationem etiam prolixiorem ſerpenti cum muliere interceſſiſſe, probabile eſt admodum, & à pleriſqe ſtatuitur; nec niſi poſt diſceptationes varias utrinqe habitas, in-

ductam

ductam mulierem, ut in eſu pomi periculum faceret. nec verò viro etiam, citra rationes aliquas à muliere prolatas, eáque denarrata quæ à ſerpente acceperat, ut in eundem cum muliere, quam etiam fructu guſtato ſoſpitem adhuc cerneret, exceſſum concederet, perſvaſum fuiſſe, veriſimile ſit. Adjiciantur his quæ ſecuta ſunt, perizomata confecta, latibula conquiſita, evocatio majeſtatica, quæſtio judiciaria de viro, muliere, ſerpente ſeorſim habita, cenſura pro criminis ratione in ſingulos prolata; amictus novitius è pellibus animalium utriqe inductus, in eo amictu traductio ignominioſa, utriuſqe deniqe è loco, in qo hactenùs egerant, expulſio. Hæc avtem omnia, ſi intra diei ſexti limites coerceri voluerimus, in particulam ejuſdem extremam, exiguámqe admodum eandem conſtipanda fuerint, qum partem maximam in prioribus illis exeqendis effluxiſſe ſit neceſſe. Simul interim juncta cum illisiſta, adeò me vehementer conſtringunt; ut non poſſim non parentum primorum defectionem in tempus ob ortu primo longiùs diſſitum protollere, ſtatuíqe in qo ſunt à Deo primitùs conditi ac conſtituti, moram ſaltem qam dieculæ unius fuerit, diuturniorem adſcribere.

Præſagit animus fore ut à compluribus, eis cumprimis, qi ſcriptorum conſenſus concordis æſtu ſecundo, vel deferendos, vel abripiendos etiam, citra examen ullum ſeſe dediderunt, vel imprudentiæ, vel impudentiæ etiam, temeritatis ſaltem nimiæ reus peragar, qi adverſus torrentem amne pleno decurrentem ſolus, ſi ſolus ſaltem, homo nihili obnitar. Nec ſum ignarus Virum eruditiſſimum, & in ſcriptis Rabbiniicis verſatiſſimum, in *Scripturæ*, qem inſcripſit, *Concentu*, hoc tanqam fidei dogma primarium fidentiſſimè aſſerere, *homines nec diem unum in integritate ſuâ perſtitiſſe. Hoc à religionis cujuſqe aſſeclis ubiqe receptum, lumine qod in tenebris lucet ad id tenendum inducente.* Huc trahere *Talmudicos & Midraſhim* illud Hymni 49. v. 13. de Adâ exponendo, qi *in dignitate* primordiali *nec pernoctatus* ſit. Addit ex Majmonide in *Moreh chelek*, 2. *perek*. 30. à Judæis id generaliter teneri; nec ullum ſeſe ex eis avdiviſſe, qi aliter ſentiret. *ethnicos Chriſtianos à principio idem tenuiſſe*; *Græcos* patres, *Irenæum, Chryſoſtomum, Theodorum, Theophylactum, ad Cedreni*

ætatem uſque idem ſtatuiſſe; Græcis hodiernis idem in ore, ἡ ἡμέρᾳ ἐπλάδη, καὶ ἐξεπλάδη. qod tamen Vir doctiſſ. parum commodè reddidit, *Eodem die & formatum & deformatum fuiſſe.* Latinos pariter, cum eruditiores, *Auguſtinum & Bernardum*, tum & eruditione tenuiſſimâ imbutos, qalis apud Chavcerum noſtrum *Indulgentiarum proxeneta.* Acerrimè denique perſtringit, tanqam *avribus, oculis, mentibus ſtupendis* præditos, qi dogma iſtud, *vel pro curioſo ſive incerto habuerint, vel negare dilexerint.* Alluſiſſe videtur Sophocleum illud in Oedipo Rege, Τυφλὸς τὰ τ' ἄντα, τόν τε νῦν, τὰ τ' ὄπιστα. Appingit duorum virorum inſignia nomina, tanqam qi hac in parte ſint lapſi, *P. Martyr, & H. Bullinger, in Gen.* 3. Qorum apud alterum, Martyrem nempe, nihil qicqam eâ de re eo loci reperio. alterum non habeo, nec an in Geneſin ſcripſerit qicqam, avt ex Geſneri ac Simleri laterculo, qi tamen ſcripta illius in tomos digeſta ſigillatim accuratiùs recenſent, avt ab alio qoqam reſciſcere potui. alibi forſan aliâ occaſione, qid hac de re ſenſerint, expoſuerunt. Hymnodi verò verba qod attinet, Talmudicorum & Allegoretarum (tales ſunt Midraſhim ſcriptores) expoſitiones, parum apud illos ſunt ponderis habituri, qi norint, qam miſerè, turpiter, putidè, ridiculè ſcripturas ſacroſanctas illi torqeant, lacerent, pervertant, eludant, illudant. tum qi ſerii magis ſunt expoſitores, in commentariis ſuis, qos in manibus habemus, Salomon Jajrus, Abraham Eſdrajdes, David Camius, unâ cum Targumiſtâ vetere, alio hîc abeunt, nec de protoplaſto in in commatii iſtius explicatione qicqam omninò exhibent: mirúmqe mihi fit eruditum *Decaplorum* Avtorem ex Jajro adducere, *Non pernoctabit* } *unâ nocte in integritate non permanebat Adam, ſed in fine diei lapſus eſt.* qod in Jajrianis commentariolis non comparet. Rectè interim Eſdraides, בל־ילין exponit ex illis Hymni 25 v. 13. נַפְשׁוֹ בְּטוּב תָּלִין *In bono commorabitur anima ejus.* Majmonidæ avtem verba, cum ambigva ſunt; tum etiamſi id velint, qod Vir doctiſſ. opinatur, havd eſt ita magni momenti, qid Judæi Magiſtri hîc ſtatuant, qibus nihil in negotio hoc certi amplius eſſe poterat, qàm qod ſcripta Moſaica prodiderunt, qæ nobis ex æqo cum illis patent. niſi ſi Cabalam oralem in monte Sinaitico

Moſi

Mosi seorsum traditam admittere libuerit: quod sincipitis sani nemo fecerit. De Traditione cum apud Græcos, tum apud Latinos receptâ, quod tantopere jactat, qàm inanes atqe incertæ traditiones fuerint istiusmodi, non possunt esse ignari, qi vel in veterum scriptis, vel in nostrorum cum Pontificiis controversiis, mediocriter etiam sunt versati. Præstò nobis adest λόγ& βεβαιότερ& pagina sacra, à qâ solâ nobis in rebus fidei lux, clara certâqe eadem, affulget, ea *Lucis* illius, *qe in tenebris micat*, mentem nobis in his prodit; nec spiritui cuiqam extra hanc qicqam adstruenti fidem adhibere edocti sumus. Inde *luminis* aliqid, quod illos, sive vetustiores, sive recentiores *in opinionem hanc induxisse* affirmat, si protulisset, qod & factu proclivius, siqod esset, fuerat, & ad id firmandum, factum oportuit, qod tam fidenter assertum dabat; necessariò nobis illi concedendum foret, idqe lubentissimè faceremus. Interim cum nihil istiusmodi vel molitus sit, nedum ut præstiterit, nihil cavssæ fuerat, ob qam avt secùs sentientes, avt in re tam incertâ, & à Spiritu sancto in medio relictâ ἀμφιβολίας duntaxat, (nam contradicendi affectum affectationémve qod Viris magnis piisqe eisdem, qorum animos hac in parte pernosse non poterat, tectiùs affingit, est à charitatis Christianæ normâ penitùs dissentaneum) tanqam sensus omnis tam externi qàm interni expertes tam satyricè atqe sarcasticè arroderet. Sed condonandum hoc homini, qi per dotes in qibusdam insigniores Ecclesiæ Dei utilior esse poterat, si non sibi nimium vel arrogasset vel indulsisset. Cum enim in Lingvis Orientalibus, literis præsertim Hebraicis, qæ tunc minùs erant, qàm sunt nunc dierum, familiares, (qemadmodum Hieronymus olim apud sibi coævos) ampliorem plerisqe fuisset peritiam consecutus; tantum eâ occasione tribuebat sibi, ut dissensum à se in re ullâ ægerrimè ferret, adversúsqe viros cum eruditione tum & pietate insignes, qi placita sua, etiam in rebus qandoqe accessariis ac leviculis, vel oppugnaverant, vel attentaverant, tanqam qi fidei totius ac religionis firmamenta fundamentâqe concuterent & convellerent, impotentissimè debaccharetur. In suis avtem dilatandis dilavdandisqe ex occasione qavis tam importunus, tam immodicus deprehenditur, ut cerebri læsi

etiam nonnullis de ſe ſuſpicionem moverit. Verùm miſſo iſto, qi præter Traditionem ἄγραφον, Hymniqe commation, à Judæulis qibuſdam (qos & noſtri forſan qidem imitati ſint) perperam habitum, nihil qicqam hîc adduxit: tam illi, qàm & aliis qibuſqe, qi hoc ipſum fidenter aſſertum ierint, abiſqe tenendum idem contenderint, Hominem utiqe primum intra eum ipſum in qo eſt conditus diem à conditore ſuo defeciſſe; in medio eis, qæ in adverſum vel hîc à nobis, vel ab aliis alibi diſſertata ſunt, relictis, illud poterit reponi, qod in ſuis ad Gen. 38. habet Eſdraides, עָלָיו רְרָאָיָה הַמּוֹצִיא מְחַבֵּרוֹ h.e. qod in Jure noſtro dicitur, *Actori*, ſive, *Affirmanti, incumbit probatio.* licitúmqe cuivis in rebus iſtiuſmodi vel ſecùs ſentire, vel fidem ſaltem inhibere, donec is, qi affirmaverit, id qod affirmat, probatum dederit.

Iſtud ubi abſolveram, in ſcriptores duos incidi, qi qæſtione utrinqe diſceptatâ, pro parte negante concludunt, è noſtris Paræum, è Pontificiis Pererium, qi & præter alios Abulenſem idem ſtatuiſſe teſtatur, ídqe ex maturiore deliberatione, cum contrà priùs ſenſiſſet. Illud obiter monere havd abs re fuerit, qod Michael Glycas *Annal. part.* 1. refert, apud Pyronem qendam Annalium ſcriptorem reperiri, *Adamum non ante qadrageſimum diem in hortum Edenis introductum*; cum hiſtoriæ Moſaicæ tam diſertè adverſetur; fuiſſe forſan potiùs, non fuiſſe ultra tot dies in Paradiſo commoratum, ſive non fuiſſe ante diem qadrageſimum inde ejectum. eo magis, qia tot dies eo loci egiſſe, viſum nonnullis, cum Pererius, tum & à Pererio (puto) Paræus, commemorat uterqe. Ita nec tam generaliter recepta traditio fuerat; & qantumcunqe recepta, avtoritatis fideiqe parilis, planè cum illâ, qâ Adamus in Golgothâ ſepultus perhibetur, eôdem planè loci, ubi mortem perpeſſus eſt Chriſtus, cujus ſangvine reliqiæ illius fuerint irrigatæ. de qâ (cum aliis, & pluribus, opinor, qàm illa altera aſtipulatores habet,) Origenes *in Matth.* earum qæ extant *orat.* 25. et Epiphanius *adv. Tatianos hæreſ. lib.* 1. *tom.* 3. *hær.* 25. *ſect.* 5. qo inter Adæ primi lapſi tempus, ſepulti locum, ac ſecundi pro ejuſdem delicto mortem perpeſſi, perpeſſionisqe locum, paria fierent, traditio utraqe primitùs conficta videtur.

CAP.

Cap. III.

A culpâ peractâ vexatus animadvertitur. Verba Moſis Gen. 3.7. *expenſa; aliterque paulò quàm pleriſque expoſita. Præplaſtis acus & filum unde. de veprium ſpinis Oleaſtrii conjectura.* תָּפַר complicare, conſerere, affigere. עָלָה *ut* frons, *tum* ramum *quàm* folium *deſignat. Sic Gen.*8.11. *Graci interpretes notati. Epitheti ellipſis.* Frons *nunc ſtatum deciduum, nunc perennantem denotat. Veſtes prima primis parentibus unde. de Evæ textrinâ Epiphanius quid. Eſaiæ locum* c.6.v.2. *expenditur. Priſcorum cornuadum argutiolæ rejectæ.* Pedes tegere, *Hebræis quid.* Pedes, *pro pudendis.* Pedum pilus, *quis.* Sororiare, *&* Fraterculare, *quid. Feſtus notatus.* Pedes *Seraphi quos obvelent. Expenditur ſententia in mulierem lata, Gen.*3.16. *Baſilii Sel. de eâ argutiola.* Conceptus dolores, *minùs commodè dici.* עִצָּבוֹן *quid.* Jabetſi *nomen unde. Græcorum halucinatio.* הֵרוֹן *quid.* prægnatus, *ſive* prægnatio. הָרָה prægnans. *Prægnantium affectus.* Venter, *&* Uterus, *promiſcuè uſurpata. Solariorum uſus. Peſſis ſtata nulla cibi ſumendi tempora. Gellius emendatus.* הָר *&* הָרָה *affinia. inde Amos* 1. 18. *dictio ambigua. Mulieri difficiliores quàm aliis animantibus partus. nec hîs tamen difficultatis expertes prorſus. de ibicibus & cervis unguenta Rabbinica. Primiparis præ aliis graviores cruciatus. Oleaſtrii ſententia de partu prætelato rejecta. Nonnullarum parturitio minùs moleſta. Mediis licitis moleſtias eas levatum & lenitum ire non illicitum. Sententiam in Adam latam interminationis eſſe, non interdictionis. Pichetelliana ejuſdem verſio.* Sudor naſi, *qid. Hebræa vox* אַפַּיִם naſum *primò denotare, tum* faciem *totam; ut* os *Latinis.*

PRaclarum ſane Menandri illud apud Jo. Stobæum *tom.*2. *tit.*4. Οὐδεὶς ξύνοιδεν ἑξαμαρτάνων, πλὴν
Ἁμαρτάνει τὸ μέγιστον, ὕστερον δ' ὀφᾷ.
Nemo ſatis, dum peccat, quid faciat, videt:
Scelere ut peracto, atrocitatem intelligit.

dum

dum ſcil. ut Grægorius *in Job. comment. moral. l.* 15. *c.* 22. *Oculos, quos clauſerat culpa, aperit pœna*; vel ipſa etiam qandoqe culpæ jam perpetratæ & præteritæ conſcientia. Hoc in generis noſtri ſatoribus primis animadvertere licet. Eis qippe, poſtqam fructum vetitum guſtando culpam in ſeſe admiſerant, recluſos & *reſeratos oculos* fuiſſe à Moſe perhibetur, *nuditatémqe*, cujus jam pigebat ac pudebat, *perſpectam*. Cæterum turpitudini amoliendæ, avt ſupprimendæ ſaltem, havd ſcitè commodéve ſatis conſultum. Sic enim Moſes l. 1. c. 3. v. 7. *Cum apertis jam oculis, nudos eſſe ſe noſſent,* וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה qod vertunt; *Conſuerunt folia ficulnea, & fecerunt inde ſibi ſubligacula.* Mihi verò nec *conſuere*, nec *folium* illud ſatisfacit. Siqidem, primo qærere jure liceat, unde illis *acus* & *filum* tunc temporis, qorum ope *folia* illa *conſuerent*. Vidit hoc Hieronymus ab Oleaſtro, ſed ad aliud havd minùs ineptum confugit, *avt manu ligando*, inqit, *unum alteri, avt vepribus conſuendo*. qaſi ſcil. ex veprium ſpinis aciculas confecerint ſibi, qibus folia illa ſibi invicem conſuendo connecterent ſive conjungerent. hoc enim תָּפַר ſignificare, idem rectè monet. Eqidem vix otii, puto, tantum erat, avr curioſitatis etiam, in tantâ animorum conſternatione, ut foliis ſigillatim legendis, & operoſiùs conſerendis & contexendis operam navarent ſupervacaneam, cùm ramuſculos, termites, palmites poſſent & decerpere, & ad eum, qem volebant, uſum, ſibi invicem implexos, negotio minore multò, accommodare. verto itaqe; *Et frondibus complicatis*, ſive *contextis, fecerunt ſibi ſubligacula*. Verbum תָּפַר tam *appliçare, complicare, aptare, affigere*; qàm *conſuere*, & *conſarcinare* ſignificat. Jobi c. 16. v. 15. שַׂק תָּפַרְתִּי עָלַי *ſaccum applicavi, affixi, cuti meæ*. Et Ezek. c. 13. v. 18. מְתַפְּרוֹת כְּסָתוֹת *applicantes*, ſive *accommodantes pulvillos axillis qorumqe*. certè, ut *conſerere*, vel *contexere* iſtic vertere dêtur, *conſuere* nullo modo licuerit. rectéqe Caſtellio, *conſertis*, non, *conſutis*, dixit. Vocem avtem עָלֶה etiamſi Græci ubiqe φύλλον reddiderint, loco uno excepto Jerem. c. 17. v. 8. ubi στελέχη verterunt, cum φύλλα debuiſſent; tamen non *folium* tantùm, ſed & *ramum, flagellum, palmitem, termitem* ſignificare, certiſſimum eſt. Sic Geneſ. c. 8. v. 11.

עָלֶה

עֲלֵה זַיִת *ramus oliuæ*, atqe ita vetus interpres. Et Avguſtin. *in Joan. tract. 6. Reportavit ad arcam ramum de olivâ. Ramus ille & folia & fructum habebat. non ſint in te ſola verba; non ſint in te ſola folia. ſit fructus; & redis ad arcam. ramum*, ſive *frondem* hiſtoria dicit; de *fructu* nihil. Sed Græcos is ex parte eſt ſecutus interpretes, qi עָלֶה φύλλον *folium* reddidere, טָרָף καρφος, qod Ambroſius *de Noe c. 19. ramum*, Avguſtinus ipſe *Locution. l. 1. ſurculum* vertit. itaqe incertum eſt *rami* nomine hoc an illud expreſſum voluerit. Meliùs, *ramum decerptum*, Junius. qanqam qod κλάδον vertiſſe LXX. Avguſtino dictum adfirmat, apud Avguſtinum non reperio. Verùm ſic Proverb. c. 11. v. 28. *Qi confidit in divitiis ſuis, ipſe decidet:* (qod Eſajas, כָּעָלֶה *ſicut folium, defluet.* c. 64. v. 10.) *juſtus autem* כָּעָלֶה *tanqam ramus, florebit. tanqam ramus.* i. *tanqam ramus vireſcens, frondeſcens, efflореſcens.* Junius. rectè. ellipſis epitheti: qalem obſervat Camius, Malach. c. 1. v. 14. *Maledictus eſt ſubdolus homo, cui cum maſculus.* i. maſcula pecus integra & ſana, *in grege ſit, voti damnas, corruptum domino mactat.* Et Eſajæ c. 1. v. 18. *Si peccata veſtra velut coccinea fuerint, tanqam nix exalbeſcent; ſi vermiculi inſtar rubra fuerint, lanæ* (candidæ nimirum, necdum intinctæ) *ſimilia fient.* Et ibid. c. 5. v. 4. *Expectavi, ut proferret uvas*, (bonas utiqe, probas, generoſas) *& protulit* בְּאֻשִׁים *fœtidas, viles.* neqe eſt opus ut labruſcas, avt alîus alicujus ſtirpis plantæve neſcio cujus ſpeciem novam hîc comminiſcamur. Vides interim pro diverſo ſignificatu, ad res non diverſas tantùm, ſed adverſas planè, adumbrandas, atqe adumbrando etiam illuſtrandas ac depingendas, vocabulum idem, imaginem planè eandem adhiberi. Vates ad ſtatum deciduum delineandum; Paræmiaſtes ad perennantem deſcribendum, uſurpavit. Sed omnium clariſſimè Nehemiæ c. 8. v. 15. qo loco, vocabulo iſto qinqies repetito, populus σκηνοποιίας ἑορτὴν celebrans, narratur, *olivæ, pini, myrti, palmæ, arborum aliarum frondoſarum, ramos è montanis tuliſſe*, unde *tabernacula*, ſive *trichilas*, conficerent ſibi, in qibus per dies feſtos illos hilaria agitarent. neqe enim ex *foliis* meris, opinor, ea erant extructuri. itaqe in Geneſ. Junius, *folia*, vel *ramos*: Vatabl. *folia*, vel *frondes*. imò non

folia, ſed *ramos*, avt ſi libuerit, *frondes*. nam & *frons* Latinis, qo modo עָנָף Hebræis, tam *ramum*, qàm & *folium* deſignat. Cicero *pro Cœlio*: *Intercluſa frondibus & virgultis via.* Mela *l.3. c.10. Folia proximis deciſa frondibus.* Flaccus *l.1. ep.3. Fronde comas vincti.* Maro *Æneid.l.2.*

—delubra Deûm—feſtâ velamus fronde.—

Et *l.4.* *—templum*

Velleribus niveis & feſtâ fronde revinctum.

inde *Frondator* eidem, *Ecloga* 1. ad qem locum Servius; *Tria genera ſunt frondatorum: frondator, qi arbores amputat: et qi frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad paſtum offerendos: et qi manibus vitium folia avellit, qo ardor ſolis uvam maturiorem reddat. Frondibus* igitur *conſertis*, non *foliis conſutis*, confiebant conſtabântqe θεζώματα. prima illa, *veſtium* nomen vix, avt ne vix qidem commerita. At *veſtes* primas protoplaſtis paraſſe Deus ipſe refertur, ex *beſtiarum* cæſarum *pellibus*. qibus indutos, brutis animantibus, qorum veſtiebantur exuviis, qàm divino numini, cujus imaginem jam exuerant, ſimiliores propioréſqe pronunciat. Verſ.21,22. Eva verò deinceps (ſi Epiphanium avdimus *hæreſ.78. §.18.*) viro ſuo Adæ *ἰματια δερμα, Veſtes contexit: ἢ δερματινὰ* ſcil.à Deo edocta, ut cujus culpâ homo nudatus fuerat, ejuſdem operâ etiam amiciretur. Verum tam ego Epiphanio de *veſte contextâ*, qàm de *ſubligaculis conſutis*, illis fidem habeo.

Ἑξαπτέρυγον iſtiuſmodi vicem videtur obiiſſe alarum Seraphicarum par alterum: de qibus Eſajas c.6. v.2. *Seraphi ſupernè aſtabant illi: ſenis alis unuſqiſqe: qarum binis tegebant faciem ſuum; binis abtegebant pedes ſuos: binis avtem volabant.* Hebr. *ſex ala, ſex ale uni.* i.e. ſenæ unicuiqe. qo modo Ezek. c.10. v.21. *qatuor qatuor facies uni, & qatuor ale uni.* i. qaternæ facies unicuiqe, & alæ qaternæ unicuiqe. De alarum uſu ineptiunt Origenes, ejuſdémqe inſiſtens veſtigiis, in *ad Damaſum epiſt.* Hieronymus, qum non ipſis, ſed Deo utiqe, faciem pedéſqe Seraphorum alis obvelatos intelligunt; qo indicetur nimirum, abſcondita nobis eſſe, qæ ante mundum conditum ſint à Deo geſta, qæqe à ſeculi conſummatione futura ſint; inter-

media

media duntaxat esse mortalium oculis exposita. nec fœliciùs saniúsve illis qicqam hîc argutatur Bernardus in *concion. sylvan.* 103.

Cæterùm alis suis satellites illos cœlestes, binis faciem binísque pedes, non solio insidentis, sed suos, obtexisse vult Vates ἐνδύσεις καὶ διαφορητὰς; eóque interpretum pars longè maxima concedit. Inter qos & de *facie obdustâ* plerisque convenit. stuporis avtem id videtur esse, qasi ad divinæ majestatis fulgorem oculos ita perstrictos habentium, ut ἀπροσδιαλήπτως καὶ ἀπεριλήπτως non sustineant. Sed nec de *pedibus obnuptis* ambigi videtur, qin ut stuporis illud, ita pudoris istud & verecundiæ indicium existat, qasi vilitatem, nuditatem, immunditiem suam, ad præstantiam puritatémqe divinam collatam deprehendentium, eámqe agnoscere symbolo isto professorum. Verùm de phraseos ipsius notione genuinâ, havd ita liqidò patet; nec interpetum tot ullus qem hactenus viderim videtur advertisse. nos indagabimus saltem; si ruspando forsitan id qod res est, in lucem protractum dare poterimus.

Pedes itaqe *tegere*, non unâ ratione in scriptis sacris dicitur. Primò siqidem *pedes tegere κατ' εὐφημισμὸν* ponitur, pro eo qod est ἀποπατεῖν, *egerere, ventrem levare, alvum purgare.* Ita usurpatur in historiâ Judicum c. 3. v. 24. ubi de rege suo avlæ Moabiticæ ministri, *tegit pedes suos in cœnaculi æstivi conclavi.* item hist. Regum l. 1. c. 24. v. 4. de Savle, *in speluncam secessisse ad tegendum pedes suos.* ubi Jonathæ Targum *pedes tegere* exponit, *necessitatem suam facere.* qod & apud nos puelluli dicunt, **to do their needs.** Formulæ rationem veram prodidit Vir Cl. Is. Casavbonus in *notis ad Svetonii Avgustum c.* 82. tractam scil. partim à vestitus laxioris ac prolixioris ritu, qo non Hebræi soli, sed Romani Græcíqe veteres etiam utebantur; partim à τῆς περὶ κατακολουθίαν ὄντων gestu. unde Vatablus, *egerentium gestus.* qum enim ejusmodi vestes forent, necesse erat, ut corpore ad ventris onus deponendum inclinato, defluentes laciniæ pedes obtegerent. hinc Græcis in mentione ventrem levantium, vestis καθίλκυσις καὶ ἀνέλκυσις dicitur. Herodianus in *Macrino*, τὰς ἐσθῆτας τῆ μηρῶν καθέλκων. Proinde qod de Savle dicitur, *in speluncam ingres-*

ſus eſt ad tegendum pedes; id LXX qi dicuntur, reddiderunt, εἰς τὸ σκεπασθῆναι, i. *ad præparandum*, uti codices nunc habent, vel potiùs, uti Theodoretus exhibet in Reg. l. 1. qæſt. 56. εἰς τὸ ἀναπαθῆναι. i. *ad deponendum*, onus ventris, ſcil. Aquila, εἰς τὸ ἀποκενῶσαι. *ad evacuandum*. Joſephus *antiq. l. 6. c. 14.* ὅτι τῇ κατὰ φύσιν. *ad naturæ requiſita*; ſive, ut ex eodem Theodoretus ἐξηγητικῶς, (neqe enim ipſa ſunt Joſephi verba) τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιήσασθαι, *ut excretiones naturales faceret*. Jo. Zonaras *Annal. tom. 1.* εἰς ἀπόπατον. Vet. Lat. *ut purgaret ventrem*. In Eglonis autem hiſtoriâ qod eſt pariter dictum, Græci nonnulli, ὅτι διέρρει κάτω ἐν τῷ ἀποχωρήσει τῶν κοπρίων, *ſellæ familiaricæ inſidet in cubiculi ſeceſſu*. Vet. Lat. *ventrem purgat*. At LXX. ἀποκαθεῖται τοὺ πόδας αὐτοῦ. *evacuat pedes ſuos*. ubi *pedum* nomine, Druſius in *notis ad Judic.* intelligi vult, *id qo viri ſumus*; ut cum dicimus, *aqa pedum*, pro lotio, ſive urinâ. Verùm non videtur interpretatio iſta loco huic qadrare ſatis. neqe enim, opinor, φαγγεῖαν pati regem ſuum exiſtimabant avlici, ut in veſicâ evacuandâ moram tam diuturnam traheret.

Pedes tamen ἀντὶ τοῦ αἰδοίων, pro partibus verendis, uſurpari conſtat. qod & Vir doctiſſ. idem in *per epiſt. qæſt. c. 35.* monuit. iſqe revera vocabuli uſus, ad genuinam loci prophetici mentem, qaſi manu nos ducit. Sic enim Vatis ejuſdem c. 36. v. 12. & Hiſt. Reg. l. 4. c. 18. v. 27. pro eo qod שֵׁנֵיהֶם ſcribitur, i. *lotium, urinam*. legunt Judæi מֵימֵי רַגְלֵיהֶם *aqam pedum*. qod nec idem tacuit, *Obſerv. l. 15. c. 15.* pro qo Plinius, *aqam per pedes fluentem* dixit, *hiſt. natur. l. 30. c. 7. Præſentem dolorem levari, ſiqis aqam per pedes fluentem haurire ſuſtineat*. qod & Alber. Gentili *in lect. Virgil. c. 13.* eſt animadverſum. Huc faciunt & è Moſe illa: qod Jacobus patriarcha in Teſtamento condendo, Gen. c. 49. v. 10. *Non deficiet ſceptrum è Juda, neqe Legiſlator ab inter pedes ejus*, ſive, *è medio pedum ejus*. ubi LXX. ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ. Lat. Vet. *è femoribus ejus*. i. è poſteris, ex ab eo progenitis & propagatis. De qo loco, ex Doctorum qorundam Hebræorum ſententiâ Vatablus, *De ſemine ejus, qod egreditur de inter pedes ejus. alluſit ad ſitum pudendorum, qæ ſunt inſtrumenta generationis*. Et Druſius itidem *qæſt. l. 1. c. 36. Labor*, inqit, *ut credam*

dam ſignificari ſemen qod per pedes ejicitur, figurâ notâ. nam qòd alii pedum nomine femora intelligunt, inter qæ ſemen emittitur, non probo. Sed nec ipſe, qod adſcripſit Abraham Eſdraides, (qem tamen Calvinus ſecutus eſt) *locum* reſpici, *qem ſcriba obtinebant, ad,* vel *inter pedes judicum.* avt etiam qod Junius adnotavit; *Sumptum eſſe à parentibus, ad qorum pedes educantur liberi: qemadmodum etiam ad genua dicuntur educari, infra c.50.v.23.* miror magis, qòd, cum ita interpretatur, *ſimilem* ait *locutionem* haberi *Devt.c.28. v.57.* Siqidem locus ille, aliò planè ſpectat, eòdémqe diſertè, qò nos iſtic collineamus. ubi in comminationibus divinis ſic legitur; *Mulier comedet* שִׁלְיָתָהּ χόριον LXX. *corium illud, ſecundinas* vocitant, qo embryo in utero materno adhuc conſtitutus involvitur. i. *fœtum corio illi involutum; qod exit ab inter pedes ſuos,* ſive, *è medio pedum ſuorum.* Sept. rurſus, τὸ ἐξελθὸν διὰ τῶν μηρῶν αὐτῆς. Lat. *qæ egrediuntur de medio feminum ejus.* qo loco, non puerulorum ad pedes genuáve educatio, ſed infantium ex utero materno eductio, & è membranis, qibus involuti prodeunt, evolutio atqe excluſio, alluduntur. Denique ne longiùs abeamus, avt ulteriùs diſſertationem iſtam protrahamus, ſicut *aqa pedum,* pro lotio, qod è pudendis exit; ita *pilus pedum,* capite huic proximo, pro *pube,* ſive pilo, qi circa partes illas enaſcitur, uſurpatus deprehenditur: de qo & Ezek.c.16.v.7. *Ubera tua ſororiaverant.* ita ſcitè Junius, Plavtino uſus vocabulo; apud qem in *Frivolaria,* neſcio qis,

——— *tunc papillæ primulùm*
Fraterculabant. illud vulvi dicere,
Sororiabant. ———

unde tamen ſine fundo Feſtus colligit, *fraterculari* dici *puerorum mammas, cum primùm tumeſcunt,* ſicut *ſororiare puellarum.* cum vocabulum prius illud merè fictitium exiſtat, qod ludendo ille, qaſi per lingvæ lapſum alterius vice protuliſſe videri voluit. verùm ita expreſſit havd ineptè Vir Cl. qod שְׂעָרַיִם נָבְנוּ Hebraicâ habent. Seqitur, *Et germinaverat pilus tuus. pilus,* inqam, non *capitis,* ſed *pubis.* itaqe rectè doctiſſimus interpres idem, *pubes effecta eras, nubilis, & apta viro; qod hîc duobus ſignis exprimitur.* Sic ergo & Vates noſter,

qasi interpres ipse sui, Cap.7.v.20. *Abradet Dominus novaculâ conductitiâ, caput*, (sive, *pilum capitis*) *& pilum pedum, & barbam quoque ipsam vastabit.* qo loco, *pilus pedum*, cum à *verticis mentisque* pilo distingvatur, alius qam *pubis* esse non potest. Huic affine est, qod plebis nostratis ore jactatur, *saga indicium* esse, cui *vetulæ inter hallucem utrunque* (sic enim loqi amant) *pilus nullus suppetit.* qasi in partibus secretioribus illis mulierculæ ejusmodi à dæmone familiari suo (uti appellant) depilari consveverint. Nec longiùs abit, qod in eodem Ezekielis c.16. v.25. dicitur, *Aperuisti pedes tuos cuilibet transeunti.* qod Sirachides, ἀσχημοσύνως pavlò, c. 26. v.15. *ad pilum omnem sessura, & ad telum qodvis pharetram apertura est. Pedes* itaqe familiari admodum Hebræis formulâ loqendi pro partibus verendis usurpantur. Partes avtem illæ, cum τὰ δὲ σώματος ἀπιμότερα καὶ ἀσχημονέστερα, pro corporis humani inhonestioribus minúsqe decoris habeantur; (Cor.ep.1.c.12.v.23.) inde fit, ut spiritus illi cœlestes, dum effigie humanâ qasi convestiti comparent, dicuntur, *alis* alteris *obvelare sibi pedes.* i.e. partes illas, qarum prototoplastis jam lapsis obtegendi cura prima ac præcipua fuerat, qásqe ab aliorum conspectu cohibendas & cooperiendas esse, natura eos, qi verecundiam omnem non excussere prorsùs, universos planè edocuit. Atqe hanc genuinam loci mentem, verbiqe notionem veram esse, jam olim ariolatum, firmavit ampliùs, qod in Villalpandi *Tabulis* ad Templi delineationem Ezekielicam adjectis, Cherubos ita depictos posteà deprehendi, ut alis invicem complicatis partes illas obumbrarent. Post & in Salom. Glassium incidi, qi *Philolog. Sacræ lib.*1. *tract.*3. *sect.*8. Sanctium pariter locum hunc esse interpretatum monet. Sed ad Mosem historiámqe primordialem regrediamur.

In eâdem historiâ, commatio 16. refertur sententia in mulierem à Deo lata. eâ *partus & parturitionis dolores* præcipuè denunciantur: de qibus festivè pro more suo Basilius Selevciensis *orat.*3. Ἡ τὸ ἐντολῆς ἀκάρπου μὴ φυσαμένη, σὺ τοῦ ἑαυτῆς ἀνάδου καρπός. *Qæ fructui interdicto non peperciſti, circa ventris tui fructus dolores es expertura.* ut torminalis instàr unedonis fructus ille habuerit, qæ intestinos mulieri

sit

ſit conciliatura cruciatus, in fœtu tum geſtando, tum & enitendo. Sed Moſem ipſum Dei verba recitantem avdiamus. הַרְבָּה אַרְבֶּה עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ בְּעֶצֶב תֵּלְדִי בָנִים Græcus: πληθυνῶ τὰς λύπας σου καὶ τὰ στεναγμόν σου; ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα. Et Caſtellio. *Ego te multis doloribus arumníſque afficiam: tu natos cum dolore paries.* Vetus Lat. *multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Pagninus: *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuum: cum dolore paries filios.* Junius: *Admodum multiplico* (ſive, *valde multiplicabo*; Piſcat.) *dolorem tuum, etiam conceptus tui: in* (*cum*, Piſc.) *dolore paries liberos.* Ego malim, *Avgendo avgebo dolorem tuum*; hoc eſt, inſigniter avgebo, dolore inſigni afficiam te. nam הַרְבָּה tam *avgere*, qàm *multiplicare* ſignificat, tam *magnitudinis* qàm *multitudinis* notionem habet. qanqam benè factum, cum ſic vertiſſent, qòd *etiam conceptus*, potiùs qàm, *& conceptus*, reddidere, ut ὧν διὰ δυοῖν dictum ſit; ne proles numeroſa ex conceptu freqentiori, promiſſa magis, (cum benedictionis, & beneficii iſtud ſit) qàm denunciata videatur. Picherellus pariter; *conceptum tuum & dolorem tuum*: i.e. *conceptus tui dolorem*; ſive, *conceptuum tuorum dolores.* Sic Matth.c.4.v.16. ex Eſaj.c.9.v.2. Græco. *in regione & umbrà mortis.* i.e. *in regione umbra mortis*; ex Job.c.10.v.20. Sic qod Gen. c.2.v.7. eſt πνοὴ ζωῆς, Act. c.17.v.25. legitur, ζωὴ καὶ πνοή. Qod Reg.l.1. c.10.v.9. & alibi ſæpe eſt, *Judicium & juſtitia.* et Maccab. l.1. c.2. v.29. *Juſtitia & judicium*, in Græco legitur Devt.c.16. v.18. in Hebr. *Judicium juſtitiæ.* i.e. ut Hieronymus, *Juſtum judicium.* Sic Vergiliana loca, *In brevia & Syrtes*; *Molemque & montes*; *Radiis & avro.* interpretatur Servius, *In brevia Syrtium*, *Molem montium*, *Radiis avri*, ſive *avreis.* docens eſſe ἓν διὰ δυοῖν. Hæc ille Vir doctiſſ. Et eſſe qidem crebras formulas haſce, negari non poteſt. Sed nec locum hîc habere ego inficias iverim. cæterum qòd הֵרוֹן qaſi unanimi conſenſu *conceptum* vertere, havd itidem probandum cenſuerim. Etenim *conceptus dolores* qis unqam fando accepit? in conceptu lubentia magis conſvevit eſſe, in geſtatione & parturitione anxietas: qæ verbo עֶצֶב & עִצָּבוֹן hîc aptiſſimè exprimitur; cum ex voces τὰς ὠδῖνας, i. τὰς τῆ ἀγχυμόνων ὀδύτο-

κωντα

κωντι κ) τικτόντων ὀδύναι κ) λύπαι, *prægnantium, parturientium, & parientium dolores ac cruciatus*, propriè deſignare videantur. (licet & חיל Hymn.48.v.6.& חבל Eſajæ c.66.v.7. pro eiſdem uſurpentur) unde & יעבץ *Jabetſi* nomen proli indidit mater μογοστόκ@, qia בעצב *cum dolore genuerat*, vel *pepererat eum*. Annal.l.1.c.4.v.9. qo loco Græcus Ἰαβὴλ, & ἐν διαθέσει qaſi à נבל ſive בל nomen eſſet deductum. Non poſſum itaqe avt Abrahæ Eſdraidæ hîc aſſentiri, qi עצבון nomine vult hîc *dolorem* ſignificare בעת העניו בצאת ים בתולים qam virgunculæ in *congreſſu* primo experiuntur, reſpectu ad illa habito, Devt.c.22.v.15. voce proximâ, eum qem in conceptu, qem כבד *gravem*, non minus qàm partum eſſe vult, qi membro tertio deſignetur; avt Salomoni Jajro, qi primo vult עצר הנידול *moleſtiam educationis*, ſecundo העבור *congreſſus*, an *conceptus*, an *impregnationis* Job.c.21. v.10. tertio הלדה *partus* denotari. Neqe verò ſatis hîc fuerit, *conceptus* nomine *prolem* ipſam, ſive *rem conceptam* intelligere. licet הריון ita uſurpetur Ruth.c.4.v.13. *Et dedit illi Dominus conceptum*. i. ſobolem, *& peperit filium*. Sed & Latinis *conceptus* eo ſenſu ſumatur: unde *mortuus conceptus* Plinio *l.20. c.22.* neqe enim conceptæ prolis, ſed geſtantis parientiſqe dolores hi. Sed nec per Synecdochen totum uteri ferendi ſpatium *conceptus* nomine deſignari, qia is eſt alter intervalli terminus. (Varro *de re ruſtic. l.2.c.1. Fœturam appello à conceptu ad partum: hi enim prægnationis primi & extremi fines.*) neqe enim à conceptu ſtatim incommoda illa, qæ prægnantes infeſtant, mulieres invadunt. *Decimo à conceptu die* (inqit Plinius *l.7.c.6.*) *dolores capitis, oculorum vertigines tenebræqe, faſtidium in cibis, redundatio ſtomachi, indices ſunt hominis inchoati. Sed plurimùm langvoris capillum germinante partu.* Hæc avtem ille plurimum ab Ariſtotele habuit, cujus hæc ſunt *hiſtor.animal. l.7.c.4.* Μετὰ δὲ τὰς συλλήψεις αἱ γυναῖκες βαρύνονται τὸ σῶμα πᾶν, κ) σκότοι φέρουσι τῶν ὀμμάτων, κ) ἐν τῇ κεφαλῇ γίνονται πόνοι· ταῦτα δὲ οὐ πᾶσιν, κ) ἧττον δὲ καὶ ὀλιγάκις γίνονται, οὐδὲ βεβαίως· ὅτι δὲ ναυτιῶσι, κ) ἔμετοι λαμβάνουσι τὰς πλείστας. πολλαῖς δὲ κ) πολλάκις κ) φαγγρεῖαι γίνονται τὸ πλεῖστον. κ) πολλαῖς φέρει τὰ σκέλη οἰδήματα. οἰδοῦσι δὲ οὐ κύουσαι αἱ ὀδυνώμεναι γίνεσθαι παρὰ πολύ, κ) μεταβάλλειν ἐξίσως. ὁ καλῶς πως κυούσῃ· μάλιστα

λέγει ὁ ἀοῦν), ὅτιν ἄρχωνται τὰ παιδία τρέχειν ποιεῖν. Itaqe Oleaſtrius havd abſurdè הֵרָיוֹן *gravidationem* vult verti. mihi optio ſi detur, *prægnatum* prætulerim; qam vocem apud Tertullianum alicubi memini legiſſe; vel *prægnationem* etiam, qâ Varronem uſum oſtendimus. Verbum הָרָה propriè *prægnantem eſſe.* ἐν γαστρὶ ἔχειν, qo modo Græci LXX. reddidere. Geneſ.c.16.v.4. ubi vidit, כִּי הָרָתָה *prægnantem ſe eſſe,* ὅτι ἐν γαστρὶ ἔχει. Græc. Judic.c.13.v.3. וְהָרִית *prægnans futura es.* Græc. ἐν γαστρὶ ἕξεις. Inde Iſchomacho jocus qæſitus, qi mendicam torminibus vexatam percontanti medico, μὴ ἐν γαστρὶ ἔχει, *num in ventre haberet,* regeſſit, πῶς γε, τριταῖα μὴ βεβρωκυῖα; *qî poteſt, qæ triduo toto nihil guſtaverit.* de fœtu ille qærebat; hic de cibo reſpondit. refert Athenæus *dipnoſoph.l.*10. Cui affine, ſed ſerium, Septimii illud; *de jejun. c.7. Anna retro ſterilis impetravit à Deo inanem cibo ventrem filio implere. Ventrem* & *uterum* promiſcuè dixere. Eſuriens in Plavti Bœotiâ paraſitus, lavdante Gellio, *noct. Attic.l.3. c.3.*

Vt illum Dii perdant, primus qi horas repperit,
Qîqe adeo primus hîc ſtatuit ſolarium,
Qi mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium,
Multo omnium iſtorum optimum & veriſſimum.
Vbi iſte monebat eſſe: niſi cum nihil erat.
Nunc etiam qod eſt, non eſt, niſi ſoli lubet.

Qô alludens Ammianus *hiſtor.l.23.* de Perſis. *Nec apud eos extra regales menſas, hora eſt præſtituta prandendi: ſed venter unicuiqe velut ſolarium eſt; eóqe monente, qod inciderit, editur.* qanqam hoc *belluarum* eſſe cenſet Caſſiodorus *variar. l.1. ep.46. ex ventris eſurie horas ſentire, & non habere certum, qod conſtat humanis uſibus attributum.* Ita qod *uterum* Comicus, *ventrem* hiſtoricus dixit. In Comici verò verbis mendum ſubeſſe ſuſpicor, cum ſincera tamen videri poſſint. Mitto qod A. Gellii codices qidam pro *iſte iſſe* exhibent, qia vitioſum hoc exiſtimo: qanqam in eodem verſiculo forſan pro *eſſe* fuit *eſum eſt. ubi iſte monebat, eſum eſt.* ita enim, uti concipitur, pendet ſententia. nec animo facit ſatis, qod V. Cl. in *Exercit. Plinian.* exhibet, *Ibi iſte monebat eſſe,* &c.

Verùm illud, *Multo omnium iſtorum optimum*, avtumo fuiſſe, *Multo omnium ictorum optumum. icta* dixit *ſolaria*, qæ cœli ictibus, ad parietem, vel in pilis & columnis, erant delineata. *omnium ictorum optimum*, pro, ictis omnibus melius ac præſtantius. Superlativum pro comparativo: de qo alibi monemus. Sed de viâ in ſemitam. A verbo הָרָה *prægnantem eſſe*, fit nomen verbale הָרָה *prægnans*, ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ut Græci, Matth.c.1.v.18. & c.24. v.19. & Apoc.c.12. v.2. Sic de virgine Deiparâ Eſajas c.7.v.14. *Ecce virgo* הָרָה *prægnans futura eſt.* qod Matthæus c.1.v.23. reddidit, ἐν γαστρὶ ἕξει. Sic Davidi Bathſheba Reg.l 2. c.11.v.5. הָרָה אָנֹכִי ἐγὼ εἰμὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσα, LXX. *prægnans ſum ego.* Sic Hagari angelus Geneſ.c.16.v.11. הִנֵּךְ הָרָה *ecce tu prægnans es.* LXX. ἐν γαστρὶ ἕξεις. & Hiſtor. Reg.l.1.c.4.v.19. הָרָה לָלֶדֶת *prægnans*, ſive *gravida, partui vicina*; qod Græci ὀδίνουσαν dicunt, & τοκοῦσαν Cratinus, uti Pollux docet l.2.c.2. Joannes Apoc.c.12. v.2. ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν. Habet ea vox affinitatem cum הָר qod *montem* deſignat; unde & ὄρος Græcum. qia prægnantibus uterus montis inſtar intumeſcere & attolli ſolet. unde Statio *Theb.l.*12. *Certa tumentis ſpes uteri.* Sed & prægnantium ſpeciem montes qodammodo præ ſe ferunt. Notum eſt ex Plutarcho in *Ageſil.* & Athenæi *l.*14. illud regis Ægyptii, qo Ageſilaum perſtrinxit: Ὤδινεν ὄρος. Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο. τὸ δ' ἔτεκεν μῦν. *Mons parturivit: Jupiter expavit: murem autem ille peperit*: Et Flacci illud in *arte poetic.*

Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus.

tractum utrumqe à parœmiâ vetere,

Ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέλεκεν.

vel ab apologo Æſopico, qem ex Porphyrionis *ad Flaccum commentariis* habeas. Hinc factum ut הָרוֹת Amos c.1.v.13. alii de *mulieribus prægnantibus diſciſſis* intelligant, ut Hoſh. c.13.v.16. & Reg.l.4.c.15.v.16. in qibus eſt Salomon Jarus; alii de *montibus terminalibus diſſectis*, ſive *urbibus muniris*, qod inſtar montium habeant, *effractis & everſis*, accipiunt. in qibus eſt Paraphraſtes Chaldæus & David Camius; qi cum Abrahâ Ezraide, tamen utrumqe proponit. et iſtud, opinor, vero propius. Proinde הָרֹנִי עִצְּבוֹנִי ſunt *prægnationis*, ſive

ſive *geſtationis dolores*, diuturniores illi qidem, ſed lentiores; qibus parturitionis partúſqe ipſius, minus plerumqe diuturni, ſed acutiores & acerbiores ſuccedunt: unde factum ut anguſtiæ anxietatéſqe graviſſimæ qævis ac vehementiſſimæ *parturientium cruciatibus* conferri conſveverint. freqens admodum ea in ſacris ſcriptis collatio. Hymn.48.v.6, Eſaj.c.13. v.8. & c.26.v.17. Jerem.c.6.v.24. & c.22.v.23. & c.49.v.24. & c.50.v.43. Hoſh.c.13.v.13. Mica.c.4.v.10. Homerus item *Iliad* λ. de Agamemnone in pugnâ vulnerato, & ex vulnere ſiccato cruciatus graviſſimos perpeſſo:

Ὡς δ' ὅτ' ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δειμύ, τό, τε μογοστόκοι εἰλείθυιαι
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι·
Ὡς ὀξεῖ' ὀδύναι λύγον μίνυ Ἀτρείδαο.
Parturiens veluti mulier qando iſta ſagittâ
Acri & acutâ illâ fuerit, quam miſerit alma
Filia Junonis Lucina, doloris acerbi
Materiam præbens, & difficiles enixus:
Sic grauis Atrida penetrabat cor cruciatus.

Nec animadverſione indignum, qod Ariſtoteles obſervat *hiſtor. animal.l.7.c.9. mulierem* præ omnibus, qæ uterum ferunt, animantibus, maximâ cum difficultate eniti. τῖς μὲν οὖν ἄλλοις ζώοις οὐκ ὀδύνηροι γίνονται οἱ τόκοι, ἀλλὰ μαχιωτέρως ὀδυνᾶσθαί δοκεῖν ἐνοχλέμενα ἔοικε· ἡ δ' ὠδῖν γυναικὶ ζυμβαίνειν οἱ πόνοι ἰσχυρότατοι. *Aliis*, inqit, *animalibus non ſunt partus laborioſi: ſed apparet mitiores minúſqe moleſtos ea nixus experiri. at mulieribus dolores vehementiores obveniunt*: qod nos ἀυτολαξεῖ planè dicimus, **bave ſtronger labour.** Verum qod dicit, οὐκ ὀδύνηροι, *non ſunt laborioſi*; cum micâ ſalis, uti Juriſtæ loquntur, ſumendum: ut non adeò laborioſi, graves, moleſti intelligantur. Siqidem & de cervis, & capreis, ſive rupicapris Dominus Jobi c.39.v.3. *Incurvant ſeſe, excludunt* (ſive, diffindunt & diſſecant ſe edendo) *partus ſuos, emittunt dolores ſuos*. i. fœtus, qos enitendo, dolores & cruciatus experiuntur. neqe enim Junio accedo, qi illud de *fœtu* ipſo, iſtud de *fœtus involucro* accipit; & ad *ſeſeleos arîqe uſum* refert, ex Ariſtotele *hiſt. animal.l.9.c.5.* & Plinio *l.8.c.32.* qibus illæ ante partum, qo facilius enitantur, à partu, qo commodius

purgentur, veſci ſolenne habeant. nam putidiſſima planè ſunt illa R. Jajri; qi *ibices*, ſive *rupicapras* ait, *cum fœtus ſuos oderint, jam partui propinqas, rupem celſam aſcendere, unde partus, præceps dum prorui, intereat; ſed aqilam intervenientem, fœtum abreptum ab interitu vindicare: cervis itidem, cum per matricis anguſtias fœtum edere neqeant, præſto adeſſe draconem, qi morſu matricis os aperiat, qo facilius commodiúſqe ea parere poſſint.* Cæterùm mulieribus difficiliores eſſe partus, qàm reliqis animantibus, inde patet, qod illæ ad fœtum enitendum alienâ ope non indigeant, ſed obſtetricentur ipſæ ſibi, qum mulieres etiam ope artéqe opus habeant alienâ; Et nec citra hanc commodè ferè unqam pariant, & eâ etiam adjutæ, cum cruciatus graves nihilominùs plurimùm perpetiantur, adeò ut in ipſo ſæpenumerò intereant puerperio, tum ita plerumqe infirmentur, ut decumbere ad dies ſaltem aliqot cogantur: qod nulli alii animali à partu edito uſu venit.

Qemadmodum avtem in *muliere*, qàm in alio qovis animante, ita in *primiparâ* præ aliis graviores ſævioréſqe dolores iſti. Medicorum princeps *de natur. puer.* Μάλιϛα δ πονέονται αἱ γυναῖκες ἐν τῷ τόκῳ, ϗ πῖσι λοχίοισιν αἱ πρωτότοκοι. Inde Jerem.c.4.v.31. *Vocem qaſi parturientis audio; anguſtiam, qaſi primiparæ.* Hujus itaqe partui jam propinqæ geſtum per doloris cruciatúſqe impatientiam graphicè admodum ſic depingit Oppianus *de venat.l.1.* dum canem venaticum prædam inveſtigantem huic comparat.

Ὡς δ' ὅτι τις κύρη δέκατον περὶ μῆνα Σελήνης
Πρωτοτόκῳ λοχίῃσιν ἐπ' ἀδίνεσσι τυπῆσα,
Λύσατο μὲν πλοκάμους, λύσιν δ' ἀπὸ δαίδαλα μαζῶν.
Ἡ δ' ἀχίπων, ἀκαλήτι ϗ ἀκρήδεμνος ἐοῦσα,
Στεφωθᾶται πάντῃ χθὶ δόματα, ϗ μογέουσα,
Ἄλλοτε μὲν προδόμων μετανύσσατ', ἄλλοτι δ' αὖτι
Ἐς λέχος ἰδύνει, πολὺ δ' ἐκκονίῃσι ῥηϊτῖσι
Κωκύει ῥοδάλῃσιν ὀπισμύχοισι παρειαῖς.
Ὡς ὄγε δυμοζόεσσιν ἀνιάζων ὀδύνῃσι,
Τῇ ϗ τῇ δύνει πι, ϗ ἐξείης ἐρεείνει
Πάντα λόδον, ϗ πάντα λόφον, ϗ πᾶσαν ἀταρπόν,
Ἀνδρειὰ θ', ἠμειδίαϛ τι, ϗ αἱμασιὰς, ϗ ἀλωάς.

Primi-

Primipara ad Lunam ut decimam cruciatibus uſque
Crebris, qi partum praeunt, perſtricta puella,
Et crines ſolvit, ſolvitqe à pectore vittas;
Tum miſera, obſciſſâ tunicâ, paſsíſque capillis,
Pérqe ades paſſim diſcurrit, & acta dolore,
Nunc in veſtibulum ſe proripit, inde revecta
Projicit in lectum, avt in pulvere dira volutans
Ejulat, atqe genas roſeas ſibi lancinat ungve:
Vexatus ſic ille animum mordente dolore,
Huc illuc fertur, ſcrutatúrqe undiqe cuncta,
Collem omnem, ſaxum omne, nec ulla avt ſemita narem,
Avt ſtirps, avt vitis, ſepéſve, avt area fallit.

Nec poſſum tamen Oleaſtrii ſententiam probare, qi *geſtationis tempus protelatum* vult mulieri ex divinâ hac cenſurâ, ut *gravidatio* (uti ille loqitur) ei *multiplicata* dicatur, qòd *longiori tempore fœtum geſtare cogeretur*; qum alioqi concepto ſemine, formatóqe fœtu ſtatim fuiſſet editura, non avtem per menſes novem partum moleſtè præſtolatura. Neqe enim hoc in reliqis animantibus videmus uſu venire, ut à formatione ſtatim fœtum enitantur: nec neceſſarium erat; ut, ſi tempus conſvetum expectaretur, vel geſtatio moleſta, vel partus etiam difficilior idcirco fieret. qare enim uteri geſtatio in eâ ſorte moleſtiam crearet ullam, qæ ægritudine intemperiéqe omni corporeâ immunis prorſus erat futura? qare cum difficultate ac dolore partus tunc temporis neceſſariò conjunctus cenſeretur, cum etiam in ſtatu iſto, qi nunc obtinet, imbecillitatis atqe ærumnæ fœto, citra inſignem ullam, avt difficultatem, avt infirmitatem, qæ parturiant pariántqe, reperiantur nonnullæ? De Hibernis noſtris narrant hoc, qi in partibus illis degerunt aliqandiu, partui propinqam nonnunqam à menſâ recedere, & utero levato poſt pavlo ad veſcendum reverti. De Illyricis Varro *rei ruſticæ l.2. c.10. prægnantem* ſæpe, *cum venit pariendi tempus, non longè ab opere diſcedere; ibíqe enixam puerum referre, qem non peperiſſe, ſed inveniſſe putes.* qod ſi corporis exercitio, opeqe ac arte humanâ procurari poteſt, ut partus mitiores minúſqe difficiles fiant, qidni munere beneficióqe divino, abſqe curſus naturalis, qem alibi obtinere cernimus, immutatione, dolo-

ris difficultatísque omnis exors mulieri partus obtingere potuerit? Verùm qæri poterit, an mediis ullis licitè detur abuti, ad partus mitigandos, & dolores hoſce leniendos: & an hoc non ſit divinam velle ſententiam revellere, avt cenſuram etiam cœleſtem ſubterfugere. Cui ego qæſito ſic reſpondeam: tam licere modis mediiſque ordinariis, nec alioqi illicitis, dolores difficultatéſque iſtiuſmodi mulieribus levare; qàm eiſdem geminiſve morbos qoſvis, geſtationiſque incommoda, avt vitæ hujus mortalis ærumnas moleſtiáſque, qantum in nobis eſt, depellere & amoliri. nec cenſuræ divinæ ratione illâ contraimus magis, qàm & iſtâ.

Qin & illud obſervatum velim, verba illa ſententiæ in Adam latæ, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, ibid.v.19. interminati, non interdicti rationem habere. itaqe periocham iſtam havd ſatis commodè uſurpare, qi eam adverſus homines deſides & ignavos, etiamſi cenſurâ notâqe graviſſimâ planè havd indignos, intorqent, & inde probatum eunt, teneri unumqemqe ad certum vitæ, in qo ſe ſedulò jugitérqe exerceat atqe deſudet, inſtitutum aliqod arripiendum. Neqe enim iſtic *labor neceſſarius*, ſedulitáſve *injungitur*, qæ & ante lapſum obtinebat; ſed labori neceſſario, comes jam familiaris futura, *ærumna*, *laſſitudo*, tædium *adjungitur*. qæ lenire tamen, modò ne officium defugiendo id fiat, nemini unqam negatum eſt. Ac proinde cenſuræ juſtiſſimæ fundus infirmus ſubſternitur, ubi ex his verbis homines deſidioſi redarguuntur.

Illud deniqe ubi adjectum fuerit, caput hoc clavdam. Qod hîc Hebraicè dicitur בְּזֵעַת אַפֶּיךָ *In ſudore vultus tui*, reddunt pleriqe. At Picherellus, *Naſi tui ſudore*. Verbo, inqit, ſignificantiore, *ſudorem naſi* appellat maximum laborem, qo in fronte conceptus ſudor, guttatim per naſum defluit. Et vox qidem Hebraica primariò *naſum* denotat, qod & ortus indicat, tum ζωγραφικῶς *faciem*, ſive vultum: qo modo *os* Latinis, in Naſoniano illo *fabul.l.*1.

Os homini ſublime dedit.——

Potéſtqe in *naſi* nomine emphaſis eſſe aliqa. Sed de hoc viderint eruditi.

CAP.

Cap. IV.

Deum in juſtificatis delinqentibus peccatum nevtiqam videre, Libertinorum ævi hujus dogma abſurdum & impium. Qatenus non agnoſcat, ex orthodoxis priſcis definitum. Hymn. 32.1,2. & 85.2. piè priſcis explicata. Ruffini expoſitio rejecta. Et ratione & religione alienum oſtenditur dogma, qo à ſuorum delictis ſimpliciter cernendis numen arcetur. Balaami dictum Num.23.21. in hanc mentem detortum diſcutitur. A dogmatis illius favtoribus perperam, & adverſus ſuam ipſorum ſententiam, adhibitum. Aliorum etiam expoſitiones minus commodæ, rejectæ. Idololatria in eremo qoqe Iſraelitis exercita. חַטָּאת *an pro idolo uſurpetur. Idolis nomen* אָוֶן *qâ ratione detur.* אָוֶן & עָמָל *qid propriè ſignificent.* אָוֶן & עָוֹן *objectivè uſurpata.* חָמָס *itidem &* קְלָלָה *Sic Græcis* πονηρία, & ἁμαρτία. *Lux hinc variis locis data, Hymn.49.6. & 65.14. & 119.133. Heb.12.6.* Circumciſio *pro circumciſis. ἀντιτασσόμενοι qid, & unde tractum.* ב adverſus. *Viſio divina duplex, contemplationis, & comprobationis. Habakkuki verba cum Balaami dicto commiſſa.*

EXorta eſt ſeculo hoc noſtro, (qo, prout libertatis vel licentiæ potiùs avidum nimis eſt ingenium humanum, ἀνοσίας φύρημα, ſive μόρφωσιν, qam Pavlus dicit, ad Timoth. ep.2.c.3.v.5. πονηρίας ὄνειδισμα, uti Petrus loqitur, epiſt.1. c.2.v.16. faciunt havd pavci) nova hominum ſecta, qi in ſalutis Chriſtianæ negotio, qo juſtificationi coram Deo noſtræ, non primas tantùm concedant, ſed totum planè deferant, nec ſanctificationi qicqam reliqi faciant, locúmve aliqem largiantur, Deum contendunt in hominibus jam juſtificatis, ſibíqe in Chriſto ſuo reconciliatis, peccati culpæqe nihil prorſus intueri. Dogma abſurdum ſane, & qod numen omniſcium, ut cum ſchola loqar, planè neget. Concedimus qidem lubentes, Deum, prout & hominem, ubi culpam aliqam adverſus ſe admiſſam, verè integréqe remiſerit, non ad eam jam magis animum adjicere, eâve hactenùs ſaltem affici, ut adverſus eum, qi admiſerit, animum vel infeſtum vel infen-

infensum gerat, qàm si ne videat, avt ne norit qidem. Atqe hoc est qod Avgustinus, enarrans Psaltæ illud Hymno 32. v.1. *Beati, qibus remissæ sunt iniqitates, & qorum obtecta sunt peccata*; (cui geminum planè & illud, Hymn.85. v.2. *Condonaveras iniqitatem populi tui*; *peccatum eorum omne obtexeras*) *Si voluit tegere, noluit videre: si noluit videre, noluit advertere: si noluit advertere, nolnit animadvertere: noluit agnoscere, malnit ignoscere.* Sed & qod avtor, Hieronymi nomine insignitus, *commentariorum in Psalmos*, ad illa qæ sequntur, *Beatus vir, cui Dominus peccatum non imputaverit: Qod tegitur, non videtur: qod non videtur, non imputatur: qod non imputatur, nec punietur.* Qo loco meras nugas agit, qi Ruffini nomen præfert, dum alios indicari contendit, *qibus remissæ sint in fonte salutari iniqitates*; alios, qorum post tinctionem *admissa per resipiscentiam & emendationem fuerint obtecta:* alium deniqe, *virum strenuum*, qi & ideo *unus, qia rarus, cui, qum animi virtute fultus, ab omni se peccato criminali custodierit, Dominus peccatum non imputaverit.* planè contra Regis religiosissimi mentem. Cæterùm Deum sanctorum lapsus ac delicta nec cernere, qibus succensere, Exod.c.4. v.14. & Devt.c.9. v.20. qæ redargvere, Numer.c.12. v.8. qæ pœnis suppliciisqe sæpenumerò prosequi dicitur, Histor.Reg.l.2.c.12. v.10,11,14. Corinth.ep.1. c.11. v.30,32. qæ in conspectu ipsius perpetrari perhibentur, Hymno 51.v.4. affectus vitiosos morbidósqe ne nosse qidem, qos perfert, conqeritur, curat, corrigit, sanat, Esajæ c.57.v.17,18. Apoc.c.2.v.4. & c.3. v.1,2,15,17,18. est non à religione tantùm, sed à ratione omni prorsus alienum. Cæcum sanè surdúmqe, ex parte saltem, Deum faciunt; avt spectrum potiùs nobis pro Deo substituunt, qem cujusqam qicqam avt factum, avt dictum, avt concupitum, avt cogitatum, avt affectus etiam ullus effugiat.

Verùm urgent illi Balaami vatis verba apud Mosem Numer.c.23. v.21. qæ sic vulgò leguntur; *Non intuetur iniqitatem in Jacobo, nec aspicit perversitatem in Israele.* Ita ferè Junius, Pagninus, Tigurinus, Genevenses, Angli. Eliciunt ergo istinc cæculi isti, qi cæcitatem numini omnituenti affingunt, *Deum in justificatis culpæ nihil intueri.* At 1. rogo, qà facie,

facie, qâ fronte, locum hunc ad dogma ſuum ſtabiliendum iſti adducunt, qi, ubi nos priſcorum peccata à Deo reprehenſa, objurgata, caſtigata objicimus, reſpondere ſolent, eos ſub veteri pacto ante gratiam Evangelicam collatam degiſſe, aliam tunc temporis, qàm eſt nunc dierum, rerum iſtarum rationem extitiſſe? nihil dico, juſtificationis eandem planè utrobiqe rationem fuiſſe, ex Apoſtolo ad Romanos cap. 4. clariſſimè evinci; qum ab Abrahæ ac Davidis juſtificatione, ad omnium in univerſum fidelium abſolutionem, eo loci ratiocinetur, illâqe hujus ſpecimen ac imaginem vivam exhiberi contendat: illud duntaxat excipio, de Iſraele, qi tunc fuerat, Balaamum iſta protuliſſe, cujus tamen iniqitates ac perverſitates Dominus ſæpenumero, non vidiſſe tantùm, ſed & animadvertiſſe, & ſuppliciis diris caſtigatum ultúmqe iviſſe, hiſtoria ſacra paſſim evidentiſſimè docet. 2. Non de ſanctis tantùm avt juſtificatis è populo illo, ſed de populi illius, qi Iſraelis & Jacobi nomine deſignatur, corpore integro ac cœtu univerſo loqitur vates; prout verba & præcedentia & ſeqentia docent. Ecqos enim ut execraretur, à Balaco poſtulatum? ecqos ut ne execraretur, à Deo eſt Balaamo interdictum? avt qoſnam ex Ægypto eduxit Deus? num ſanctos juſtóſqe ſolos, an plebem turbámqe miſcellam? fruſtra ergo ad pavcos reſtringitur, qod de toto in univerſum cœtu enunciatur. 3. In adverſum tendunt Moſis verba, præceptúmqe per os Moſis à Domino ipſo populo huic ipſi datum. Devt. c. 23. v. 9–14. *Qum exibis exercitus adverſus hoſtes tuos, à re omni malâ caveto tibi. Siqis apud te fuerit ex caſu nocturno immundus, è caſtris exito, nec ad ea denuò regreditor donec veſperâ appetente aqâ ſe proluerit: tum Sole occaſo in caſtra revertitor. Item locus eſto tibi extra caſtra, ad qem ſecedas; & paxillus eſto tibi inter arma tua, qo qum ſeſſurus eris, fodias, & excrementa tua, priuſqam reverſus fueris, cooperias. Etenim Jova Deus tuus caſtra tua jugiter perambulat, ut eripiat te, hoſtéſqe tuos exponat tibi. Sancta itaqe ſunto caſtra tua; ne turpem rem aliqam apud te qum viderit, ſeſe à te avertat.* Qorſum enim Deus de munditiâ externâ tam anxiè obſervandâ tam accuratè interdicit, niſi ut de internâ immunditie omni ſedulò cavendâ cumprimis ſolicitos

eſſe voluerit? Alioqì certè ſtercore humano numen divinum nihilo afficitur magis, qàm fimetis ac ſterqiliniis ſplendor Solis, cujus radiis tamen attacta illa odores tetros fœtidóſqe exhalant vapores. Proin qi ſordes illas in caſtris Iſraeliticis non ſine deteſtatione inſigni ſpectaturum ſe comminatur, iſtas multo magis in cœtu illo animadverſurum ſe, & ad animadverſas ita offenſum & infenſum fore, ut præſentiam ſuam ſoſpitalem & ſalutarem ab eis ſubtracturus ſit, ritu illo præcipuè ſignificatum volebat. 4. Si & verſionem vulgò receptam admittere, & ad populum pium juſtúmqe reſtringere libuerit, ne ſic qidem elicietur neceſſariò, qod iſti volunt, *Deum ſuorum delicta nec cernere.* reſpondere ſiqidem in promptu erit, eo qem ſuprà diximus, ſenſu accipiendum, ubi reſipuerint illi, & condonaverit ipſe, Deum ad ſuorum admiſſa animum non ulteriùs adjicere, nec de ultione avt animadverſione jam ampliùs cogitare, cum qæ fecerint jam pro infectis habeat, juxta illud Bernardi *in Annunc. ſerm.* 1. *Utiqe qod factum eſt, non poteſt non fieri: ipſo tamen non imputante, erit qaſi non fuerit.* Ita explicat Vatablus; *Dominus peccatum Iſraeli non imputat propter fidem: peccat qidem fidelis, ſed ſtatim condonatur ei peccatum.* Jajrum, puto, ſecutus; qi *Deum* ait *in populi ſui tranſgreſſiones non ſolicitè inqirere.* Et Junius, *non imputat illis, ſed tegit & purgat peccata.* qâ eâdem incedit & Piſcator, & alii. Atqe hæc valida ſatis fuerint ad telum iſtud horum manibus excutiendum, qi dicto divino (is enim ipſe per Balaamum tunc locutus eſt) tam inſigniter abutuntur.

Cæterùm loci ſenſum geminum iſta non videntur attingere. Qàm exilis enim iſta populi lavs, qàm frigidum encomium, peccare qidem illos; ſed qæ peccant, Deum ſtatim condonata habere? peccata videre qidem Deum, ſed non advertere? itaqe *dilutam* meritò interpretationem hanc Calvinus dixit. Sed nec, qod ſuprà demonſtravimus, verum hoc de populo, qem Balaamus hìc loqitur. nam avdacter planè nimis Caſtellio, elegantiæ curioſior, qàm ſtudioſior veritatis: *Nulla culpa viſitur in Iacobeis: nullum facinus in Iſraelitis extat.* qanqam nec aliter ferè R. Abraham; *ideo non valere incantationes adverſus populum Iſraeliticum, qòd non*

ſint

ſint iniqitatei, qas apud eum Deus advertat. qi & ex hoc dicto Balaco anſam datam vult populum ad delinqendum trahendi, qò adverſus ipſos, Deo jam infenſo, prævaleret.

Sed alias vel verſiones vel interpretationes diſpiciamus. Chaldæus; *Non intuetur cultores ſimulacrorum in domo Iacob: nec videt idolis ſervientes in Iſrael.* Et Latinus vetus; *Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulacrum in Iſrael.* qod licet ab Hebraicâ veritate longiuſculè abeat; et longiùs etiam, qod Avg. Stevchus, *Non declinat vanitas ad Iacob.* (qaſi הטה non הביט ſcriptum eſſet) *nec diſplicet*, inqit, *qòd hanc vanitatem Hieronymus idololatriam interpretatur.* tamen Victorino Strigelio placuiſſe video, qi adnotat, *Non eſt idololatria in Eccleſiâ.* Aſtipulatur etiam doctiſſimus Exercitator *de legibus Moſaic. part. 1. l. 1. præcept. 2. exerc. 5.* cujus verba obiter pavcis diſcutiemus: *Tertium Dei attributum, qatenus eſt ens entium, eſt Bonum, bonitas, nemo bonus niſi Deus ſolus. at idola per viam appropriationis peccatum dicuntur. Thren. c. 1. v. 8. Populus meus commiſit peccatum. i. idololatriam. Sic Exod. c. 32. v. 22. Populus iſte ad peccatum proclivis eſt. i. ad idololatriam. Sic Numer. c. 23. v. 21. Non vidit iniqitatem in Iacobo. i. idololatriam. atqe hoc ſenſu ſumendus eſt locus ille Sirachid. c. 49. v. 5. Omnes reges Iſraelis peccatores fuerunt, exceptis Davide, Ioſiâ, & Ezechiâ. i. fuerunt Idololatræ.* Hæc ille. Atqi 1. ne unus qidem locorum iſtorum, etiam eo, qo ipſe poſcit, ſenſu acceptus, id firmat, ad qod probandum adducitur; nempe *idolum ipſum peccatum* dici. neqe enim avt ὁ Ἑβδομήκοντα dicit, *Populus meus idolum commiſit:* avt ὁ Ἀπολλωνίου, *Populus iſte eſt ad idolum proclivis:* nec ipſe etiam ſic enarrat. poterat aptiùs pavlò illud Moſis adduci Devt. c. 9. v. 21. *Et peccatum veſtrum, vitulum, qem feceratis, accepi.* ubi de idolo *peccatum* enunciatur. Verùm *peccatum veſtrum*, nihil eſt aliud etiam iſtic, niſi id, in qo peccaveratis. 2. nihil eſt qod cogat, *peccati* avt *iniqitatis* nomine locis illis *idololatriam* ſolam deſignari; qum alia etiam flagitia ac facinora populus ille perpetraſſet; & ad alia peccata ac delicta etiam proclivis nimis fuerit. *peccatum*, inqit ille, *peccavit.* i. *graviter peccavit.* ut rectè Piſcat. חוֹבָא רַבָּא חָבַת *peccatum magnum,*

magnum, vel etiam *multum peccavit*. Chald. ſicut David Hymn.19. v.13. מִפֶּשַׁע רָב *à delicto multo*, vel *magno*. & Hymn.25. v.11. *propitius eſto peccato meo*, כִּי רַב הוּא *quoniam multum*, vel *magnum eſt*; vel potiùs, *quamvis* (qo modo ea particula uſurpatur, Gen.c.8.v.21. Joſh.c.17.v.18. Hymn. 23.v.4.) *multum, magnúmve exiſtat*. qod de idololatria nemo ſanus acceperit, nec amplius qicqam de populo Aaron, qàm *ad peccandum proclivem eſſe*. 3. nec Sirachidæ verba tam reſtrictè ſumi opus eſt; ſed qod cæteri reges omnes graviſſimè peccaverant. qin & de Joſhaphato falſiſſimum eſt, idololatram eum unqam extitiſſe: & de Aſâ itidem, de qo extat elogium celebre admodum, à Spiritu Sancto profectum, Hiſtor.Reg.l.3.c.15. v.14. & Annal.l.2.c.15.v.17. *excelſa quidem* ſub ipſo *non fuiſſe amota*; *Aſa tamen animum erga Iovam integrum fuiſſe omnibus diebus vitæ ejus*. qod ad cultum divinum Junius peculiariter refert. 4. אָוֶן qatenus idolis tribuitur *vanitatis* potiùs, ſive *mendacii*, & *rei nihili* ſignificatum habet. unde *Bethel*, qaſi *domus Dei*, qi dictus fuerat, locus, ob divinam apparitionem eo loci Jacobo factam, cultúmqe ab eodem inibi præſtitum; poſt vitulum à Jeroboamo ibidem conſtitutum, *Bethaven* jam, qaſi בֵּית אָוֶן שָׁוְא i. *vanitatis & mendacii domus*, ut Chaldæus interpres & Doctores Judæi etiam monent, ab Hoſeâ dictus eſt, c.4. v.15. & c.5.v.8. & c.10.v.5. & minitando Deus ruinam ejuſdem, Amoſi c.5.v.5. *Bethel erit in Aven*. i. *in nihilum redigetur*, ut Chald. non ampliùs futura. atqe hoc ſenſu potiùs τῷ ὄντι, & τῷ ἀγαθῷ, qatenus *ens* & *bonum* convertuntur, τὸ אָוֶן opponitur, qum idolis tribuitur; qæ & eâdem ratione אֱלִילִים qaſi *res nihili* appellantur, & οὐδὲν εἰδώλιον Apoſtolo dicuntur, ad Corinth.ep.1. c.8. v.4. Deniqe nec idololatriâ immunis prorsùs extiterat populus Iſraeliticus, etiam cum in eremo ageret. qod & locus ille ex Exodi c.32. prout ab ipſo iſtic explicatum habemus, evincit. et verò Amoſi verbis diſertiſſimè Dominus ipſe atteſtatur, Amos c.5. v.25,26. Act.c.7.v.41—43.

Obſervavit hoc Calvinus, qi hanc interpretationem etiam ideò meritò repudiat. ipſe *nihil aliud* vult ſignificari, *qàm populum eſſe Deo gratum, utpote qi ſanctificaverit eum. unde civitas ſancta ſit dicta* Eſajæ c. 1. v. 21. *& populus ſanctus*

Devt.

Devt.c.14.v.2.& *palmites ſancti, à radice ſanctâ enati.* Rom. c.11.v.16. Verùm nec iſta nobis ſatisfaciunt, qandoqidem cum contextus ipſius verbis havd ita probè conveniant, nec Calvinus ipſe in eiſdem acqievit. *Aptiorem* ſuperiore *ſenſum* ab eis dari cenſet, qi *non eſſe populum violentiis & injuriis deditum, qia vocabula hîc uſurpata ea iniqitatum genera ſignificant, qæ ad homines lædendos & injuriandos tendunt,* qod eſt, uti mox videbitur, veriſſimum.

Idem aliqâ ex parte vidit Hieron. ab Oleaſtro, ſed cum ſuperiora pleraqe recitaſſet; & ex Chaldæo perperam habito ad avguria ac incantationes aliqando retuliſſet; nec ubi pedem figeret, certius qicqam occurreret, eò tandem delapſus eſt, ut ſenſum hunc daret, *Non videre fecit Dominus fatigationem in Iacob, & non vidit laborem in Iſraele.* i. *non permiſit eum plus æqo in itinere laborare, neqe fatigari.* qi ſenſus ſanè mihi valdè jejunus eſt, licet Græci ejuſmodi aliqid voluiſſe videantur, qi reddunt, οὐκ ἔστι μόχθος ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραήλ.

Ad Vatis mentem proximè accedit, qod loco ultimo propoſuit Calvinus, *Deum non aſpicere iniqitatem vel moleſtiam in Iacob, qia permittere nolit illum injuſtè gravari vel affligi.* Proinde ego ſic verterim: *Non intuetur,* (id eſt, non ſuſtinet intueri) *iniqitatem* (injuriam) *adverſus Iacobum*; (ſive Jacobo illatam:) *nec videt* (i. videre ſuſtinet) *moleſtiam* (i. afflictionem, vexationem) *adverſus Iſraelem.* אָוֶן *iniqitas, injuria, afflictio.* עָמָל *vexatio, moleſtia.* Jobi c.5.v.6. *neqe enim prodit è pulvere* אָוֶן *afflictio*; *neqe ex terrâ progerminatur* עָמָל *moleſtia, vexatio. Verùm natus eſt homo* לַעֲמָל *ad moleſtiam*; (ne de opere exercendo intelligatur, cum de ærumnis dictum ſit) *qo modo ſcintillæ in altum evolant.* Ibidem c.4. v.8. *qi arant* אָוֶן *iniqitatem, & qi ſeminant* עָמָל *moleſtiam, metunt eam.* i. ut optimè Piſcator: *Qi ſceleratè vivunt & aliis moleſtiam exhibent, tandem propter ſcelera ſua à Deo puniuntur, & ipſimet moleſtiâ afficiuntur.* Et c. 15. v. 35. *Prægnantes ſunt* עָמָל *moleſtiâ, & pariunt* אָוֶן *iniqitatem, & venter eorum parat fravdes.* Vides conjuncta ſimul, *iniqitatem, moleſtiam, fravdem,* familiares & ſolennes improbitatis fructus. nec ſecus Eſajæ c.59.v 4. הָרוֹ עָמָל וְיוֹלִיד אָוֶן *concipiendo moleſti-*

am, & pariendo iniqitatem. Et Hymn. 7. v. 15. *Ecce parturit* אָוֶן *iniqitatem; prægnans eſt* עָמָל *moleſtia; & peperit,* שֶׁקֶר i. דָּבָר שֶׁקֶר *negotium falſum.* Piſcat. *falſum* aliqid *peperit.* vel, *ſed pariet* שֶׁקֶר *mendacium, falſitatem, vanitatem.* i. ſpe ſuâ fruſtrabitur. Et Hymn. 36. v. 4. *verba linguæ ipſius* (improbi) עָמָל וּמִרְמָה *moleſtia, vexatio,* ſive *dolor, & dolus.* Et Hymn. 10. v. 7. *Plenum eſt os ejus execratione, fravdibúſque, & dolo: ſubeſt linguæ ipſius* עָמָל וְאָוֶן *moleſtia & iniqitas.* hæc ſunt qæ is jugiter meditatur & loqitur.

In Jacobum, & in Iſraelem. i. adverſus Jacobum & Iſr. ita enim planiſſimè בְּ uſurpatur, commatio penè proximo; *non eſt incantatio adverſus Jac. neqe divinatio adverſus Iſr.* Ubi nec illud obiter monere abs re fuerit, אָוֶן & עָוֹן in Hymnis ſacris à viris ſanctis, non pro ſuâ, prout pleriſqe placet, qam in ſe cum gemitu ſentiunt, ſed pro alienâ, non ſemel accepta deprehendi, qam ab inimicis ac malevolis illatam ſibi experiuntur: ſive ut latiùs pavlò obſervationis hujus limites protollamus, *non ſubjectivè*, prout in ſcholis loquntur, ſed *objectivè*, iſta ſumi. Ita אָוֶן ego ſanè ceperim Hymn. 119. v. 133. *Greſſus meos firma in ſermone tuo*: (i. juxta promiſſionem tuam, ſic enim אִמְרָה ſumitur verſ. 38. & 123.) *nec dominium obtineat* בְּ *adverſus me* כָּל־אָוֶן *ulla iniqitas.* i. e. ullius cujuſqam, qâ me impetit & impugnat, iniqitas, ſive *iniqitas ulla.* i. e. iniqi, avt improbi ulli: *iniqitas* pro iniqis. Sicut περιτομὴ *circumciſio*, pro circumciſis. Galat. c. 2. v. 7, 9. qo ſenſu & Chriſtus διάκονον περιτομῆς, *miniſter circumciſionis* dicitur, non qòd circumciſionem procuraverit vel promoverit, ſed qòd circumciſis inſervierit, vel, qò rem propiùs accedatur, prout πονηρία *pravitas, improbitas*, pro pravis & improbis; & ἁμαρτία, *peccatum*, pro peccatoribus: qo modo ſumenda illa, Epheſ. c. 6. v. 12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, *ſpirituales pravitates*, ſive *improbitates*, pro pravis improbiſqe ſpiritibus. Sed & qod Hebr. c. 12. v. 4. οὔπω μέχρις αἵματος ἀντικατέστητε, πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀνταγωνιζόμενοι. *nondum ad ſangvinem uſqe reſtitiſtis, adverſus peccatum decertantes.* à pugilatu traductum monet Petrus Faber *agoniſtic. l. 1. c. 9. & 12.* de qibus ut ἀντικαταῦναι iſtic Apoſtolus, ita ἀντίαιξας Sophocles in *Trachiniis*, & ἐναντίον κλαῦσαι, Theocritus *idyll. 22.* qod μέχρις αἵματος

μαλῶ ait, & eoſdem ſpectat, de qibus Seneca *epiſt.* 13. *Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, qi nunqam ſuggillatus eſt. ille qi ſangvinem ſuum fudit,* (vel, Lipſio autore, *vidit*) *cujus dentes crepuere ſub pugne, ille qi ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus, qi qoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magnâ ſpe deſcendit ad pugnam.* Idémqe *de provident. c.* 4. *Veteranus cruorem ſuum ſpectat, qi ſcit ſe ſæpe viciſſe poſt ſangvinem.* qod Maro *Æneid. l.* 5. de Darete,

——— *craſſúmqe cruorem*
Ore rejectantem, miſtóſqe in ſangvine dentes.

πρὸς τὴ ἁμαρτίαν, *adverſus peccatum. Poteſt,* inqit Piſcator, *intelligi vel de peccato inhabitante, & in periculis ad defectionem ſolicitante: vel de peccato hoſtium Evangelii ad defectionem ſolicitantium; vel etiam de illis ipſis peccatoribus.* πρὸς τὴ ἁμαρτίαν. i.e. πρὸς τοὺ ἁμαρτωλὸς, de qibus verſu proximo dixerat. Sangvinem enim in martyrio profundendum voluit. è poſterioribus utram elegeris, perinde fuerit. ſicut ergò apud Apoſtolum *peccatum*, pro hoſtium profeſſionem Chriſtianam perſeqentium peccato, vel pro ipſis etiam peccatoribus hoſtiliter agentibus: ita apud Pſaltem *iniqitas*, vel *improbitas*, pro adverſantium ſibi improbitate ſive iniqitate, vel etiam iniqis improbíſqe ipſis eidem adverſantibus. Svadet qod ſeqitur, verſu 134. *Redime me ab oppreſſione hominum.* qo tamen loco עֹשֶׁק אָדָם Jajrus interpretatur עֵצֶר רָעָה *cogitationem* ſive *concupiſcentiam malam*, qæ creaturam ſive hominem premit & deprimit. qo modo & אָוֶן exponit Camius, qem plerique ſequntur, ex Hymno 19. v. 13. ſed mihi prius illud potius videtur, & cum ſeqentibus melius convenit, aptiùs cohæret: Sic Hymno 49. v. 6. *Qare timerem,* (animum deſponderem) *in diebus mali.* (i. tempore adverſo) *qando* עֲוֹן *iniqitas calcaneorum meorum undiqe me cingit.* i. qando iniqi atqe improbi homines, hoſtes mei, qi calcaneis meis inſidiantur, eóſqe, qaſi mox ſupplantaturi me, acriter premunt, ab omni parte me obſidebunt. atqe in hunc ſenſum interpretantur, commodiſſimè planè ac ſimpliciſſimè, duumviri inſigniſſimi Calvinus & Mollerus. eúmqe Hymni contextus evincit planè, nam Hebræi doctores nugas iſtic agunt nugaciſſimas.

Nec

Nec ſecùs חָמָס uſurpatum deprehendas, Gen. c. 16. v. 5. ubi, חָמָסִי עָלֶיךָ *Violentia*, ſive, *Injuria, mea* (h.e. mihi illata) *ſuper te* eſto; inqit, ab Hagare ſpreta, Abrahæ Sara. Et Jerem. c. 51. v. 35. ubi, חָמָסִי עַל־בָּבֶל *Violentia*, ſive, *Injuria, mea*, (i.e. in me exercita, mihi illata) *ſuper Babelem* eſto. ei imputetur, in eam ita incumbat, ut in eâ vindicetur; inqit populus Iſraeliticus, ſub ejuſdem imperio in exilio ſervitioqe gravi ſatis, conſtitutus. Sed & קְלָלָה Gen. c. 27. v. 13. ubi Jacobo Rebekka עָלַי קִלְלָתֵךְ *ſuper me eſto maledictio tua.* h.e. maledictio, qæcunqe adverſus te vibrata fuerit, in me recidat. Qin nec aliter ego qidem ceperim (renitente licet totâ interpretantium cohorte) Pſaltæ illud Hymno 40. v. 13. ſub Chriſti perſonâ enunciatum, *Innumerabilia* עָלַי אַפְפוּ *circundederunt*, ſive, ut Junius, *circundantia invadunt, me mala: aſſequuntur*, ſive, *aſſecutum* deprimunt, *me* עֲוֹנֹתַי *iniqitates meæ.* (i. e. iniqæ adverſariorum adverſus me machinationes) *ut ſuſpicere neqeam.* prout noſtri reddunt. *diſpicere*, Junius. *videre*, Vulg. Interpres & Tigurinus. עָצְמוּ *numeroſiores ſunt capillis capitis mei.* qod formulâ eâdem de adverſariis ipſis pronunciatur, Hymn. 69. v. 5. idqe eo mihi probabilius videtur, qia nulla per hymnum totum peccatorum confeſſio vel delictorum agnitio, de vexatione atqe afflictione conqeſtio jugis, deprehenditur. Nec diſpar mihi judicium de verbis illis Hymn. 65. v. 4. דִּבְרֵי עֲוֹנוֹת *Verba iniqitatum.* λόγοι ἀνόμων. Græc. *Verba iniqorum.* Lat. Sed, *verba iniqitatum*; pro, res iniqæ, (ut דִּבְרֵי צוֹמוֹת *verba*, ſive, *res jejuniorum*; *negotium de jejuniis.* Eſt. c. 9. v. 30. & דִּבְרֵי הַפֻּרִים *negotium de ſortibus.* ibid. v. 31. et דִּבְרֵי הַבְּאֻרוֹת *res cohibitionum*, pluviæ ſcil. Jer. c. 14. v. 1. iniqa improborum hominum conſilia & machinamenta,) *adverſus me prævaluerant.* ex perſonâ enim populi ſui loqitur; uti monuit Eſdræ filius. Sed nec de illis Hymn. 39. v. 8. מִכֹּל־פְּשָׁעַי *Ab omnibus rebellionibus meis*, (non qibus adverſus te rebellis ipſe extiti, ſed qibus adverſus me eſt ab aliis rebellatum) ſive, *Ab omnibus rebellibus meis*, (i.e. adverſus me rebellantibus) *eripe me.* etenim ad ea digitum intendere videtur, qæ partim à filio rebelli ejuſdémqe aſſeclis; partim à ſubdito neqam Shimeio eidémqe comparibus, per fugam ſuam perpeſſus fuerat, itaqe

ſeqitur,

ſeqitur, *& in opprobrium ſtolidis ne exponas me.* qanqam non ſum neſcius, tam מִפְּשָׁעִים הַצִּילֵנִי *de rebellionibus erui*, qàm מִדָּמִים הַצִּילֵנִי *à ſanguinibus erui.* i. e *à cædis reatu*, dici poſſe. Cæterùm de iſtis, qæ non adeò certa claráqe exiſtunt, ſuus per me cuiqe ſenſus liberrimè condonetur. in prægreſſis ſic ſumi, dubitandi nullus cuiqam eſſe qit locus. Pari ergò modo אָוֶן & עָמָל apud Moſem accipienda, qo in Hymnorum locis illis, אָוֶן & עָוֹן pro hoſtium nimirum iniqitate & vexatione, qâ illi Dei populo moleſti eſſe conantur.

Porro *videre iniqitatem, & afflictionem intueri*, eſt viſam ſuſtinere. Jobi c.11.v.11. וַיַּרְא אָוֶן *num videret iniqitatem & non animadverteret? videret*; i. videre ſuſtineret. aliud eſt Hymn.10.v.14. עָמָל וְכַעַס תַּבִּיט *certè tu moleſtiam & indignationem*, (vel *triſtitiam* potiùs, ut Eccleſ.c.7.v.3. ſive *vexationem, qam* nimirum *improbus creat piis.* Piſcat.) *vides.* i. attendis, advertis, conſideras. Verùm ad rem præſentem appoſitiſſimè Habakkuk.c.1.v.3. & 13. qi locus, iſti planè compar eſt. Conqeritur Vates commatio 3. qòd cogatur *videre* אָוֶן *iniqitatem, & intueri* עָמָל *moleſtiam*, & וְשֹׁד וְחָמָס *vaſtationem & violentiam ob oculos habere.* tum commatio 13. cum Deo expoſtulat qodammodo. *At tu*, inqit, *purioribus es oculis* מֵרְאוֹת רַע *qam ut malum videas.* i. videre ſuſtineas. וְהַבִּיט אֵל עָמָל לֹא תוּכַל *neqe potes* (i. non ſuſtines) *moleſtiam* (vexationem, ærumnam à ſceleratis illatam) *intueri.* לָמָּה תַבִּיט *qare intuereris* (i. intueri ſuſtineres) *perfidè agentes? ſurdum ageres*, (tacendo, nec vindicando) *dum improbus ſemet juſtiorem abſorbet & deglutit?* לֹא תַבִּיט *Non intuetur*, dixit Balaam, *avri* לֹא יוּכַל תַּבִּיט *Intueri, non poteſt, non ſuſtinet*, uti pleniùs Habakkuk: ſicut לֹא יָכְלוּ *non continebunt* (i.e. *continere neqeunt*) *aqam.* Jer.c.2.v.13. *Videt* qidem *viſione contemplationis, viſione* verò *comprobationis non videt. videt*, qia intuetur; ſed abſqe diſplicentiâ & deteſtatione *non videt*, licet toleret atqe ſuſtineat ad tempus. Viſe ſis Eſajæ c.26.v.17,18. & Thren.c.3. v.34-36. אָוֶן & עָמָל avtem & eodem planè ſenſu uſurpavit Vates uterqe & divinator & divinus. Iſta verò ni locum illum illuſtrent clariſſimè, ego nihil video.

Cap. V.

*Verba Historici Est.*1.8. *discussa. Aliorum expositiones variæ in medium productæ, & examini subjectæ. Persarum veterum instituta, ratione victus, restrictiora. insequentium mores solutiores.* ωεχοίδες *Xenophonti qid. Xenophon obiter emendatus. matulæ in conviviis adhibitæ.* mos, *&* rus, *unde.* הורח *in Esteræ historiâ qid velit.* אנס *tam* cohibere *&* coercere, *quàm impellendo* cogere. *Locus Daniel.*4.9. *explicatus. Verborum historici dicti mens genuina. Veterum ritus pocula mensis apponere. Mensa convivis cibusque aqualis. illiberalis, ubi secus sit.* Jo. Vemesii *de loco dicto dissertatio discussa.* Judæi *an in conviviis generatim Ethnicis immoderatiores. Persæ an cum primis moderati. Horum victus ante imperium acquisitum restrictior; post laxior & lautior. Choaspis aquâ solâ Reges usos, historici. In cœnâ primâ num & Persæ reliqui. Mensæ primæ & secundæ Persis quales. Vallæ in Herodoto lapsus. Assuerus Vastin accersiri quando jusserit.* שוב לב *qid.* Οἰνόπται *Athenis qi fuerint. cur* ὀψαλμοὶ *dicti. Evpolidis de suis querimonia.*

LIbri Esther avtor, quisquis is fuit, operis initio convivium magnificum multis describit, quod regni sui proceribus totique Susorum populo Assuerus rex exhibebat. Inter alia, quæ commemorat, *potandi*, vel potus, *potum exhibendi, legem*, his verbis, quæ satis ambigua videri possunt, refert; cap.1.v.8. וְהַשְּׁתִיָּה כְּדָת אֵין אֹנֵס ea Junius involutè nimis sic reddidit: *Potum autem ex jure nemo exigebat.* explicatiùs Piscator; *Potatio autem fiebat secundum legem: nemo cogebat.* Et rectè interpretatur, *secundum legem, illam nempe quam Rex dederat ministris*, ut mox declaratur. *Sic enim Rex in mandatis dederat ministro cuique domus suæ, ut facerent pro voluntate uniuscujusque.*

De duabus vocibus hîc ambigitur, דָּת & אֹנֵס Alii ergo nomine דָּת legem apud Persas publicùs latam intelligunt de potus usu immodico nimiòque cohibendo. atque huc inclinat Ixenius. *Potest*, inquit, *intelligi, ut in hoc convivio publicæ sobri-*

ſobrietatis lex & conſvetudo, qæ hactenùs apud Perſas obſervata fuerat, negligeretur. Maximam enim Perſis fuiſſe cibi & potus moderationem, oſtendit his verbis Xenophon Cyri inſtitut. l. 1. Αἰσχρὸν γὰρ ἔπι καὶ νῦν ἔστι πάρυσις καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσας μετὰς φαίνεσθαι· αἰσχρὸν δ' ἔπι καὶ τὸ ἰόντα τινὰ φανερὸν ἡδέως, ἢ δ' ἀφῆσαι ἕνεκα, ἢ ἄλλου πόθεν τοιούτου. ταῦτα δ' οὐκ ἂν ἐδύναλο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μαλεία ἐχρῶντο, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνάλισκον, ὥστε ἄλλῃ ποι ἀποχωρεῖν. *Turpe etiamnum apud Perſas habetur exſpuere, emungi, flatu refertos deprehendi: turpe etiam per viam veſicæ levandæ vel alterius ejuſmodi rei cauſſâ ſecedentem aliqò conſpici. qæ fieri non poſſent, niſi victu modico uterentur, humidúmqe elaborando conſumerent, ut aliâ aliqâ viâ excerneretur. nec iniquum eſt*, inqit avtor idem, *ut juſtis de cauſſis de legis ſeveritate aliqid interdum remittatur.* Huic interpretationi favere videri poſſit Junii verſio illa obſcura ſatis, *Potum ex jure nemo exigebat.* q. d. nemo exigebat, ut ad legis præſcriptum potaretur. LXX. qi dicuntur apertè ſuffragantur. Ὁ δὲ πόσις ἦν ὃν κατὰ τεταγμένον νόμον ἠγόνιζο. *Potatio avtem iſta*, ſive potationis ratio, *non ſecundum legem propoſitam inſtituebatur.* Verùm & coacta nimis verſio iſta videtur: nec legis iſtiuſmodi apud Perſas latæ mentio ulla in Xenophonteis illis. nec nullius ſanè momenti videtur & qod Piſcator obſervat, דָּת legi cum articulo הַ ut *regis edictum* miniſtris ſuis eo tempore datum intelligatur.

Alii igitur pleriqe in adverſam huic planè ſententiam abſcedunt. *Vetat Rex*, inqiunt qidam, (eodem Brentio referente,) *compotationis certamina, qæ jam tum in Perſarum imperio obtinuerant*, ita ex malis moribus bonæ naſcuntur leges. nam poſteri Perſarum ab antiqo moderati victus inſtituto deflexiſſe notat & Xenophon operis ejuſdem *l.* 8. cum aliis multis, tum his verbis: Ἦν δ' αὐλοῖς νόμιμον, μηδὲ τοὺς ἀσκοὺς εἰσφέρειν εἰς τὰ ζυμπόσια, ἡλιόθεν νομίζοντες τὸ μὲ ὑποπίνειν, ἧττον ἂν τὰ σώματα καὶ γνάμας σφάλλειν. νῦν δὲ μὲ εἰσφέρειν ἔπ ἂν δυναμένοις τοσοῦτον δ' πίνειν, ὥστε αὐλὸν μὲ εἰσφέρειν αὐλοὶ ἀφίεσιν), ἐπὶ δὲν μηκέτ δύνασ) ὀρθούμενοι ἐξιέναι. In Xenophontis verbis mendum ſubeſſe videtur, qod havd nuper tamen irrepſerit, αὖ pro αὐτὰς, τὰς ἀσκοὺς ſcil. priùs dictas. has avtem Athenæus *l.* 11. κώλικας vocat, *calices qoſdam* exponit; Leunclavius,

obbas. at Hesychius, ἀμίδας, *matulas.* *Matulas* avtem in triclinia inferri solitas, (qod nunc etiam apud nonnullos obtinet) ubi compotationes longiùs extrahebantur, ex priscorum monumentis notissimum est. Id Sybaritarum inventum fuisse refert Athenæus *l.* 12. Πρῶτον ϗ κ) ἀμίδας ἐξεύρον, ἃς εἰσφέρειν εἰς τὰ Συμπόσια. Verùm ab illis (siqidem illi primi usurparint) ad alios id dedecoris transiit. Hinc illud apud Tarentinos Siculósqe in conviviis familiare, Ἀμίδα δόπω τις, *cedo matulam.* et apud Tragicos Æschylum Sophoclémqe in *Achæorum* Ζωσθένης, convivarum alter alteri κάκιστον ἀράγλω, qod & ille βίλ& γελοιοπριὸν nuncupat, in caput, non effundit, sed impingit. Avtor idem *l.* 1. Istis Evstathius ad Odyss. ϛ. recitatis, subjungit & Domosthenicum illud, ex *orat. adversus Cononem,* Ἐνεύρυν τι ἡμῖν, κ) τὰς ἀμίδας κατεῤῥήγνυον. qod in vulgatis tamen Demosthenis codicibus seciùs pavlò sic legitur, κ) τὰς ἀμίδας κατεσκεδάγνυον, κ) ἀφεστήκειν. Qidni ergò & apud Xenophontem ἀφεχοΐδας *matulas* intelligamus? ex certè nisi τοῖς ὑποπίνουσι, *immodicè potantibus,* non sunt necessariæ. at illis fuerint. *Erat,* inqit, *olim illis usu receptum, ne in convivia obbæ,* sive *matulæ, inveherentur; cum existimarent minùs vel corpora, vel mentes etiam debilitari, si non justo plus bibatur. nunc avtem ne invehantur ea, id qidem adhuc observatur; cæterùm tantum bibunt, ut pro non invectis obbis,* sive *matulis, evehantur ipsi, cum corpore erecto exire jam non valeant.* Concedit huc Livelæus noster; *Mos,* inqit, *apud Persas erat, ut est hodie Germanis, cogere alios sibi iisdem crateribus respondere. hoc prohibere magna benignitas erat.* Concedit & Drusius *observ. l.* 12. *c.* 7. *Restituit,* inqit, *legem pravâ consvetvdine abolitam.* atqe ita Græcam versionem cum Hebraicâ veritate conciliat; *fiebat compotatio, non more Persico, qo alter alterum plenis poculis invitavit.* ut νόμ& pro *consvetvdine* positum sit, (unde & *mos* vocabulum Latinis decisum, sed frustra, puto, avtumat H. Stephanus: cum sit potiùs à μόρ&, sive μοῖρα, *more, moris, mos*; ut ἄρουρα, *rure, ruris, rus.*) *Sed secundum legem, qam rex tunc dederat, qâ constitutum scil. neqis inter pocula alterum cogeret ad bibendum.* Qin & Doctores Judæi, avtore Jajro, *Cum sint,* inqiunt, *in conviviis qi convivas adigant scyphos magnos havrire, hoc avtem non-*

nonnulli abſque moleſtiâ inſigni neqeant, noluit rex, id ut faceret, cogi qenqam. Vetus Interpres Latialis, *Nec erat qi nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, ut ſumeret unuſqiſque qod vellet.* Et Tigurinus, *Erat & lex bibendi, ut neminem qis cogeret*, &c. Ita volunt eam hîc à Rege, tanqam modimperatore, latam legem, qæ in ſympoſio Platonico convivis placuit. Διδόχλαι πίνειν ὅσον ἂν ἕκαστος βούλῃ, ἀνάγκας δὲ μηδεμιᾶς εἶναι· *Decretum eſt, ut biberet qiſqe, qantum ipſe vellet; nulla cuiqam imponeretur neceſſitas.* οὐ γὰρ ἀναγκαστὸν τὸ ζυμπόσιον, *neqe enim cogendus in convivio qiſqam.* Evſtathius ad illud Homeri *Odyſſ.* θ. *v.* 70.

— πεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Eandem habitam rationem in Cleomenis Spartani invitationibus refert ex Phylarchi *hiſtor. l.* 35. Athenæus *lib.* 4. πεῖν δ' οὐ παρεσκεύαζετο, εἰ μή τις αἰτήσοι. *Potus, niſi qis poſceret, non præbebatur.*

Cæterùm nec hoc forſan accuratiùs pavlò diſpicienti ſatisfecerit. Si enim certamina ejuſmodi, qæ non Perſis magis qàm aliis in uſu, vetare Rex voluiſſet, non miniſtris vel pincernis, ſed convivis ipſis legem iſtam propoſuiſſet. Aliter itaqe pavlò vir idem doctiſſimus in *ad Eſteram annotatis*; *Mandavit*, inqit, *ne plus præberent qàm qiſqe vellet.* Atqe ita reverâ, qem & advocat ipſe, Joſephus *antiqit. l.* VI. *c.* 6. Παρήγγειλε δὲ καὶ τοῖς διακόνοις, μὴ βιάζεσθαι πίνειν, τὸ πολὺ δυσὶ ζωηχοῦς παρασκευάζειν, ὡς καὶ ἔθος Πέρσαις γίνεσθαι, ἀλλ' ὁπόσον αὐτοῖς καὶ πρὸς ὁ βούλεσθαι τὰ παρακείμενα ἕκαστος φιλοφρονεῖσθαι. *Miniſtris in mandatis dedit, ne ad bibendum adigerent, potum illis jugiter præbendo, ſicut apud Perſas fit; ſed permitterent illis, prout accumbentium unicuiqe viſum, hilariter agere.* At verò mandatum iſtiuſmodi, de jugi potus ſubminiſtratione interdictâ, poterat reſtrictioris ingenii ſuſpicionem dare, ſpeciem aliqam ſaltem præ ſe ferre. Aliqid certè, qemadmodum in reliqâ totâ narratione, deſignari videtur, qod regis munificentiam & magnificentiam indicaret. Ego itaqe conjecturam meam ubi propoſuero, aliis eam conſiderandam cenſendâmqe relinqam.

Τὸ אֲנַס iſtud eſt τὸ ἅπαξ λεγόμενον, ex eis qæ ſemel tantùm in Hebraico codice ſacro occurrunt: in Chaldaico vel Syri-

aco potiùs, (nam Syrorum lingvâ, qæ Chaldæis tamen itidem familiaris fuit, Dan.c.1.v.4. conceptæ ſunt paginæ ſacroſanctæ periochæ illæ. Dan.c.3. v.4. Eſdr.c.4.v.7.) Danielis textu ſemel itidem uſurpatur: ſed in paraphraſi Chaldaicâ, qæ dicitur, crebriùs; qo modo & in Syriacâ Novi Inſtrumenti verſione, & apud Talmudicos doctores havd infreqenter reperitur. Significat avtem in genere, *vim adhibere, cogere, negotium faceſſere*, ſive *impellendo, & adigendo*; ſive *reprimendo, cohibendo, coercendo* id fiat. Priore modo ſumitur apud Syrum, Galat.c.2.v.3. qi pro eo qod Pavlus Græcè dixit, οὐκ ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι. habet, לא אתאנס דנגור posteriore, Daniel.c.4. v.9. qem locum huic geminum cenſet Eſdraides, וְכָל רָז לָא אֱנַס לָךְ Græc. οὐ μυςήριον οὐκ ἀδυνατεῖ Cæ. *nullum arcanum faceſſit negotium tibi.* Jun. h. e. *nihil te impedit, avt cohibet, qò minùs illud expedire poſſis. nullum myſterium eſt prohibitum avt negatum tibi.* Mercer. *Nullum arcanum conſtringit te.* Calvin. Hebræi Doctores. Joſeph Jachiades; אֵין מְכֻוֶּה לָךְ *latet te, abſconditum eſt à te.* Jajrus, לָא נֵאנַס וְלָא נִכְחַד מִנָּךְ *ſupprimitur*, avt *occultatur à te.* qod Domino Job, c.42. v.2. וְלָא יִבָּצַר *Novi te omnia poſſe:* מִנָּךְ מְזִמָּה *nec cohiberi à te cogitationem ullam.* ita enim malim, qàm cùm Junio, *neqe averti te poſſe à cogitatione*, perficendâ, ſcil. Omnium optimè Saadias מְעַשֵּׂר לָךְ θλίβει οὐ στενοῖ, *anguſtiâ afficit, anguſtiat, coarctat te.* perinde acſi diceret, inqit, אֵין אַתְּה מְעַטְּר οὐκ εἶ συνεχόμενος οὐ στενοχωρούμενος. *non es tu coanguſtatus, in arctum coactus, coercitus ab nullo arcano* avt *myſterio.* certè de *impulſione* coactivâ vix, avt ne vix qidem, ſumi poteſt. Atqe in hoc loco pariter ego qidem ceperim; *ex regis mandato nullam fuiſſe cujuſqam reſtrictionem, cohibitionem, coertionem*; qum rex miniſtris omninò præcepiſſet, ut qodcunqe peterent, qotieſcunqe avt qantumcunqe poſcerent, convivarum cuiqe liberrimè ſimul ac liberaliſſimè concederetur. nolait cuiqam anſam dari conqerendi cum lenâ Plavtinâ, in *Ciſtellariâ*,

Rarò nimium dabat qod biberem: atqe id merum
Infuſcabat.——

voluit, convivantium unicuiqe præberent, מִנִּין, non מִנִּי tantum, ſed מִנִּי, מִנִּין οὐκ ἀναγκάζει. מִנִּין, inqam, מִנִּי, ut biberent,

rent, qandocunqe, ſive qotieſcunqe animo allubeſceret. in qem finem obſervat Athenæus *dipnoſophiſt. l.* 1. apud Homerum, ἐκάστῳ τ' δαιτυμόνων ἐφατίζεται πάπτηνας καὶ κύπελλον, καὶ δίκας, σῖν ὅτι θυμὸς ἀνώγει· *Convivarum cuique appoſitam menſam, cum diſco, & cyatho, qo, cum animus eſſet, bibere liceret.* A qo ritu nec Hebræos priſcos abhorruiſſe, fidem nobis faciunt Doctores Talmudici, qos ex *Tractatu de Benedictionibus* videre eſt apud Virum Cl. Jo. Buxtorfium *de Cœna Dominica Inſtitut. Exercit. ſacr.* §. 37. hodiéqe etiam Chinenſibus obſervari, avtor eſt Mat. Riccius *de Expedit. ad Sinas l.* 1. *c.* 7. De Romanis Servius *ad Æneid. lib.* 1. illa,

Qi dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

More, inqit, *antiqo dixit*; *qia veteribus non in manus dabaxtur pocula, ſed menſis apponebantur*; *ut hodiè apud plures in caniſtris argenteis apponuntur, qæ caniſtra ſiccaria dicuntur.* qin & Trimalcio Petronianus, ubi tanqam Proverbiale dicterium præmiſerat, *Mars æqum amat*; (de qo videndus Jan. Rutgerſius *Var. lect. l.* 3. *c.* 5.) qaſi ritus priſci illius æmulus, *juſſit ſnam convivantium cuiqe menſam aſſignari.* Homeri verſus ſunt *Odyſſ.* θ.

——παρ' ἐτίθει κύπελλον χαλκείην πάπτηνας,
Παρ' ᾗ δίκας ὄτρυνε, σῖν ὅτι θυμὸς ἀνώγοι.

non ergo ſcyphum poſcere ſubinde opus erat, cum vino plenus ſemper præſtò in menſâ adeſſet, ſed ubi exhavſerant, replendum tantùm denuò porrigere. Verùm addo, non ὅτι, duntaxat, ſed & ὅ, τι, qodcunqe, ſive qaecunqe volebant, præberi porrigíqe rex unicuiqe citra diſcrimen habitum volebat. Apud qoſdam enim faſtuoſos, ſed illiberales, non eadem omnibus, qos invitaverant, vel edulia, vel vina, qin nec æqa etiam, ponebantur. Tangit iſtos, ſaléqe ſuo defricat, havd ſemel Martialis. *ad Cæcilianum lib.* 1. *epigr.* 21.

Dic mihi, qis furor eſt? turbâ ſpectante vocatâ,
Solus boletos, Cæciliane, voras?
Qid dignum tanto tibi ventre gulâqe precabor?
Boletum, qalem Claudius edit, edas.

Ad invitatorem innominatum l. 3. *ep.* 48.

Vejentina mihi miſces; tibi Maſſica potas.

Ad Ponticum l. 4. *ep.* 86.

Nos

Nos bibimus vitro, tu myrrhâ, Pontice. qare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

Ad Cottam deniqe *l.*10.*ep.*49.

Cum potes Amethyſtinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano;
Propinas modo conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
Qiſquam plumbea vina vult in auro?

Atqi mercede pactâ magnati cuidam conviventis ſtudioſi hoc in Votis Lucianus refert fuiſſe. διεκπέμπειν ἀεὶ ἐς ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν· ὅπ τ ἄλλων ἥδιςον ᾖ παλαιότατον οἶνον πίνοντων, αὐτὸς μόνῳ πονηρόν πνα ᾖ παχὺν πίνῃ· ὡς μὴ ἀλλοχθείη ἀπὸ τ χρώματος, ὅπως ἄπιμεν ὧν ζυμπόται. *hoc. ſcil. ipſum omni modo expetere, & qà pote, procurare, ut in auro argentóqe ſemper biberet; ne ex vini colore pareret paterétqe, qàm vilis conviva haberetur, qi cum cæteri ſuaviſſimum ac vetuſtiſſimum potarent, peſſimo ipſe ac faculento ſolus exciperetur.* Ulteriùs progreditur, qi argumentum hoc fuſiſſimè proſeqitur, Juvenalis *ſat.*5. ubi inter alia hæc habet;

Non eadem vobis poni modò vina qerebar:
Vos aliam potatis aqam. —— mox de pane;
Sed tener & niveus, mollíqe ſiligine factus
Servatur Domino. dextram cohibere memento.

Sin minùs, —— *Supereſt illic qi ponere cogat.* i. יַאֲנֹס *qi cohibeat.* Talis invitator is, de qo Plinius minor *l.*2.*ep.*6. *Accidit*, inqit, *ut cœnarem apud qendam, ut ſibi videbatur, lautum & diligentem; ut mihi, ſordidum ſimul & ſumptuoſum. nam ſibi & pavcis opima qedam, cæteris vilia & minuta ponebat; vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera deſcripſerat, non ut poteſtas eligendi, ſed ne jus eſſet recuſandi. et aliud ſibi & nobis, aliud minoribus amicis, aliud ſuis noſtríſqe libertis.* At contra Plinius, cui mos iſte planè diſplicuit; *Eadem*, inqit, *omnibus pono. ad cœnam enim, non ad notam invito, cunctíſqe rebus exaqo, qos menſâ & toro æqavi.* Nec aliud ſenſiſſe videtur Jul. Cæſar, qi referente *l.*1.*c.*48. Svetonio, *Piſtorem ſuum, qòd alium, qam ſibi, panem convivis ſubjecerat, compedibus vinciebat.* de vino, ut verifimile fit, pocillatori idem facturus. Ut de Catone majore nihil dicam, qem

μὴ τῶν ἑαυτῶν ἑμοὶ καθημένοις, τὸν αὐτὸν ἄρτον ἐσθίειν, καὶ τὸν αὐτὸν οἶνον πίνειν, *cum famulis unâ menſa aſſidentem, panem eundem comedere, vinumque idem bibere ſolitum*, avtor eſt Plutarchus. Nec alius Aſſuero, ſaltem hoc tempore, animus. nihil voluit, qod ad epulum hoc apparatum fuerat, cuiqam negari, nihil à qoqam cohiberi. inde verſ. 7. *vini regii* mentio. ut qemadmodum de Cyro Xenophon *inſtitut. l.* 8. qæ ſibi apponebantur, eadem planè ſuis conceſſiſſe; ita Aſſuerus qo ipſe vino utebatur, idem planè, qodcunqe & qalecunqe id eſſet, convivis ſuis qibuſcunqe permitteret. Idqe contrà planè qàm Perſis Regibus olim in uſu fuiſſe tradit, ab Athenæo *l.* 4. laudatus, τῆ Παρασκαζικῶν, h.e. *de conviviorum apparatu lib.* 2. Heraclides Cumanus: qi de convivis regiis, Συμπίνειν μετ' αὐτοῦ, ὃ καὶ τὸν αὐτὸν οἶνον πάντας πίνειν. *cum rege ipſo potant*, inqit; *at non idem, qod ille, vinum*. Denique ſicut vino regio nemo prohibebatur, ſed πᾶν ὅ, τι δοκοῖς ἀνδρί. qodcunqe poſcere libebat, cuiqe conceſſum eſt: ita nec modus poſcendi ullus definitus, ſed πᾶν ὅσον δοκοῖς ἀνδρί, ſive, ὅσον ἤθελον, ut Joannes loqitur c. 6. v. 11. qantumcunqe voluerat qiſqe, poſcere licebat: ita nec in hac etiam parte cohibitio erat ulla. neqe enim hîc opus locúſve erat Spartani Regis cavtelæ, qi in convivio modimperator deſignatus pocillatori miſcendi legem poſcenti, hanc tulit, εἰ μὲν πολὺς οἶνος εἴη, ὅσον ἔφοβε αὐτὸν· εἰ δ' ὀλίγος, ἐξ ἴσου πᾶσι. *Si vini copia adeſſet, qantum qiſqe poſceret.; ſin minùs, ex aqo ſingulis præberet*. Plut. in *Ageſilai apophth. Potum*, inqit hiſtoricus facer, *præbebant* (miniſtri nimirum regii) *ſcyphis avreis, qæ ſubinde iterabant*, vel *mutabant*; *præbebant avtem, ut vinum regni*, i.e. regium, regiis uſibus deſtinatum; ita *plurimum*, copioſum idem, *jnxta regis manum*, i.e. pro regiâ facultate; prout tam amplis opibus inſtructum regem convivis ſuis ſuppeditare par erat: in eo maximè convivio, qo *regni ſui divitias ſplendorémqe oſtentare* ambiebat. ut eſt verſu 4. Sic omnino כדת אין dici verè poterat; cum qi nullâ in parte cohiberet, planè nullus eſſet; ſed unicuiqe pro libitu ſuo, qodcunqe, qandocunqe, qantumcunqe poſceret, à miniſtris qibuſqe porrigeretur: qem ego verborum iſtorum ſenſum, nec ambiguus id, avtumo genuinum.

Verùm ista, postquam chartis illeveram, factum est ut inciderem in Viri eruditissimi Joannis Vernesii *Synagogam Christianam*, in quâ ex ritu apud Persas antè, opinor, inaudito, de loci hujusce sensu decernit, sententiamque de eo receptam commento novitio, tanquam tibicine recenti, suffultam probè dedisse fidem satis videtur. Siquidem scripti dicti *lib.* 1. *cap.* 6. *sect.* 8. *paragrapho* 12. cujus *de Conviviis Judaicis* titulus habetur, *Canon* 1. cum *Canonis firmamentis* sic habet. *Judæi in conviviis suis ethnicis immoderatiores fuerunt. Omnes enim eorum mensa vomitu plena erant, ut nullus locus mundus foret. Esaj. c.* 28. *v.* 8. *Hosh. c.* 7. *v.* 5. *Persæ verò in conviviis suis valdè moderati fuerant. Siquidem in missu sive ἐστιάσει primâ* (their first service) *aquam duntaxat ex Choaspe amne potabant; in missu verò proximo, vinum. Assueras quando in vino erat, Vashtin accersivit. Est. c.* 1. *v.* 10. *h. e. quando missus secundus agebatur* (in the second service) *non autem, quando inebriabatur, sicut vulgò sumitur. Habebantur enim ibi ὀινοπῶται, inspectores vini, qi eidem & ὀφθαλμοὶ, quasi convivii oculi dicebantur: hi vinum respiciebant, sive, intuebantur, & convivas in conviviis observabant, nec permittebant, ut alios quisquam ad potandum adigeret. Est. c.* 1. *v.* 8. Hæc ille.

Quibus verbis varia habentur confusaneè congesta, nec sibi invicem cohærentia, nec veritati etiam pleraque consentanea. Siquidem primo loco, quod de Judæis pronunciatur, dèque conviviis eorundem, tanquam *Canone* quodam universali defixum, definitur, hos, *in conviviis suis Ethnicis immoderatiores* extitisse, laxè nimis, liberèque, imò censoriè nimis decernitur. Siquidem iniquum planè videtur, ut quod illo, sive tempore, sive seculo, quo Vates vixerat, factum, ab illo jure merito reprehendebatur, id genti in universum tanquam per æuates singulas generatim usitatum & inolitum planè ascribatur, & per opprobrium, tanquam eidem peculiare, imputetur. Tum nec apud exteras gentes ullas, quod in istis reprehenditur, idem planè non pariter obtinuisse, quâ ratione Viro doctiss. aut innotescere potuit, aut probatum dari poterit? Sed missis Judæis, quibus iniquior hac in parte videtur, quum de conviviorum apud illos ratione generatim *Canone* posito sic statuit. De Persis in contrarium haud minùs laxè, minusque

etiam,

etiam verè pronunciat, qum *in conviviis* tam *moderatos* extitiſſe affirmat. Etiamſi enim Perſis ante imperium in gentes finitimas acqiſitum, dum finibus patriis coercebantur, cum regionem maximâ ex parte aſperam incolerent, victus pariter eſſet reſtrictior, qiqe lavti ferè avt opipari nihil haberet; at poſtqam imperio potiti ſunt, mores mutaverant, qod & ex Xenophonte ſuprà monuimus, luxuíqe cum primis fræna laxarunt, adeò ut reges Perſici edictis publicitùs editis, magna illis præmia proponerent ac pollicerentur, qi avt potus avt edulii delicatioris qicqam, vel ipſi excogitare, vel aliunde invehere poſſent. uti ex Herodoto, Cteſiâ, Clearcho, Xenophonte in *Ageſilao*, aliiſqe ſcriptoribus antiqis videre eſt apud Athenæum *ſophiſtarum convivalium lib.4.c.10.* & *l.12.c.11.* qo loco & de Perſis contrà planè qàm vir doctiſſ. Avtor iſte pronunciat verbis hiſce diſertiſſimis, Διαβόητοι ἦ ὅτι τρυφῇ ὑγιείᾳ τε ἄλλοις πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτοι. *Luxus nomine præ aliis omnibus hominibus primo loco paſſim prædicantur Perſæ.* Ut peſſimo conſilio Vir doctus hos tam eo nomine ubiqe terrarum infames in moderationis exemplum propoſuiſſe videatur.

Sed unde probat Vir doctiſſ. modum in conviviis apud Perſas tam accuratè obſervatum? *In primo enim*, inqit, *miſſu aqam è Choaſpe fluvio duntaxat potabant.* Atqi primò, nullo iſta avtore dicuntur. Refert qidem Herodotus *lib.1.* Choaſpis aqam ſolam bibere Reges Perſas conſveviſſe; qam proinde decoctam, vaſíſqe argenteis commiſſam, petorritis multis ſecum inter impedimenta vehendam curarent, qocunqe proficiſcerentur. Unde in diſſertatione *de exilio* Plutarchus, (qi de hiſtoriæ tamen veritate ambigere videtur) Reges illos non immeritò rideri affirmat, utpote qi ἅπαντος ἄλλοις ἢ ἄλλην πεῖσιν οἰκουμένην, *orbem terrarum reliqum totum inaqoſum ſibi facerent.* Verùm Perſas qoſqe (nam de gente agitur) à Suſis uſqe Perſidi conterminis (qam urbem Choaſpem alluiſſe conſtat) aqam jugiter petiiſſe, qoties convivia celebrarent, avt hilaria agitarent, viro doctiſſ. tam fidenter aſſeveranti, Plutarchus, opinor, multò minùs fidem habuerit, ſed nec alius, credo, qiſqam, niſi valdè nimis πεχνιπδὴς, facilè crediderit. Tum cœnas qidem ſecundas Perſis antiqitùs in

uſu fuiſſe refert idem Hiſtoricus, in qibus ἐπιφορήματα ſive *bellaria* varia habebant, qâ in re cum inferiores ſibi Græcos exiſtimarent, dicere ſolebant, Ἕλλωνες ζητοῦσιν, πυρῶν λαι πνεῖν. qod parum rite cepit Valla, ubi vertit, *Græcos paſtos jam demum non eſurire amplius*. qum contrarium huic planè voluerint illi, *Græcos ubi edere deſierint, adhuc eſurire*. Verùm ante ſecundas illas vinum nevtiqam guſtaſſe nullus dicit: nec veriſimile eſt eos, (qos vino plurimùm deditos fuiſſe teſtatur) cum in primâ cœnâ, ditiores qi forent, *boves, eqos, camelos, aſinos in furno toſtos integros* (Herodotum avdis) apponerent, non latices ſimul Iacchicos exhibuiſſe, qibus carnes iſtiuſmodi concoqerentur. Talmudiſtis Judaicis alioqi providos minùs futuros, qi ad *Leviathanis, Behemotis, & Ziziis*, piſcis, qadrupedis, alitis, magnitudinis portentoſiſſimæ cujuſqe, in Meſſiæ convivio qæ comedendæ ſunt, carnes concoqendas ac digerendas, vinum ex Edenis vitibus confectum & in cellariis Adamiticis hoc fine reconditum, paraverunt. Vide Buxtorf. *Synag. Jud. c. 36*. Qin nec ſi in cœnâ primâ, ſive miſſu primo, aqâ Choaſpicâ contenti Perſæ agerent, in menſis ſecundis modum tenuiſſe inde conſieret; cum eo liberaliùs largiúſqe vini avidos homines *merum ingurgitaturos* (ut cum Plavto loqar) credere par ſit, qia eouſqe utiqe abſtemii egiſſent. Verùm iſta teſte idoneo deſtituta gratis dicuntur.

De *Aſſuero* qod ſubjungitur; caſtigantur qidam, qi dixerint *ebrium* fuiſſe, cum Reginam accerſiri mandaret; ipſe avtem vult intelligi, id factum, cum *in miſſu*, ſive περιφορᾷ *alterâ* jam ageret. At nec de periphorâ primâ, qæ *prandii canini* inſtar, (uti diverbio vulgari dicitur) ἄουρος fuerit, unde probetur, qod Viro doctiſſ. dicitur, qicqam iſtic comparet: et fundamento probabili magis nituntur illi, qos hîc tangit, cum Hiſtoria ſacra diſertè narret, *Regem à vino corde bonum*, h.e. animo hilari, cum exiſteret, miniſtris aſtantibus id in mandatis dediſſe. Eſt. c. 1. v. 10. qæ formula & de Amnone uſurpatur Reg. l. 2. c. 13. v. 28. & ad hoc qod volunt illi accedit propè.

Sed qanam, qæſo, ratione iſtos it refutatum? *Nam*, inqit, *vini inſpectores habebant, qi convivas obſervarent, nqis aſtos*

ad

ad potandum adigeret, &c. At iſta qàm ἀνοσιωτα? qàm ἀδικήλυδα? *Rex id cum præciperet, ebrius non fuit; qia vini inſpectores habebant, qi convivas obſervarent*, &c. Cæterùm miſſâ conſeqentiâ, rem ipſam diſpiciamus, ad qam inciſum iſtud, de qo agitur, reſpicere Viro erudito cenſetur. Ex Athenæo qidem *lib.* 10. à qo etiam Heſychius, & Pollux *l.* 6. *c.* 3. ex eodem emendandus uterqe, ſumpſiſſe videntur, diſcimus; Athenis munus qoddam eorum fuiſſe, qi non οἰνοπῶτοι, (qæ vox eſt nihili) ſed οἰνόπται, eidémqe ὀφθαλμοὶ dicerentur: ſed nec qi *cœnarum præſides*, avt *conviviorum magiſtri*, ſive *Modimperatores*, ut Varro, ac *bibendi arbitri*, ut Flaccus, exiſterent, uti Campenſis, & alii nonnulli, referente Stephano, qi nec ipſe improbare videtur; ſed qi ad epulas publicas *lucernas facéſqe* (nam noctu plerunqe illæ habebantur) procurarent ac præberent; nec *convivas*, ſed pocillatores (nam & οἰνοχόους ab his diverſos fuiſſe monet Athenæus) obſervarent, ne vinum interverterent, avt non ſingulis pro lege bibendi à modimperatore datâ, ex æqo porrigerent. Sic enim Athenæus, ἱστέον ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ καὶ ἴσην πίνουσι οἱ ξυμπόται· alioqi ſi de convivis ipſis intelligatur, ſenſus, contrà planè qàm vir doctiſ. contendit, futurus eſt, *inſpectorum* nempe iſtorum munus fuiſſe, ut convivas qoſqe ad eandem vini qantitatem à bibendi Arbitro præſcriptam havriendum adigerent. Utrovis modo ceperis, pro viro doctiſſ. nihil facit. Qo modo avtem apud Perſas βασιλέως ὀφθαλμοὶ *Regis oculi* dicebantur, qi *explorátorum* munere apud eum fungebantur. (ita Xenophon *Inſtitut. l.* 8.) pari ratione apud Athenienſes, non *convivii*, uti Vir doctus, ſed Modimperatoris, ſive Magiſtri cœnæ ὀφθαλμοὶ *oculi* dicebantur οἰνόπται iſti, qòd in *explorandi* munere eidem inſervirent. Munus avtem ἀντιλὸς, ſive *ignobile*, notæqe nullius fuiſſe, cum ex Philino rhetore, docet Athenæus, tum & ex Evpolide Comico, qi in Πόλεσι, ſive *Vrbibus*, (fabulæ is eſt titulus) de Republicâ ſuis temporibus plurimùm immutatò conqeritur verbis illis,

Οὓς δ' ἂν ἄν εἵλεσθ' ὑδὶ' ἂν οἰνόπτας πρὸ Ϝ,
Νωὶ ϛρατηγὸς λεύσομεν. ——
Qos nec viniſpices velletis eligi
Pridem, videmus nunc duces exercitus.

Ita nihil hæc omnia aut noſtram de loco hoc ſententiam infirmant, aut receptam etiam firmant qicqam; cum nec apud Perſas *inſpectores* iſtiuſmodi in uſu fuerint, nec inſpectorum iſtorum munus hoc, qod vir doctus vult, fuerit; ſed hoc utrunqe cum aliis, qæ conſtipavit iſtic, ipſius mera commenta ſint.

Cap. VI.

Senſus alienos ſæpe parere lingvarum imperitiam. De Hymni 119.*v.*109. *inſtituta diſſertatio.* In manibus tuis, *pro*, meis, *Graci plerique; & Latini nonnulli: etiamſi id Hieronymus utrumqe diſertè negat. ipſe*, in manibus meis, *non*, manu meâ; *qo modo & Chaldæus.* In Dei manu eſſe, *qid ſit. Læta pariter & triſtia à Deo diſpenſari.* קהלת *qid Eccl.* 3. 1,4. *περίσσια ſcil. non καιρός. Tempeſtivitatis vis qanta.* ענין negotium, res. Animam in manu, *ſive* volâ, habere, *aut* ferre, *qid velit. et unde tractum. Expoſitiones varia rejecta. genuina prolata & firmata.* כפל *qotuplex. an pro* alâ *unqam ſumpta. pro funda cavo.* fundi *notatio jocularis. qâ ratione nunc ſecuritatis ſit, nunc diſcriminis. Formula exteris minùs familiaris. frequentiores*, in ore primo tenere, labiis extremis inſidentem habere. *apud Xenarchum tamen reperiri. Hymni* 128.*v.*2. *ex Græcâ verſione ſenſus diſcutitur.* Labores fructuum; *notio nihili. Verba Apoſtoli* 2 *Tim.*2.6. *expenſa & explicata.* Aſcetica, *qæ Baſilio tribuuntur, cujus ſint.* γυμνὸς ἀλλῶν *qid. Plato obiter emendatur. Plutarchus itidem.* καρπὸς, *Pſalte alii, alii Apoſtolo.* καρπὸς *corporis humani pars qanam. οἱ καρποὶ Græco Interpreti ἀντὶ τῶν χειρῶν.*

QAm turpiter ſæpenumerò halucinentur à lingvarum imperitiâ viri magni; qàm perverſè paginam ſacram interpretentur; qoties verſione aut interpretatione genuinâ veràqe repudiatâ, vitioſas ineptâſqe ſectentur; qàm, ubi gratis hæſitant, extricare ſe incaſſum moliantur; qàm miros myſticóſqe ſenſus, non tam è textu eliciant, qàm in textum inferant; non poteſt neſcire, qi vel in veterum ſcriptis, vel

in

in ævi ſeqioris ac recentioris interpretationibus fuerit ſedulò verſatus. Ea res nimirum fraudi fuit ſummis alioqi viris in locis qibuſdam enarrandis, è qibus duos hoc capite, vel explicandos, vel illuſtrandos ſuſcepimus. Hymno 119. v. 109. *Anima mea jugiter in manu mâ.* At Græci qidam, Ἡ ψυχή μου ἐν ταῖς χερσί σου διαπαντὸς. atqe ita Apollinarius; niſi qod *cor* pro *animâ*, metro poſcente, poſuit.

Ἥτορ ἐμὸν παλάμῃσι διαντίον ἔσσετ' ἰόντων.
Pabnis jugiter endo tuis mihi cor retinetur.

Sed & Græcos ſecuti Latini pleriqe, *Anima mea in manibus tuis ſemper.* Hilarius; *Anima mea in manibus tuis ſemper.* i. *Totum qod vivit, Deo vivit.* Atqi ſi ita legeretur, aliud qiddam ex uſu lingvæ ſacræ indicaret: animam ſcil. ſuam à Deo cuſtodiri; atqe ita Chryſoſtomi nomine qi proſtat; & Theodoretus, & Caſſiodorus, ἀπὸ προνοίας σου φυλάττεσθαι, *à tuâ providentiâ cuſtoditus.* qo modo de ſuis Chriſtus, eſſe eos *in Patris ſui manibus.* Joan. c. 10. v. 29. & de juſtis Avtor ſapientiæ Salomonis c. 3. v. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt,* nec ſecus ferè Eythymius; *Animam meam in manus tuas ſemper trado.* (qo modo idem Hymn. 30. v. 6. & Chriſtus Luc. c. 23. v. 46.) *teqe ut illius cuſtodem, protectorem ac moderatorem ſuſcipio.* ſicut Petr. ep. 1. c. 4. v. 19. Vel etiam ad Dei placitum, non ad alius cujuſqam arbitrium, vitam ſibi continuari. qo modo de ſe ipſe Hymn. 31. v. 15. *in manu tuâ ſunt tempora mea.* i. *terminus & ſtatus vitæ meæ.* Junius quidam nec ſpretendm prorſus, qod Piſcator: *tempora mea, ſive læta, ſive triſtia.* Cui concinit illud Tragici in Ajace flagellifero;

Ζῶν τῷ θεῷ τἄμ' ἢ γελᾶ ἢ κλαίεται.
Vivò dolet vel ridet, ut viſum Deo.

ad qem locum Schol. ἢ ὑπὲρ τοῦ γελᾶν ἢ τοῦ κλαίειν δίδωμι. atqe ita ſumendum, qod Salomon Eccleſ. c. 3. v. 1, 4. *Cuiqe* (vel homini, ut Chald. vel rei potius, ut alii pleriqe) *tempus determinatum eſt, & tempus negotio cuiqe ſub cœlo. tempus ſtendi, & tempus videndi.* Jd *tempus determinatum*, ſicut ea vox uſurpatur; Eſter. c. 9. v. 26, 31. & Nehem. 2. 10. v. 34. & c. 13. v. 31. à *Deo* ſcil. ut rectè Piſcator, itaqe exiliter nimis vocas interpres, *Omnia tempus habent:* nec commodè ſatis Junius, *Cuiqe* [ſuæ] *eſt tempeſtas.* Jd enim iſtic non tam eſt καιρὸς; de:

de qo Avſonius ex Pittaci mente,

Γίγνωσκε καιρὸν, *tempus ut noris, monet.*
Sed καιρὸς iſte tempeſtivum tempus eſt.

Licet Gregor. Naz. ita cepiſſe videatur, *adv. Eunom. orat.* 1. Καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι, ὡς Σολομὼν ἐφθέγξατο, καὶ τὸ καλὸν ὁ καλὸν, ὅταν μὴ καλῶς γίνῃ. ut rei cuivis opportunitas & tempeſtivitas qædam ſit, qâ obſervatâ cum licitè, tum & commodè fieri qeat. juxta illud M. Antonini *l.* 12. §. 35. τὸ ἔυκαιρον μόνον, ἀγαθόν. et Libanii *orat.* 19. τὸ φύσει καλὸν ἅμα καιρὸν ἐπιθὲν, ὁ πάντων ἀπίβη. itaqe Pindarus *Pyth. ode* 9. ὁ καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφάν. Et Sophocles apud Svidam,

——————— καιρὸς γὰρ ἀνθρώποισι
Μέγιστος ἔρρυ πάντος ἐν ὁπλίταις.
——————*Maximum opportunitas*
In hominum agendis rebus imperium obtinet.

Atqe ita etiam Abraham Eſdræ filius intelligit; qi hinc colligit, debitorem eſſe unumqemqe in ſuâ tempeſtate exeqendi rem qamqe; additqe, ex Salomone, ibid. v. 11. *pulcrum eſſe qodqe, ubi tempeſtivè agitur.* qod tamen de Deo Concionator facet, non de homine dixit; Deum ſcil. ita univerſa diſponere, ut in eis, qatenùs ab ipſo proveniunt, εὐκαιρία pulcerrima reperiatur. ſed [illegible] hîc potius eſt, qod Græci καιρὸν ἀφωρισμένον, *tempus præſtitutum*, vel, ut Tigurinus habet, *præfinitum.* hoc enim vult Rex ſapientiſſimus, ita à providentiâ divinâ res humanas diſponi, ut varias ſortiantur viciſſitudines; habituríqe ſint mortales, dum ſub ſole degunt, velint nolint ipſi, nunc naſcendi, nunc denaſcendi; nunc lætandi, nunc lugendi occaſiones ac tempora, eiſdem à Deo præſtituta: juxta illud Senecæ, *de provid. c.* 5. *Scio omnia certâ & in æternum dictâ lege decurrere,* (qod Marcus Imper. *l.* 7. §. 31. πάντα νομιμὰ) *non ut putamus, incidunt cuncta, ſed veniunt. olim conſtitutum eſt, qid gavdeas, qid fleas, decernuntur iſta, non accidunt.* Idem *epiſt.* 96. Proinde nec רָצוֹן *voluntatem* avt *conſilium*, cum Junio; avt etiam *rem cupitam*, cum Druſio, *qæſt. l.* 3. *c.* 80. verterim. neqe enim avt *naſci conſilii* res eſt, naſcenti ſaltem, avt *res cupitæ* ſunt *fleri, lugere, plangere, perdere*, qæ inter reliqa, qibus tempus aſſignatum fertur, eo loci recenſentur. malim, *negotium*; et ſic Chald. עִסְקָא, vel

genera-

generaliùs etiam πρᾶγμα, rem, etſi Druſio id minùs placeat; atque ita Græci reddiderunt cum hoc loco, & infrà verſ. 17. tum & cap. 8. v. 6. ubi idem denuò repetitur; unde & expoſitio iſta confirmatur; qum ſubjiciat Eccleſiaſtes noſter; ideo mali multum mortalibus incumbere, qia, etiamſi cujuſque rei tempus & ratio exiſtat, ipſi tamen qid futurum ſit, neſcii exiſtant; qum nimirum rerum iſtiuſmodi tempora præſtituta Deus penes ſe recondita contineat, uti ſuos monuit Dominus Chriſtus. Act. c. 1. v. 7. qin & cap. 5. v. 8. דָּבָר apertiſſimè ſic uſurpatur; *Si oppreſſionem pauperis, juriſque ac juſtitiæ interverſionem in provinciâ aliquâ videris, noli mirari* עַל דָּבָר *de re iſtâ.* ὅτι τῦ πράγματ. Græc. Accedit & Salomonis Jajri avtoritas, qi כָּל דָּבָר hîc exponit, כָּל דָּבָר *rem omnem.* monétqe eo ſignificatu uſurpari vocabulum iſtud in lingvâ Talmudicâ. qin & זְמַן idem interpretatur עִת קְבוּעַ *tempus fixum, conſtitutum,* apud Deum ſcil. qamdiu iſtiuſmodi cuncta ſint duratura. Non igitur de prudentiâ humanâ, ſed de providentiâ divinâ locus intelligendus eſt. Ita Oroſius in apologet. *Avdi Salomonem ſuper ordinatione temporum & Dei conſtitutione teſtantem; Omnia tempus habent; & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo.-Deinde alio loco dicit; Juſtum & impium judicabit Deus: & tempus omnis rei tunc erit.* Sed & Oroſio prior Gregorius, non Nazianzenus, cujus inter ſcripta reperitur, ſed Neocæſarienſis, qod ex Ruffini *hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 25.* diſcimus, *in Eccleſiaſt. metaphraſi c. 3.* χαὶ ὅτι πάντων γάμοι τ ἐναλλοιότητες ὀξυρρόπως τ ἀφανῶς ἐξ ἀγαθῶν εἰς χαχὰ μεταπίπτουσιν. *Enimverò hoc tempus contrarietatum quarumvis eſt refertiſſimum. rebus humanis ex eis qa bona videntur in mala certiſſima celerrimè mutantibus.* Atqe hæc occaſione lectionis vitioſæ, parúmqe commodæ ejuſdem interpretationis. Ad Hymnographi locum regredimur, qem Hebraica ſcriptura ſic exhibet, נַפְשִׁי בְכַפַּי תָּמִיד *Anima mea jugiter in manu meâ:* qanqam Hieronymus *Epiſt. ad Suniam & Fretelam,* non כַּפַּי ſed כַּפָּי legit, *in manibus meis.* prout & Chaldæus, qi עַל גַּב יְדַי habet, qaſi *ad manus,* vel *manibus aſſidentem* dixeris. nec *apud Hebræos* tantùm, ſed & *apud Septuaginta,* & *apud omnes interpretes,* idem ſcriptum eſſe affirmat, *in manibus meis,* non

in manibus tuis. cum tamen contrà planè apud Sept. χερσί σου. hodie legatur. et cum Ambroſius, tum & Auguſtinus itidem, in pleriſque codicibus, *tuis*, legi aſſeverent. etiamſi reverâ apud Latinum Veterem in codicibus hodiernis, *manibus meis*, habeatur. Addit Hieronymus, *omnes apud Græcos Eccleſiaſticos interpretes locum iſtum ſic ediſſerere*. quod ut verum fuerit de eis, qi Hieronymum antecеſſerant, qorum ſcripta maximâ ex parte jam interierunt; at de ſeqentis ævi enarratoribus ſecùs ſe habet, uti ex Theodoreto, Chryſoſtomi qi nomen præfert, & Evthymio liqet. Verùm lectionem hanc Auguſtinus ubi propoſuerat; *hoc*, inqit, *quomodo intelligatur, ignoro*. tum nonnulla ſubjungit longiuſculè petita, qæ nihil ad rhombum; ſed verſioni priori inhærere præoptat. Arnobii verò nomine qi ſcripſit in Pſalmos: *Animam ſuam in manibus habet, qi ſemper eam exituram conſiderat*. Et Bernardus *in Vigil. Natal. ſerm. 3. Sicut, quod in manibus noſtris tenemus, non facilè obliviſcimur; ſic nunqam obliviſcamur negotium animarum noſtrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus noſtris*. At Ambroſius aliter interpretatur; *Anima mea in manibus meis, hoc eſt, in actibus, in operibus, ſemper*. Quod idem planè Remigius; ſed & Gregorius ferè Rom. *in Job. l. 22. c. 19. Animam in manibus portare, eſt intentionem cordis in operatione oſtendere. qi ergo intentionem ſuam per opera inſinuat, animam ſuam in manibus portat*. Verùm à verſione iſtâ mox demùm reſilit, & ad vitioſum illam pronus fertur Ambroſius, in qâ etiam explicandâ multum ſe torqet; multáqe congerit, qæ nec ſecum invicem, nec cum verbis ipſis ſatis conveniant. interim tamen imprudens in illam illiuſqe ſenſum genuinum fortè magis, qàm arte incidit, dum obiter monet, *inſtum dominо poſſe dicere in periculis poſitum; Propter te quotidie morior, quotidie periclitor. propterea in manibus meis anima mea, atqe ita* Hieron. Eſt breviter hic ſenſus: *Quotidie periclitor, & quaſi in manibus meis ſanguinem meum porto*. Rectiſſimè. Hebræis enim *anima in manu poſita*, vitam periculo ac diſcrimini expoſitam deſignat. quod etiam ſignificantiùs exprimi poſſet, ſi verteretur, *Anima mea in volâ meâ*. (quod Aquila forſan voluit, cum ἐν τῇ χειρὶ μου reddidit.) hoc enim ידו propriè ſignificat. quod de tribus corporis partibus

enun-

enunciatur. eſt enim כף רגל *volæ manus.* כף רגל *planta pedis.* Geneſ. c.8.v.9. & כף הירך *curvatura*, ſive *commiſſura femoris.* Geneſ.c.32. v.25. nam quod כף etiam pro alâ uſurpari affirmat avtor *Exercitationum in Legem Moſaicam de leg. ceremon. l.1. exerc.9.* exemplo planè carere videtur. nec occurrit qicqam quod vel ſvadeat, multò minùs exigat, בכפי Hymn.7.v.4. *in alis* potiùs, uti ille vult, quod eſſet בכנפי qàm *in manibus meis*, quod diſertè ſignificat, exponi. Rectè Abraham Eſdræ; ideo, inqit, כף i. e. *manum* nominavit, qia eâ homines cædere & occidere ſolent. Quod itaqe Lyrodus noſter ait; *Anima mea jugiter in manu*, ſive, *in volâ, meâ*, metaphora eſt ab eis ducta, qæ cum in manu, vel manus etiam volâ geſtentur, facillimè excidunt, & excidendo vel amittuntur vel intercidunt. Tale eſt & Jobi illud c.13.v.14. *quamobrem tollere cogor carnem meam dentibus meis? (ita ſcil. dilaceratam, ut particulas ejus dentibus prehendere & avferre poſſim?* Piſcat.) *& animam in volâ geſtare?* è qâ utiqe facillimè excidat. Illud Jephtachi Judic.c.12.v.3. *Poſui animam meam in manu meâ, & trajeci ad Ammonitas.* i. *non ſine vitæ periculo trajeci:* ut rectè Druſius *obſerv.l.2.c.18.* Illud Jonathæ de Davide Hiſtor. Reg. l.1.c.19.v.5. qod ad locum hunc adducit R. Abraham; *Poſuit animam ſuam in manu ſuâ, & percuſſit Philiſtæos.* i. cum vitæ ſuæ periculo percuſſit illos. Illud ſagæ ad Saulem ibid.c.28.v.21. *Poſui animam meam in manu meâ, & avſcultavi verbis tuis.* i. vitæ diſcrimini me expoſui, qò morem tibi gererem. Joſephus Gorionides *l.5. Bellum hoc confeci, & in manu meâ animam meam poſui.* qod Homerus dixit *Iliad.1.v.322.*

Αἰεὶ ἐμεῦ ζυχὸν ἔχεις βροτολοιγὸν ἀνιηθείς.
Jugiter exponens animam mihi belligerando.

De Malachiâ Hiberno ad Archiepiſcopatum Armachanum evocato, in qo graves & enormes admodùm invaluerant exceſſus, qos corrigere arduum nimis videbatur, Bernardus in *Oratione funebri: Animam ſuam in manibus ſuis ponens, acceſſit intrepidus, ſuſcepit Archiepiſcopatum, tradens ſeſe diſcrimini manifeſto, ut tanto crimini finem daret.* Illud obiter obſervatu non indignum, quim adverſâ plane invicem mente formulâ iſtâ, qâ *manu tenere* vel *geſtare* aliqid dicitur, nunc

in *securitatis* significatu usurpetur, ut qum *in manum Dei deponi*, Hymn.31.v.5. Luc.c.23.v.46. & Petr. ep.1.c.4.v.19. vel *in manu Dei aliqid haberi* dicitur, Joan c.10.v.29. & Sapient.c.3.v.1. qia utiqe nec ibi positum qisqam abripere, nec eô mali qicqam attingere possit. nunc contrà ad *discriminis* designationem adhibeatur, uti ex locis illis omnibus suprà positis paret; respectu diverso ista necessatio dici. forsan autem in priore significatu, ad ea respicitur, qæ manu eâqe complicatis digitis compressâ, tenentur robusti alicujus, qalis Milo prædicatur, qi, uti Ælianus *Var.hist.l.2.c.24.* & Pausanias in *Eliac.l.2.* malum punicum ita manu continebat, ut nec alius qisqam vi eximere posset, nec ipse tamen comprimendo elideret. unde de eodem Plinius *hist.nat.l.7.c.20. Malum tenenti nemo digitum corrigebat.* pro qo frustra, *corripiebat*, substitutum eunt, in posteriore ad ea, qæ manu apertâ, sive in volâ gestantur, & vel eripi, vel elabi proclivia sunt; ficut & ea qæ בְּקֻלַּע הַקֶּלַע *in funda cavo*, sive *volâ*, (nam & de hac etiam adhibitum reperitur) habentur, facilè, ubi occasio est, excutiuntur. unde Cicero in *carmine joculari*, (si Donato *in Terentii Eunuchum* fides)

Fundum Varro vocat, qâ possit mittere funda,
Ni lapis exciderit, qâ cava funda patet.

restitui Varronis nomen pro eo, qod in excusis, *verò*, legitur. qanqam alias vocabuli illius notationes Varro dederit. *cava funda* est τὸ κοῖλον ἡ σφενδόνης, *cavum funda*; qod utrumqe etiam tam Græcum qàm Latinum, de manu pedèqe itidem, prout כַּף Hebræis, usurpatur. Verùm istud, prout libuerit, accipiat qisqe per me licet. Pro eo autem qod *animam in manu ponere* eis locis, *animam projicere* alibi dicitur. qod enim de se Jephtha Judic.c.12.v.3. אָשִׂימָה נַפְשִׁי בְכַפָּי *posui animam meam in manu meâ*: Jotham de patre suo, idem dictum volens, cap.9.v.17. יָשַׁלְךְ אִתִּי נַפְשׁוֹ Græc. ἔῤῥιψε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *projecit animam suam*. i. periculis objecit, ὁ φιλοψυχήσας, ἀλλὰ ἐψευσάμενος, qasi nullam animæ. i. vitæ suæ, rationem haberet. qanqam Latinis *animam projicere* aliud est, nempe abjicere, despondere. *Nec projecit animum, projectus.* Senec. *epist.*13. Cæterùm eo magis in loci hujus sensu halucinati sunt prisci illi, qia phrasis ista in eis lingvis, qas callebant ipsi,

vix deprehendatur. Nullum enim ex omnibus tum Græcis, tum Romanis ſcriptoribus occurrere refert V. C. Iſaac. Caſaubonus, qo vix qiſqam diligentiùs utriuſqe lingvæ ſcripta excuſſit, qi formulâ iſtâ ſit uſus, præter Xenarchum unum in *Pentathlo*, qem Athenæus *l.*13. adducit in hæc verba:

Αἰὶ δ' τετρεμαίνοντα, καὶ φοβούμενον,
Διὰ βίου, ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχοντα.
Trementem jugiter, plenum formidine,
Semper paventem, animámqe geſtantem in manu.

Affine huic forſan, diverſum tamen pavlò, Polemonis illud de Cynagiro in Callimachi *epitaphio*. Ἀπόμμυδις ἡ χεὶρ, ἔπιπτεν ἰσθύς, ὥσπερ ἑτέραν οὐκ ἔχων, ἀλλ' ἐν τῇ δεξιᾷ τὴν ψυχὴν ὁπτῶ κομίζων. *Abſciſſâ manu, concidit ſtatim, qaſi alteram non haberet, ſed in dextrâ ſitam animam geſtaret.* Græci aliâ fere formulâ idem exprimunt, nec eleganti minùs illâ, qod Hebræi hac volunt. *Animam in ore primo teneri, in labiis extremis haberi*, vel *eiſdem* etiam *inſidere*, tanqam è corpore mox evolaturam, dicunt. Plato, lavdante Gellio *l.*19. *c.*11.

Τὰν ψυχὰν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔχον.
In labiis animam mî, Agathonis ad oſcula, habebam.

nam Gellianam, qia laſcivior eſt, verſionem, an paraphraſin, miſſam facio. Baſſus apud Senecam *Epiſt.*30. *Non dubitare ſe, qin ſenilis anima in primis labiis eſſet.* Amphitryo in Senecæ *Hercule furente*, *act.*5.

——*hanc animam levem,*
Feſſámqe ſenio, nec minus qaſſam malis,
In ore primo teneo.——

Nec abſcedit longè, qod Lucianus in *rhetorum magiſtro*, Πρόχειρον τὸ ψεῦσμα, καὶ ὅρκος ἐπ' ἄκρους αἰὲι τοῖς χείλεσιν. *Præſto mendacium, & juramentum ſemper in labiis extremis.* unde facilè promptéqe ad omneu occaſionem prodeat. Sed à formulâ iſtâ per idiomatis inſcitiam perperam habitâ, ad aliam tranſimus.

Hymno 128. v. 2. Hominis Deum verè timentis, ritéqe colentis, ſortem beatam prædicans Hymnographus, inter alia, *Labore*, inqit, *manuum tuarum veſceris.* Id Græcus ſic expreſſit, τοὺ πόνους τῶν χειρῶν σου φάγεσαι. Qod Avgvſtinus reddidit: *Labores fructuum tuorum manducabis.* & qod malè

verterat, vel verſum offenderat, nihilo melius enarrans: *Quaſi perverſe videtur dicere non intelligentibus. debuit enim dicere, fructum laborum tuorum manducabis. multi enim manducant fructum laborum ſuorum: quis manducat labores? nemo, inquam.* Mox: *Quid ſibi vult, labores fructuum tuorum manducabis? modò labores habemus; fructus poſteà erit. modò labores fructuum, poſteà fructus laboris.* Hæc illi; adjectâ etiam diſſertatione benè longâ, quâ ſenſum iſtum ſcilicet vel confirmaret, vel expediret. Id nimirum avtumavit voluiſſe Vatem, quod Apoſtolus ad Timotheum ep.2. c.2. v.6. Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. quod Beza mihi rectè vertiſſe videtur; *Agricolam oportet prius laborando fructus percipere.* (πρῶτον, ἀντὶ τοῦ πρότερον, ut Tim.ep.1. c.5.v.12. & Apoc.c.2. v.4.) Et Calvinus explicaſſe, in ſenſum hunc; *non antè agricolas fructum colligere, quàm in terra culturâ, ſatione aliiſque ſudaverint.* ut τὸ πρῶτον ad κοπιῶντα, non ad μεταλαμβάνειν referatur; & eôdem ſpectet, qô id quod proximè dixerat, *Athletam neminem coronari, priuſquam decertaverit*; atque etiam νομίμως. i. πάντα τὰ ἀθλητικῶς νόμων φυλάττων, *certaminis lege omni obſervatâ*, ut Jo. Chryſoſtomus. τοῦ μηδὲ μικρὸν μέρος παρελθεῖν τῶν διατεταγμένων, ὅπως ἂν ἅπαντα ποιῆσαι, ὡς πρέπει λέγειν. *ut ne minimum quidem omittatur eorum quæ præcipiuntur, & ita ſingula perficiantur, prout eſt præceptum.* Baſilius Cæſarienſis, an Euſtathius Sebaſtienſ. (huic enim à nonnullis conſtanter attribui *aſcetica* illa monet Sozomenus *hiſt. Eccleſ.l.3.c.13.* & ex Sozomeno Nicephorus *l.9.c.16.* & *l.13.c.29.* ex Nicephoro Nicetas *in Greg. Naz. orat.30.*) in *proœm. ad præcept. latiores.* qx & *orat. de rerum abdicat.* Ἀθλητὴν νόμῳ δεῖ ζῆν πολιτεύεσθαι· εἰ δὲ μὴ, ὑπ' εὐφημοῦντος ἀθλητικῷ νόμῳ dixit, (qo modo de Muſico Lucianus *ad indoctum libros coementum*, κατὰ τὸν νόμον τῆς τέχνης, verbis illis, Ἅπας δεῖξω, καὶ κιθαρίσας κατὰ τὸν νόμον τῆς τέχνης, ἐκφέρει καὶ ἀνεκρούσθη.) quod Apoſtolus νομίμως. qo vocabulo in eodem argumento uſus eſt Galenus *ad Hippocr. aphoriſm.*18. Φυλάττοντας δὲ αὐτὸ μάλιστα καὶ οἱ γυμναστικὴ, καὶ οὐχὶ νομίμως ἀθλοῦντες. Plato *de leg.l.8.* Ἃ δὲ τὰ μὲν παθόντα, ἢ ποιήσαντα δεῖ νικᾶν, καὶ εἰς ὁπόσα, καθάπερ νῦν ἐν τῇ πάλῃ διενομοθετήσαμεν οἱ περὶ τὴν πάλην αὐτὴν, τί δὲ καλῶς παλαίοντος ἔργον, καὶ μὴ καλῶς, ταυτὸν δὴ καὶ περὶ ὁπλομαχίαν ἅπας

ἀθλητὰς ἵνα, καὶ τότε ζωγραφεῖν κελεύων, τίς νικᾷν ἄξει λέγει· περὶ ταύτας οὖν τὰς μάχας, ὅ, τι μὴ πεσὼν ἢ ἡττώμενος. leges vult in armis decertantibus præſcribi, qid facere, qid fugere debeant, ut pro victoribus habeantur. verba noviſſima docent ita ut nos exhibuimus, prima legenda, non μὴ πεσὼν πεπαυται, qod codices impreſſi habent, qos & Serranus ſecutus eſt. Verùm iſta obiter de voce νομίμως, & imagine Apoſtolicâ à re athleticâ tranſlatâ, qæ illi alteri, à re ruſticâ, involutiùs pavlò propoſitæ, explicandæ opem optimè ferat. Itaqe utrumqe ſimul conjunxit *Aſceticorum* avtor in *Proœm. ad præcept. aſcet.* Τίς, inqit, ἐν γεωργῷ ἢ στρατῷ οἶκοι καθήμενος, ἢ καθεύδων ἐπαίρει τὸν σπόρον ἢ τὸν ἱδρῶτα τῆς ἀσχημάτου; τίς ἐπεύχεται ἀμπελῶνα τῷ μὴ παρ' αὐτῷ πεφυτευμένον; ἐκείνων οἱ καρποὶ, οὗ καὶ οἱ πόνοι. αἱ πυκναὶ καὶ οἱ σίφανοι τῶν στεφανούντων εἰσί. τίς στρατοῦ ἢ μακρὰ ἀποδύσασθαι ἐστὶν ἀνδρεῖον, ἀπὸ τοῦ νικῆσαι δεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως ἀθλῆσαι, καὶ ἐπόμενον. Hunc locum ſpectaſſe patet clariſſimè. Atqe hoc eſt qod Xenophon *Cyri inſtitut. l.* 1. Πόνοι, τῶν ζωῶν ἡδέως ἡγεμόνες. vel potiùs, qod *adverſus Epicurum de vitâ jucundâ* Plutarchus Ἀθλητὰς στέφανον, οὐκ ἀγωνιζομένους ἢ λαμβάνει, ἀλλὰ ἀγωνισαμένους καὶ νικήσαντας· οὕτω καὶ τοῖς ἀγαθοῖς τὰ νικητήρια τοῦ βίου μετὰ βίον ἀπάρχει. ubi in colſationis inciſo primo, altera forſitan negativa delenda fuerit, alioqi ſenſus futurus eſt: Athletæ, qi non decertant, ſive, niſi decertent, coronam non accipiunt; qum avtoris mens ſit, *Athletæ non decertantes coronam accipiunt, ſive, non coronantur, dum adhuc decertant, ſed ubi jam decertaverint & vicerint. eodem modo vitæ probè peractæ præmia poſt eam jam exactam bonis conceduntur.* qod Apoſtolus epiſtolæ dictæ cap. 4. v. 7, 8. vitæ exitu imminente, qaſi ἀγωνίζων decantans, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι· τὸν δρόμον τετέλεκα· τὴν πίστιν τετήρηκα· λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ στέφανος. *Certamen præclarum certavi: curſum abſolvi: fidem cuſtodivi. ſupereſt jam accipienda corona*, &c. Veruntamen non deſunt, qi Apoſtoli priora illa aliter qàm qod dictum eſt, accipiant. In his Syrus eſt, qi ſic μακροθύμει, *Agricola qi laborat, convenit, ut primus de fructibus ſuis cibetur.* Jo. item Chryſoſtomus; (licet Nic. Faber *agoniſt. l.* 3. *c.* 25. ſecùs ſentiat) qi ſic μακροθύμει. ἄκαιρον ὁ γεωργὸς ὑπὲρ ἀνόητα πρᾶξαι, ἀλλὰ περὶ τῶν ἄλλων ἀνδρὸς ἀπολαῦσαι τῶν καρπῶν

τῶν

τῆ οἰκείων. ὅτω καὶ τὸν διδάσκαλον εἰκός. qem & Oecumenius ſecutus: ὁ ὠφελείας τῶν μαθητῶν ἀρχηγὸς ὁ διδάσκαλος ἀπολαύει ὥσπερ ἀρότρου, ὥσπερ τῶν καρπῶν ὁ γεωργός. Sed & Theodoretus; οὐ γὰρ τῶν καλημάτων οἱ γηπόνοι μεταλαγχάνουσι τῶν καρπῶν. *Agricolæ enim ante poſſeſſores fructuum fiunt participes.* è recentioribus item Piſcator; cui inſolens admodum videtur trajecto illa. is ſic explicat; *Sicut agricola, qi ſedulò laboraverit in agro ſuo colendo, primus & ante omnes alios, fructus inde natos percipit: ſic etiam tu, ſi ſedulò laboraveris in agro Domini, qæ eſt Eccleſia, colendo, primus & ante omnes auditores tuos percipies laboris tui fructum, viz. eximiam gloriam & fœlicitatem in cœlo; ſecundum illud Danielis c.12. v.3.* At hoc eſſet, non *ante*, ſed *ſupra* diſcipulos. Deniqe Jo. Lejſildus noſter, non cum diſcipulis doctores, ſed ipſos inter ſe committens: ὁ κοπιῶν, *qi plurimum laboris etiam difficilis ſubit*, ut ep.1.c.5. v.17. οἱ ἐν λόγῳ κοπιῶντες. atqe ita etiam Chryſoſtomus; οὐχ ἁπλῶς γεωργὸν εἶπε, ἀλλὰ καὶ κοπιῶντα· οὐκ ἁπλῶς κάμνοντα, ἀλλὰ καὶ κοπιῶντα. *Qi* ergo *reliqis plùs laboraverit, & operi Dominico inſudaverit*, (qod de ſe Apoſtolus ipſe, περισσότερον ἀυτῶν πάντων ἐκοπίασα. Corinth. ep.1.c.10. v.15.) *is primus laboris ſui mercedem præmiúmqe feret.* **he that laboureth hard, ſhall firſt be ſerved.** qò & idem trahit illud ad Corinth. ep.1.c.3. v.8. τὸν ἴδιον μισθὸν κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. *unuſqiſqe ſuam* ſive, *peculiarem, accipiet mercedem ſecundum peculiarem laborem ſuum.* qod Tho. Mortonus noſter, acutus ſanè accuratúſqe ſcripturæ ſacræ interpres, de mercede, *non ſalutis, ſed lavdis* intelligit. *Merces enim*, inqit, *hæc nihil aliud eſt qàm lavs muneris rectè præſtiti, qam unuſqiſqe à Deo reportabit; juxta illud* Cap.4.v.5. *unicuiqe à Deo erit lavs ſua.* Urget Lejſildus qod ſeqitur. Νόει ἃ λέγω. *intellige qid dicam.* myſterium aliqod ſubeſſe monet. Et Chryſoſt. πάντα εἶπεν ἐν παραβολῇ καὶ ἀσαφείᾳ. At hoc ipſum Beza excipit, qod hæc ſententia perobſcura ac pene allegorica videri poſſit. nec aliud certè Chryſoſtomus voluit, qàm iſta qæ dixerat, qaſi tropica & proverbialia eſſe; qod utrovis modo acceperis, veriſſimum eſt. Verùm optimè Calvinus; *Hoc non addidit propter ſimilitudines qas poſuit, ſed ut ſibi ipſe ſuggereret, qanto præſtantior ſit ſub Chriſti auſpiciis militia, & qanto amplior merces. nam vix*

aſſiduâ

aſſiduâ meditatione hoc tandem ſentimus.

Sed domum tandem redeamus. Alii planè ſunt καρποὶ, de qibus Apoſtolus, alii καρποὶ qos Græcus Hymni interpres volebat. qâ in re Avguſtinum, & Proſperum ſi ſunt ſaltem illius *in Hymnorum partem poſteriorem commentarii*) halucinatos, cum lingvam Græcam minùs callerent, nihil eſt mirum. Origenem Græcum, in Hebræis etiam verſatùm, *in Rom. l.* 1. *c.* 1. ad eundem lapidem impegiſſe, eſt qod magis qis miretur. Verùm mentem interpretum germanam tandem avdiamus. Ἀρθρον χειρὸς καὶ βραχίονος καρπός. καρπὸς eſt *manus cum brachio commiſſura*; *pars illa qâ manus cum brachio conjungitur & committitur.* ex Ariſtotele *de partib. animal.* Evſtath. *ad Iliad.* ε. ſive ut idem explicatiùs pavlò, *ad Iliad.* σ. τὸ μεταξὺ συνάπτον χειρὸς καὶ πήχεως. *illud qod intercedit inter manum & cubitum, eámqe iſti annectit.* Idémqe rurſus *ad Odyſſ.* υ. ἄρθρον χειρὸς, μίλαξὺ βραχίονος καὶ ὠλένης. *manus junctura, qæ inter volam & brachium intercedit.* Latinè qomodo nuncupetur, nondum comperi. nos dicimus **the wriſt**. is eſt enim locus, ubi pulſus explorari ſolet: qod ex Galeno diſcimus *de dogmat. Hipp. & Plat. l.* 1. *c.* 9. αἱ κατὰ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν ἀρτηρίαι, ὧν ἴδιος ἡμῖν ἐστιν ἄσκησις πυρετῶν διαγνώσεως ἕνεκα. atque hi ſunt καρποὶ, (qod dictos illos fefellit) καρποὶ χειρῶν, non καρποὶ δρυῶν, qos Hymnorum interpretes Græci voluerunt, & pro *manibus* ipſis, qæ hiſce cubito junguntur, poſuerunt, qia ad manuum uſum liberum validúmqe hi plurimum conducunt, nec hæ niſi illorum ope & miniſterio adjutæ, qicqam ferè conficere poſſunt. Vidit hoc Theodoretus, *Planum eſt*, inqit, *Septuaginta interpretes* καρποὺς, οὐ τὴν ἔκπτωσιν καλέσαι, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν, *non fructuum perceptionem vocaſſe, ſed manuum partem.* itaqe qod illi καρπῶν, Aqila & Symmachus exactiùs apertiúſqe vertendo χειρῶν dixere. *Laboribus veſci*, eſt fructibus inde provenientibus frui. τὸ δὲ ἐκείνων ἀπολαῦσαι πόνων. Chryſoſtom. ſicut contrà de impiis improbiſqe Parœm. *c.* 1. *v.* 31. *comedent de fructu viæ ſuæ, & ex conſiliis ſuis ſaturabuntur.* i. impietatis improbitatiſqe ſuæ pœnas commeritas abundantiſſimè percipient ac perpetientur.

Cap. VII.

Verba Domini Joan. 4. 35. discutiuntur. ἀναπόφασις, quod illis subest. Origenis allegorica interpretatio rejecta. Camerarii itidem de anni currentis exitu. Hebraorum idiotismus. Scriptura varia. recepta, minùs necessa ità non solicitanda. Hejnſii, de quadrimestri messis spatio, Heraclconis etiam fuisse. Nec Camerario, nec Hejnſio favere Theophylactum. Proverbium haberi, qi opinati sint. horum, alii de laboribus intermissis, alii de frugibus serotinis, alii de messe speratâ, interpretati. Proverbii probatio nulla exhibita. quadrimestre *spatium, pro exiguo, minùs verisimile.* חַג הַקָּצִיר *Pentecostes festum cur dictum;* חַג הָאָסִף *tabernaculorum. Interpretatio simplex, jam olim recepta, asserta & firmata. Tempus anni, qo istud locutus Christus. messis Judæis intra qot & qos menses consummata. Pascha Judaicum Messis initium. messis duplex in dicto Dominico.*

HAbentur hæc Domini Christi verba, Joannis c. 4. v. 35. *Annon vos dicitis,* ὅτι ἔτι τετράμηνός (sive, ut alii habent, τετράμηνος,) ὅτι, ὁ θερισμὸς ἔρχεται; *superest adhuc spatium quadrimestre, & messis erit,* sive, *post spatium quadrimestre assutura est messis? ecce, dico vobis, attollite oculos vestros, & regiones videbitis jam esse albas ad messem.* ἀφ' ἑαυτῶν fronte primâ, loqui videtur. quomodo enim messem indicat propinquam segetum flavedo, si menses ad messem quatuor adhuc superfunt? In nodo hoc solvendo multum torquent se viri summi, hique plures. Origenes, solus, quantum ego possum assequi, verba illa, ὅτι τετράμηνός ἐστι, ὁ θερισμὸς ἔρχεται, ἀλληγορικῶς interpretatur, de messe spirituali, & mensibus nescio cibus mysticis; ut sit præoccupatio eorum qæ excipere poterant discipuli, ad ea qæ dicturus erat de messis hujusce propinquitate; difficiliora scil. esse qæ à Christo docentur, quàm ut possit ad horum apprehensionem tam citò perveniri: & de quatuor elementis suo more nugatur, tam putida, ut recensere pigeat prorsus, nec quenquam putem astipulatorem sibi hactenus nactum. Camerarius, referente Lud. Dievsio, intelligit, *restare adhuc de anno*

anno tum currente menſes quatuor. ducit enim initium anni ab ingreſſu ſolis in ſignum Libræ. proinde tempus, qo iſtud proferebat Chriſtus, in meſſem incidiſſe. hoc ergò vult Dominum dixiſſe. *reſtat tantùm quadrimeſtre ſpatium ad anni præſentis exitum, & meſſis tempus, qod eo ſpatio annum exeuntem anteverterit, jam inſtat.* Cæterùm adverſus interpretationem iſtam opponit Vir doctiſſimus, annum politicum à Tiſri initium ſumpſiſſe. at inde ad Niſan, qo tempore hæc dicta vult, menſes ſex intercedere. ut totidem fere utiqe alteri ad exitum ſuperfuerint. poſſet regeri, ſumi à viro doctiſſimo de tempore dicti dominici id pro conceſſo, qod nondum probatum ſit, nec Camerarius ei forſan largiretur. Verùm reverâ coacta nimis videtur ea interpretatio. Rectè enim Beza obſervat ex Hebræorum idiotiſmo dici; ἔτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. *adhuc qatuor menſes ſunt, & venit meſſis.* pro eo qod eſt, poſt qatuor menſes meſſis aderit. ſicut Geneſ. c.40. v.13,19. *adhuc tres dies, & tollet caput tuum Pharao.* Jonæ c.3.v.4. *adhuc 40. dies, & Ninive ſubvertetur.* Eſajæ c.16.v.14. *adhuc tres anni, & gloria Moabi abſumetur.* Hoc ipſo in Evangelio c.14.v.19. ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκέτι θεωρεῖ. *adhuc pavlulum, & mundus non videt.* i. videbit, *me amplius.* Et Hebr.c.10. v.37. ἔτι μικρὸν ὅσον ὅσον, καὶ ὁ ἐρχόμενος ἥξει. *adhuc puſillum qantulumcunqe, & qi venturus eſt, veniet.* Sed Camerarius, qò interpretationem ſuam ſtabiliat, ait in veteri codice ſcriptum offendiſſe, ὅτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. eandémqe ſcripturam in MS. Rutgerſiano inveniſſe ſe teſtatur V.C. Dan. Hejnſius. Verùm etiamſi dematur ἔτι illud, ſenſus idem nihilominùs reſtare poterit. Sic enim etiam citrà particulam illam Evangeliſta idem cap.16.v.16. Μικρὸν, καὶ οὐ θεωρεῖτέ με· καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με. *pavlulum temporis ſpatium, & non videbitis me: & rurſus pavlulum, & videbitis me dennò.* Cæterùm de ſenſu verborum vir ſummus in ſuis illis *ad Nonnum exercitationibus* eruditionis reconditæ refertiſſimis, *cap.*12. à Camerario diſcedit. Hebraiſmum eſſe avtumat, qem ad verbum Helleniſtæ ſic efferrent, ὅτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ἐν αὐτῷ θερισμός. hoc eſt: τετράμηνός ἐστιν ἐν ᾧ θερισμός. huic interpretationi ſtatuminandæ Theophylactum accerſit; qi, ὑμεῖς μὲ λέγετε, ἀνὶ δὲ νομίζετε, ὅτι ὁ θερισμὸς ἐν τῇ

πεντηκοστῆς ταύτης ἔρχεται. Vult itaqe, ſicut ἑορτὴν θερισμοῦ Pentecoſten Moſi, ita πεντηκοστὴν θερισμοῦ dici *eam anni partem, cujus initium Niſan, in qâ duo Regalim Paſcha & Pentecoſte concurrerent, qorum altero initium, altero finem ſumebat meſſis.* Hujus avtem interpretationis non ille primus avtor extitit: Heracleonem enim Origenes refert Domini verba iſta *de meſſe qæ inſtabat eorum qæ generantur* accepiſſe, perinde qaſi meſſis iſta ſpatium qatuor menſium determinatum habeat. Ita non de qatuor, qi ad meſſem ſupererant, ſed de qatuor, intra qos meſſis confici ſolebat, menſibus, locutum Dominum, avtumabat. Verum nec à receptâ ſcripturâ citra neceſſitatem inſignem recedere tutum ſatis videtur; qod neceſſe fuerit, ſi interpretationem hanc admittimus; nec qem V.C. advocat, Theophylactum, hoc qod ipſe opinatur, voluiſſe, docent qæ ſubjicit, ὁ ἀλλαδιὸς δηλαδή. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πάρεστιν ὁ νοητὸς θερισμός. *meſſem ſpiritualem ait jam adeſſe, illam alteram non item.* Theophylacti verba illa, ὁ θερισμὸς ἐν τῇ πεντηκοστῇ ταύτῃ ἔρχεται, non ſunt ita intelligenda, ac ſi dixiſſet, *triens anni ille in qo meſſis habetur jam adeſt,* (qo modo Theophylactum Camerarius itidem explicat) *ſed intra trientem anni, ſive ſpatium qadrimeſtre meſſis tempus adfuturum eſt.* Maldonatus primus, opinor, cenſuit *proverbium* fuiſſe *Judæis familiare; ab otioſorum hominum voce deſumptum, qi cum ſementem jam feciſſent, qaſi nihil uſqe ad meſſem. i.e. uſqe ad longum tempus, haberent qod magnopere agerent, dicere ſolebant, Adhuc qatuor ſunt menſes uſqe ad meſſem. plerunqe enim, inter eum menſem qo ſementis, & eum qo meſſis fiebat, erant qatuor menſes. fiebat enim ſementis menſe Novembri, meſſis Aprili exeunte; inter qos duos menſes qatuor erant, December, Januarius, Februarius & Martius. q.d. hoc vos ſoletis de corporeâ meſſe dicere; ſed de ſpirituali, ad qam vos jam miſſurus ſum, non poteſtis.* Qanqam idem refert, doctum qendam *qadrimeſtris ſpatii nomine tempus breve admodum* ſignificari voluiſſe. qaſi diceret Chriſtus, *Vos ipſi judicatis tempus jam eſſe, ut de futurâ meſſe cogitetis, cum dicitis, non niſi qatuor menſes uſqe ad meſſem ſupereſſe.* Verùm havd abſurdè cenſet ipſe, ſenſum iſtum Chriſti menti eſſe planè contrarium. Cui adjici poteſt, qadrimeſtre ſpatium, cum ſit anni triens,

triens, meſſis autem ſingulis annis recurrat, pro tempore brevi incommodè nimis uſurpari. De *proverbio* autem, quod Maldonatus habet, cum autore caret, tum contradicere videtur Maroniano illi,

——*redit agricolis labor actus in orbem*,

qo ſignificatur etiam inter ſationem meſſémqe laboris jugis materiam terræ cultoribus nunqam deeſſe. V.C. Sam. Petitus *eclogar. Chronologic. l.*1. *c.*12. *proverbiale* iſtud uſurpaſſe vult Judæos *de frugibus ſerotinis*, ὅτι τετέλεσται, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. i. *adhuc ſuperſunt menſes qatuor, meſsíſqe tempus aderit. cum enim menſe Ijar non ita maturuiſſent fruges, ut poſſent meti, dicebant ſupereſſe adhuc anno vertenti abſolvendo menſes qatuor, intra qos matureſcent fruges & metentur. annus is a Tiſri incipiebat, qod erat caput anni frugum & plantationum: menſe igitur Ijar qatuor adhuc menſes ſupererant, intra qos fieri debebat meſſis. at Chriſtus, qi cum ſuis iſta menſe Ijar loqebatur, dicebat, non eſſe qod dicerent, qaſi ſerotinis frugibus, ὅτι τετέλεσται ὅτι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. nam jam maturuerant fruges, ὅτι αἱ χῶραι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. qibus verbis indicabat, maturuiſſe frugem ſpiritualem.* Atqi, ὁ vir πολυμαθέστατε, qo modo tibi convenias ipſe, non video, qi ſuprà dixeras, *Certè falſum conſtat ex iis qæ addit Dominus, qatuor ſupereſſe ad meſſem menſes, ſubjungit enim,* ὅτι λευκαί εἰσιν αἱ χῶραι. *inſtabat ergò meſſis.* Etenim ſi de meſſe aliâ dicuntur iſta, qod & ipſe agnoſcis, nec inficias iturum qenqam havd fruſtra Origenes aſſeverare eſt avſus, qomodo meſſem eam inſtare ex his verbis elicietur? tum intra ſpatium contractius multo qàm eſt qatuor ab Ijar menſium, meſſis tota conſummabatur, etiam frugum qàm maximè ſerotinarum, qum vindemia etiam ante Tiſri medium abſolveretur. Levit.c.23.v.39. & Devt.c.16. v.13. itaqe feſtum Pentecoſtes, qod in menſem Sivan incidebat, dicitur חג הקציר Exod.c.23.v.16. *feſtum meſſis*, qia frugum meſſe jam confectâ celebrabatur; feſtum avtem Tabernaculorum חג האסף *feſtum collectionis*, qod fructibus qoqe jam collectis, vinóqe ac oleo confectis, habebatur. Exod.c.23. v.16. *Paræmiodes* eſſe conſentit D. Dievſius in *animadverſ. in Evang.* ſed vult *eâ locutione, qaſi ſententiâ conſolatoriâ, uſos Judæos, jam jacto*

in terram semine, ἐπὶ τῆς γῆς βάλλοντος, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. *adhuc menses quatuor, & messis aderit. nam Judæis*, inquit, *aratio fiebat mense Marcheſvam, satio Ciſlev, messis Niſan medio. ita inter ſationis & messis tempus quadrimestre fere ſpatium intercedebat. esse ergò perinde ac ſi dixisset, Tritum hoc apud vos dictum est; ſed cujus nunc nullus usus est. neque enim jam quadrimestris spatii morâ opus est, ut expectetur messis, cum regiones jam ad messem albæ sint.* Verùm quam ille præscriptionem adhibuit adversus D. Hejnſii interpretationem, *non liqere* scil. *ſolitos Judæos in trientes istiusmodi annum dividere*; avt trientem illum peculiariter ita *nominasse*: eadem adversus cum ipsum, tum & reliqos illos, qi *proverbiale* loqendi genus hîc comminiſcuntur, uti licebit; nihil ab eis produci, unde constare possit, tritum apud Judæos dictum istiusmodi fuisse. Qid est avtem opus ad ejusmodi vel commenta, vel conjectamenta divertere, cum simplex sponte se in oculos ingerat sensus? ad messem scil. naturalem, temporis spatium satis longum superesse, spirituale verò jam instare. Ita ex antiqioribus Avgustinus *in Joan. tract.* 15. qem Beda, Hugo, & Hemingius ἀντιλεξεὶ transcripserunt; *Vos qatuor menses computatis usqe ad messem; ego aliam vobis messem albam & paratam ostendo.* Cyrill. *l.* 2. *c.* 106. Ὧδε μὲν ὧν χειμῶνος ἦν κατ' ἐκεῖνον καιρὸν, ἀρίζηλος ἡ χλοὴ τῶν σπερμάτων ὁ κάλαμος μόνις μὲν τὰ ἀρίστης ἐξέφυτε καρπῶ ἡ πυκάζων μὴν διπύρους εἰς τὸ θερίζοντος χεῖρα πεπῖδε περιδοκᾶτο. mox; ἐλέγον τοίνυν ὅτι γῆς φασμάτων τὰ διανοίας ὀφθαλμὸν ἀνοχλοῦντες, τὰ πνευματικὰ ἀναβρέττε σθαι, ἵνα λευκάνθωσι μᾶλλον, ὅτι τὰ ἄλογα βασιλικῶς ὕλη, καλεῖ ἡ λοιπὸν ἐφ' ἑαυτῷ τὰ ἀμητῆρα ζῶντα. *Hibernum adhuc tempus fuerat, viridéſqe ac novelli culmi vix ſpeciem horreſcentem arvis induerant. at ſpatium qadrimeſtre ubi cursum ſuum confecerat, fore ut in meſſoris manus incideret, expectabatur. Cæterùm vos, inqit, à rebus terrestribus mentis oculo paulisper dimoto, sata ſpiritalia contemplamini, flaveſcentia horreum appetere, & falcem meſſoriam poſcere.* Theophilus in Thomæ Catenâ; *Nonne dicitis, qòd adhuc qatuor menſes ſunt, & meſſis venit, ſcil. materialis. ego avtem dico vobis, qòd meſſis intelligibilis adeſt.* Verùm is Theophilus, puto, est Theophylactus. Nec aliò abscedunt Chryſoſtomus & Evthymius.

mius. Ex recentioribus, quorum pars maxima eôdem concedit, diſertè Nic. Liranus *in Joan. 4. Licet tempus meſſis corporalis adhuc diſtet; tamen tempus meſſis ſpiritualis jam inſtat.* Jo. Ferus *in Joan. c. 4. Vos dicitis meſſem procul abeſſe, quatuor ſcil. menſibus: at ego dico eam prope adeſſe. At de meſſe agrorum hoc dicere non potuit, à quâ, ut ipſe fatur, adhuc toto quadrimeſtri ſpatio aberant. de ſpirituali igitur meſſe loquitur, quæ per Evangelii prædicationem perficitur.* Rod. Gualterus *in Joan. homil. 31.* Mart. Chemnitus *harmon. Evang. c. 32. Vos dicitis, inquit, jam quatuor menſes reſtare ad meſſem. ego autem dico vobis, ſpiritualem Evangelii meſſem jam inſtare.* Et Corn. Janſenius *concordant. Evang. c. 23. Vos dicitis, poſt quatuor menſes venturam meſſem: ego autem dico vobis, jamjam inſtare meſſem Evangelicam: regiones enim jam albeſcere ad meſſem. i. e. paratos eſſe homines ad recipiendum Evangelium, per quod colligantur in horreum Domini.* Thomas denique Cajetanus. *Hinc ſupputari facilè poteſt; quòd Jeſus novem menſes vel circiter poſt paſchà manſit in Judæâ. nam quadrimeſtre ante meſſem hyemale tempus eſt. Et quia in regionibus illis præcoces ſunt fructus terræ, computando meſſem ſolè exiſtente in Geminis, conſequens eſt, quòd ſole exiſtente in Aquario vel circa, hæc dicta fuerint.* Appoſitè admodum, niſi quòd miſſis tempus juſto ſerius pavlò conſtituat, quæ *ſole in Ariete exiſtente*, menſis *Niſan* medio ordiebatur, ut ex frugum primitiis, ad feſtum Paſchale oblatis, patet. Levit. c. 23. v. 5, 6, 10, 11. & Deut. c. 16. v. 9. *in Tauro exiſtente*, menſe *Jyar* toto fervebat, *in Geminis exiſtente*, menſe *Sivan* medio ferè conſummabatur. Certè manifeſtam antitheſin Dominus inſtituit inter meſſem hanc & illam alteram; cujus venuſtatem gratiamque tollunt prorſus, qi circa meſſis hujuſce tempus hoc dictum volunt. Ut fruſtra quoque fuerit Origenes, qi inde interpretationi ſuæ planè abſonæ & à Chriſti mente remotiſſimæ firmandæ, rationis ſpeciem ſaltem aliquam aucupatus, ideò in utroque membro allegoriam latere contendit, qia in altero reperitur, cum & tempus tempori & meſſi meſſis diſertè opponantur. Proinde cum V. C. Jo. Scaligero *de emendat. temp. l. 6.* ſtatuendum videtur, circiter menſem *Tebeth* hoc à Chriſto prolatum, à quo ad menſem *Jyar*, quo meſſis fervere ſolet, quadrimeſtre ſpatium

tium intercedit. Nam quod Vir doctiſſimus inde colligit, æſtatem fuiſſe, quia Chriſtus æſtu fatigatus ad fontem deſederit Joan.c.4. v.6. id verò non tam ab æſtu, quàm ab itinere factum eſſe poterat. Ut nihil etiam hac in parte ſit, quod à ſenſu ſimplici obvióque deflectere ſvadeat; quod cogat verò multo minùs. Cæterum in hanc partem peccant crebrò viri etiam maximi, dum ad rationes ſuas ſcripta ſacra trahere ſatagunt, cum ad iſta ſua potiùs exigere debeant,

Πρὸς κάθμη πέδον πθέωθαι, μή τ᾽ ἐς πέτρην κάθμαι,

uti carmine proverbiali monuit Avtor gravis in commentariolo *de profectus indiciis*.

Cap. VIII.

Hymni 18. *commat.* 34. pedes cervini, *quâ ratione uſurpati.* אַיָּלוֹת *tam* cervi, *quam* cervæ. *Animalium nomina Hebræis* ἐπίκοινα. *et Græcis pariter. ita illis* חָמוֹר & אֲתוֹנוֹת *De Ionæ piſce Iajri nugamentum. ita* פֶּרֶא onager. *Ier.*2.24. *ubi lapſus Piſcator.* ferus, *unde* אֲרָיוֹת leones, *Zeph.*3. 3. *De utroque ſexu,* ὁ ἐλέφας, ἡ ἔλαφος, *crebriùs Græci. Ex Ariſtotele corrigendus Plinius. Elaphoenti monti fiſſis avribus cervi,* ἡ ἵππος, ἡ πῶλος, *&c. non Dorum, avt Atticorum duntaxat.* Ubi cervi cornua abjiciunt, *Proverbium unde. cervos cornua defodere, creditum; utrunqe an alterum, atqe ex his utrum, cervorum generi maſculo duntaxat cornua. licentiâ poeticâ cerva cornuta fingitur; qod cum veritate conciliare fruſtra ſatagunt. Cervos & apros in Africâ haberi, priſci negant. Maro tamen, cervorum agmen in partibus illis Æneæ oblatum. id Servius ut excuſet. utrumqe genus in regionibus illis hodiè deprehendi. De hederâ & oleâ, qid veteres tradiderint: Gaza Theophraſtum perperam habuit; ſed & Plinius. Evripides ab Æliano notatus, de noctuâ in Cretâ; Statius à Scaligero, de cupreſſo Alpinâ; Herodotus ab Ariſtotele de aquilâ bibente.* ἀπολα τὰ χαμαιδαυκα. Albi, *montes Creticî.* Alpes *Gallis, montes alti qiqe.* Indiæ *nobis terræ, & à nobis, & à ſe invicem longiſſimè diſſitæ.*

diſſita. Qæ ex Herodoto Ariſtotelet, in ejus ſcriptis jam non parere. Muretus qæ in Cicerone notarit.

OCcurrit aliqoties in ſcripturis ſacris proverbialis qædam formula, qam & V.C. Jo. Druſius obſervavit, & in *Proverbiorum* ſuorum *claſſis* 2. *librum* 5. conjecit *loco* 54. וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי *cervinorum inſtar pedes*, Reperitur ea in Davidis hymno ὑπὲρ τῆς ἐνχαινισμοῦ Hiſtor. Reg. l. 2. c. 22. v. 34. & in libro Hymnorum Hymn. 18. v. 34. ſed & in Habakkuki cantico v. 18. Formulâ autem hac qidam *conſiſtendi firmitatem* deſignari volunt. in qibus eſt Salomon Jajrus. ut eôdem ſpectet qò id qod ſeqitur, verſu 37. *Et non nutarunt tali mei:* qidam *ſtrenuitatem* in hoſtibus, tanqam ſerpentibus, conculcandis & conterendis; in qo Theodoretus ferè ſolus eſt. ſed qi à commatio 41. ſuffragium habere videatur, qo loco David hoſtes ſuos *pulveris inſtar comminuiſſe, luti inſtar conculcaſſe* perhibetur. at alii plerique *velocitatem, celeritatem, agilitatem* intelligi volunt: atqe ita Chaldæus, & Levi Gerſomides. *celeritatem* verò ſive *agilitatem* qi ſic ſumunt, explicant, vel eam qæ in hoſtibus veluti venatoribus, fugiendis, qò ipſorum impetus effugiat, ne eum illi aſſeqantur, adhibetur; & ſic David Camius in Reg. l. 2. c. 22. cui Evthymius, ſed myſticè interpretatus, accedit. vel eam, qâ rupes cervi aſcendunt, & loca inacceſſa, unde venatores cum contemptu qodam deſpiciant. & ſic Areas Montanus in Habak. c. 3. cui ſuffragatur, qod ſtatim ſubjungitur. *Et ſuper excelſa mea me ſtatuis.* Vel eam, qâ fugam impedientia, lamæ, cavdices, vepreta, & ſimilia, tranſiliuntur. qo modo Avguſtinus, ſed & qi Hieronymi Proſperiqe, nomina præferunt, ſed allegoricè, interpretantur: vel eam etiam, qæ ad hoſtes perſeqendos ſit uſui; qo modo in eundem locum & Camius. cui aſtipulatur, qod verſu 36. *hoſtes meos inſecutus & aſſecutus ſum.* Vel eam denique, qæ in arcibus munitiſſimis ac propugnaculis excelſiſſimis etiam tranſcendendis, exercetur atqe exeritur. qò inclinant è noſtris Calvinus & Mollerus. favétqe eorum ſententiæ, qod priùs dixerat, verſ. 30. *ope Dei mei murum tranſilio.* Ego ſimpliciter ſumendum exiſtimo, & loca munitiſſima cum celeritate ac facilitate eximiâ ſuperandi

occupandíqe facultatem avtumo eâ imagine adumbratam.

Verùm qæritur, cur אַיָּלוֹת *cervas*, potiùs qàm אֵילִים *cervos* dictum ſit. Atqe in hoc nodo ſolvendo fruſtra ſe torqent nonnulli. Jajrus enim, qem ad *firmitatem* retuliſſe diximus, crura rectiora, & ex conſeqenti firmiora, vult eſſe in cervino genere fœmellis qàm maſculis; ſed nullâ id vel ſpecie probabilitatis. alii, in qibus eſt Areas Montanus, agiliores opinantur eſſe cervis maſculis cervas, qòd cornuum pondere nullæ prægraventur. qod idem & *de dromade* & *onagro* fruſtra D. Camius, in Jer.c.2. v.23,24. fœminas maribus eſſe velociores. qanqam cornuum ratio in his locum non habeat. At mihi verò אַיָּלוֹת nomine, etiamſi formula ſit fœminea, ſexus uterqe promiſcuè deſignatus videtur. ſicut & אֲתוֹנוֹת nomine, cum tamen fœmininum ſit, tam aſini qàm & aſinæ comprehenduntur. Geneſ.c.12. v.16. Job.c.1. v.3. & c.42. v.12. Sed & אָתוֹן ſingulare, cum formam præferat maſculinam, ὄνους tamen & ipſum adhibetur. Itaqe in Balaami hiſtoriâ Num.c.22.v.23,25,30,33. verbis fœmininis junctum identidem reperitur. qod & idem de voce חֲמוֹר patet, ex Exod.c.13. v.13. ubi פֶּטֶר חֲמוֹר ſive *apertura aſini*, dicitur fœtus is, qi aſinæ vulvam primus recludit. Neqe eſt idcircò neceſſarium, qod Evthymius, & poſt Evthymium Janſenius *concordantiæ c.*110.volunt,apud Zachariam c.9.v.9. vocabulo iſto *aſinum*, non *aſinam* deſignari. qia nomen Hebraicum formam habeat maſculinam. nam qod cum Ribera *in Zachar.* tum & Jo. Piſcator *in Matth. Evang.* obſervarunt; refellitur hoc ex Hiſtor. Reg.l.2.c.19. v.26. ubi Mephiboſheth Davidi Regi, *Dixi*, inqit, אַחַבְּשָׁה לִי הַחֲמוֹר וְאֶרְכַּב עָלָיו *accingam mihi aſinam, ut ſuper eâ vehar.* niſi ſiqis adeò ſit Arcadicus futurus, ut dicat *aſinum* Mephiboſhethum accingi voluiſſe,qo *aſinâ* ſcil. poſſet vehi. qo modo Jajrus, cum apud Jonam legiſſet, c.1. v.17. *præparaſſe Deum* דָּג גָּדוֹל *piſcem magnum*, qi Jonam deglutiret; & rurſus c.2.v.1. *ſupplicaſſe Deo Ionam ex viſceribus* הַדָּגָה *piſcis:* ubi forma fœminea uſurpatur: duos inde nobis piſces exſculpſit,marem alterum, alteram fœminam. ab illo Jonam primò exceptum, cum in ventre piſcis ſpatium ſatis amplum inveniret, ad orationem ani-

animum non adjeciſſe. at cum Deus piſci illi mandaſſet, ut in fœminæ fœtæ os captivum ſuum evomeret, tum demum in anguſtiis jam conſtitutum, de liberatione ſui Deum interpellaſſe. Verùm advertiſſe debuerat Judæulus, quod c.2.v.10. ſequitur, *mandaſſe Deum* דָּג *piſci*, (ubi forma maſculea denuò occurrit) captivum ſuum ut emitteret. ita pari ratione, non duos tantùm, ſed tres piſces comminiſci licuerit; marem, qi primus vatem abſorpſerit; fœminam, qæ à mare rejectum exceperit; marem alterum, cui illa denuò tradiderit. ut datatim, tanqam pilâ, Jonâ piſces illi luſerint. ſunt verò iſta ſartoribus ſuis digniſſima nugamenta. Animalium vocabulis citra formationis reſpectum, nunc de meliore, nunc de ſeqiore ſexu, utuntur ſcriptores ſacri. qod ad Jer.c.2. v.24. Camius obſervat; qo loco, cum nomen ipſum, tum & attributa formam maſculam habent, qum tamen de fœminâ cevente marémqe ſectante agatur. nec animadverſum id, cum deſcriptoribus Judæis variam exhibendi ſcripturam, tum & Scholiaſtæ erudito, contextum divellendi, occaſionem præbuit. Nec exteri ſecùs. Græci enim in qibuſdam maſculeam formam freqentiùs, in aliis fœmineam familiariùs uſurpant. De elephante Ariſtoteles *hiſtor. animal.l.6.c.27.* ὁ δ' ἐλέφας ὀχίνει καὶ ὀχεύεται περὶ τὸ ἔτος. *Elephas init & initur ante annum viceſimum.* Et *l.5.c.14.* Ὃν δ' ἂν ὑγκύμονα ποιήσῃ, τοῦτο πάλιν οὐκ ἄπεισι. *quem impleverit*, ſive *impregnaverit, eum non attingit denuò.* ubi apertè de ſeqiore ſexu agens, formulâ uſus eſt maſculeâ. qo modo de eqâ à Phormide repræſentatâ Pavſanias *Eliac.1.* Οὗτός ἐστιν, ὅτῳ καὶ τὸ Ἱππομανὲς λόγῳ τῷ Ἡλείων ἔγκειται. *Iſte eſt, cui, ut Elei ferunt, Hippomanes immiſtum eſt.* ex qo loco V.C. Cl. Salmaſius in *exerc. Plinianis* apud Theocritum *idyll.* 2. pro Ἱππομανὲς φυλόν ἐστι, legendum contendit, Ἱππομανὲς χυλὸν ἐστι, &c. ut ad ſtatuam dictam reſpectum ſit. At contrà de cervis, prout & Hebræi, genere fœmineo utuntur crebriùs. Sic enim (ut LXX. præteream, qi articulum, ſiqem, fœmineum præfigunt, ubi de *cervis* verba habentur, Devt.c.12. v.22. Hymn.42.v.1. & 104.v.19.) philoſophus idem, ne longiùs abeamus, *operis ejuſdem l.6. c.29.* Ἡ δ' ἔλαφος καὶ μὴ ὀχείαν ποιῆται, καθάπερ εἰλέχθη πρότερον. *Cervus coitum perficit, prout ſuprà dictum eſt.* Et mox: Ἐν δὲ τῷ ὅρει

τῷ ἐλαφοέντι κεκλιμένῳ ἔλαφοι πᾶσαι τὸ ἓν ἐκκεκριμέναι εἰσίν. *In monte Elaphunte cervi omnes avribus ſunt fiſſis.* Ita enim Plinius rectè vertit, *cervi*, non *cervæ*. qo modo & apud Hymnographum Vetus interpres havd malè, *cervorum*, non *cervarum*, *pedes* reddidit. nec noſtris **harts feet**, qàm **hindes feet**, reddere minùs licuerit. qo modo Zeph. c. 3. v. 3. אריות שאגים Græcum Latinúmqe pariter ſecuti, vertunt, **roaring Lions**, qum tamen vocabulum eo loci uſurpatum formam fœmineam præferat. Qòd avtem apud philoſophum Leonicus & Camotius, pro Ἐλαφόεντι, ſubſtituunt Ἐλατόεντι, tanqam ab *abietibus* monti nomen id inditum ſit; qia forſan apud Plinium *l.* 8. *c.* 58. montem *Elatum* offenderant: ex Ariſtotele potiùs corrigendus Plinius videtur, & *Elaphuntem* legendum: qod etiam malim, qàm *Elaphum*, qod ex Strabonis ac Ptolomei avtoritate repoſuiſſe Longolius perhibetur. Cæterùm uſum hunc fœminino genere uſurpandi ἡ ἵππον, ἡ πῶλον, ubi de maſculis eſt ſermo, qomodo Theocritus *idyllio* dicto,

——— τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονθ' ἁπτὰ, καὶ θοαὶ ἵπποι.
——*iſtic in montibus omnes*
Perciti aguntur eqi celeres pulliqe furore.

& ἡ ἔλαφον pariter, qo modo proverbium vulgò jactatum habet, cujus meminit Ariſtoteles *l.* 9. *c.* 5. Ὅτι αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. *ubi cervi cornua abjiciunt ſua*; Dorum eſſe aſſerit Cl. Caſavbonus, Atticorum Jo. Druſius. certè apud ſcriptores omne genus, tam qi ſerto, qàm qi ſoluto ſermone ſunt uſi, freqentiſſimè deprehenditur. Proverbium verò qod attinet, inde tractum dicit Philoſophus, qod *cervi* ἐκ τόπων χαλεπῶν καὶ δυσεξεύρετων, *in locis inventu difficilibus*, vel ut Plinius *l.* 8. *c.* 32. *inviis*, *cornua deponere* conſveverint. Plutarchus verò libello *de Pythiæ oraculis*, Proclei tyranno, qi Timarchum Athenienſem, interfectum priùs fiſcellâ concluſum ſubmergi procuraverat, de rebus ſuis conſulenti, redditum refert oraculum, eò proficiſceretur, ubi fiſcellam illam deponi fecerat, vel ὅπου τὸ κέρας ἀποβάλλει ὁ ἔλαφος, *ubi cornu ſuum cervus abjicit*; ex qo, inqit, intellexit ſeſe avt ſubmergendum avt defodiendum voluiſſe Deum fatidicum. eo nimirum qod cornua, ubi depoſuerint, defodere cervis ſolenne

lenne fit habitum. Ita Oppianus *Venatic. l. 2.*

Ἡ δ' ἐυκριδίων κεράων ὄρρησι πεσόντων,
Βόθρον μὲν χθὶ γαῖαν ὀρυξάμενοι καλίσσαν.
Temporibus ramosa suis ubi cornua ponunt,
In terrâ defossa solent sepelire cavatâ.

At Plutarchus non *cornua*, sed *cornu*, qasi alterutrum duntaxat, defodi dicit, qi & loco priùs adducto subjungit, οἱ δὲ ἔλαφοι καταρύπτουσι καὶ ἀφανίζουσι χθὶ τὰ γῆς, ὅταν ἐκπέσῃ, τὸ κέρας. Et *Sympos. l. 7. c. 12.* τὸ καταρυσσόμενον ὑπὸ τῶν ἐλάφων κέρας. nec deerit forsan, qi Oppianum pariter capiendum statuat, ut *cornua* pro cornuum altero dixerit, qo modo *ad navis latera*, pro, ad latus alterum Jonæ c. 1. v. 5 dictum alibi observamus. Cæterùm de utro cornu, dextro an sinistro intelligendum sit, id verò inter narrationis hujusce avtores havd perinde convenit. Etenim Aristoteles, ubi adagii supra dicti meminerat, *cornu sinistrum* defodi testatur. Λέγεται δέ, ὡς τὸ ἀριστερὸν κέρας ἀφιᾶσι ἐώμενον. ἀποκρύπτειν δὲ αὐτὸ, ὡς ἔχον τινὰ φαρμακείαν. At Plinius, qi Aristotelem transcripsisse videtur, qod de *sinistro* ille, de *dextro* pronunciat, *l. 8. c. 32. Dextrum cornu negant inveniri, cev medicamento aliqo præditum, defodi ab eis putant.* Solinus, qi Plinium passim sequitur, *c. 19. e cornibus qod dextrum fuerit, efficacius ad medelam.* qanqam defossionis (qod mirum) non meminit. Theophrastus itidem in fragmento *de animantibus invidis*; Καὶ ὁ ἔλαφος τὸ δεξιὸν καταρύπτει κέρας, πρός τι τὸ τῶν φρύνων φάρμακα, καὶ πρὸς ἄλλα πολλὰ χρήσιμον. Et ex Theophrasto Ælianus *de animal. l. 3. c. 17.* οἶδε καὶ ἔλαφος τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων εἰς πολλὰ ἀγαθὸν, καὶ μάν τοι καταρύπτει αὐτὸ &c. Et Antigonus *in histor. mirab. congerie* c. 24. τὸν δὲ ἔλαφον τὸ δεξιὸν κέρας καθορύσσειν· ὃ δὲ καὶ ἔστι τι ἐν πολλοῖς χρήσιμον. Qin & Aristoteles (si is saltem fuerit, qod non immeritò ambigitur) *in relationibus mirandis* c. sed ad cervos Epiroticos restringens; Τὰς ἐν Ἠπείρῳ ἐλάφους καθορύσσειν φασὶ τὸ δεξιὸν κέρας. Verùm de lite istâ componendâ, non est qòd multum laboremus, cum merum sit figmentum, qomodocunqe libuerit sumere. nec defodere cornua sua cervos consveisse, & utrumqe pariter obvium deprehendi, experientiâ jugi compertissimum habetur.

Sed, ut ad priùs proposita redeamus, τὸ ἔλαφος nomine etiam

cervum masculum venire, claret apertissimè, cum ex diverbio illo, tum ex avtoribus illis suprà citatis, qi de *cornua abjicientibus* pari modo loquuntur: siqidem, ut philosophus *l.4.c.11.* κέρατα ἔλαφ& θήλεια οὐκ ἔχει. *cerva cornua nulla habet.* Et Pollux *l.5.c.12. §.2.* τ῀ ἐλάφων ἀλλήλως ἡ θήλεια· ὁ δ' ἄρρην κερατόφορ&. *è cervis fœmina cornuum est expers; mas solus gerit cornua.* Frustrâque est V. C. Conrad. Rittershusius, qod adagium refingi, & pro αἱ ἔλαφοι, οἱ ἔλαφοι legi postulat; etiamsi Plutarchi lectio, (qod is tamen havd advertit) mutationi ejusmodi favere videatur; cum & præter Aristotelis codices hac in parte consentientes, Zenobius, Svidas, Apostolius in *paræmiarum collectaneis* reclament, (nam Diogenianus articulum supprimit) & locutio ista scriptoribus præcipuis qoqe opidò qàm familiaris existat. Nec frustra tamen avt Aristoteles *poetic. c.25.* havd ἀναμάρτητον prorsùs censet, siqis, licet per ignorantiam, cervæ fœminæ cornua poeta tribuerit; avt Pollux hoc nomine Anacreontem perstringit, tanqam minùs commodè locutum, qod ἄ῀ ἔλαφον κερέσαντα dixerit: qod V.C. Salmasius frustra eluere conatur locutionis istiusmodi privilegio; non facturus, si dicti Anacreontici meminisset: sed nemo unus avt omnia videt, avt qæ novit, semper in animo habet simul universa. illud verò nobis exhibet cum Ælianus *de animal. l.7.c.39.* tum & Pindari Scholiastes *ad Olymp. oden* 3. his verbis: Ἀγανῶς, οἷάτε νεοθήλεια γαλαθηνὸν, ὃς τ' ἐν ὕλαις κεροέσσης ὑπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπῴδυν. apertè dicit *hinnulum à matre cornutâ relictum.* ut nullus sit tergiversationi locus relictus. itaqe qò vitio huic medicinam faceret, Zenodotus ἐρέσσης pro κερέσσης ibat substitutum; sed Aristophane Byzantio omninò refragante. Qinimò non Anacreontis solius hic error est; sed cum plerisqe illi poetis communis. οἱ μὲν οὖν ποιηταὶ πάντες, κέρατα ἐχούσας πεποίηκεν. Poetæ omnes, (inqit Scholiastes ille) cervis, etiam fœmellis, cornua tribuunt. Sic Pindarus, χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν, *cervam avricornem fœminam*, Evrysthei ab Hercule adductam ait. qo epitheto eandem ab Evripide qoqe in *Temenidis* insignitam docet Ælianus. qi & ex *Iphigeniâ* ejusdem versus qosdam profert, in eâ fabulâ jam non extantes, qibus Agamemnoni scil. pollicetur Diana, ἔλαφον κερόεσσαν, qæ Iphigeniæ loco mactaretur,

ctaretur, à ſe iri ſubſtitutum. Sophocles item, (qod & Pollux notavit) *cervam Telephi nutricem* κεβοινα nuncupavit: qam & eo modo olim depictam paſſim avtor eſt Scholiaſtes. qi idcircò vanis conjecturis incaſſum contendit, veriſimile eſſe etiam hoc genus fœmellas ejuſmodi aliqibus in locis deprehendi. nec avdiendus Ælianus, qi contra omnem experientiæ, & priſcæ & præſentis, qotidianæ etiam, fidem, ex poetarum dictis iſtiuſmodi contrarium evincere imprudens conatur. qod eſt ex poeſi hiſtoriam corrigere, ex figmento veritatem. qanqam noſtris temporibus *cervam cum cornibus* viſam in Galliâ teſtatur Jul. Scaliger *poetic. l.3.c.4.* qi tamen hoc Callimacho objectum ingenuè magis excuſat, tam poetæ licuiſſe *cervæ cornua* tribuere, qam *avrea* eadem facere. Qod idem utrumqe & Val. Flaccus admiſit *Argonavt. l.6. v.72.* verbis illis,

Omine fatidica Phyreus mavet agmina cervæ.
Ipſa comes, ſetis fulgens & cornibus avrejs.

Ac proinde *in adverſariis l.29.c.25.* Turnebus obſervat Latinos poetas Græcorum hac in parte etiam vitia imitatos. præſertim cum non in hoc ſolo poetæ, etiam primarii, ab hiſtoriæ veritate, reſqe ipſius, qam in manibus habent, naturâ ac proprietate qandoqe recedant: qod nec Æliano ipſi incompertum, uti mox videbitur. In hoc ipſo, de qo nunc agimus, animali, peccaſſe cenſetur Latinæ princeps poeſis, qod *Æneid. l.1. cervorum agmen* in Africâ Æneæ faciat oblatum: cum *Africam cervos gignere* neget Plinius *l.8.c.33. Cervos Africa*, inqit, *propemodum ſola non gignit*: de Libyâ ſaltem conſtanter idem tradant, Herodotus *l.4.* Ariſtoteles *hiſtor. animal. l.8. c.28.* Antigonus *mirabil. c.11.* hanc avtem Africæ partem, *Libycas* nempe *oras*, acceſſiſſe Æneam narrat poeta. frigidæ enim frivolæqe ſunt ſatis Servii excuſationes; vel *cervos* pro *feris* qibuſcunqe dictos; vel *heroica tempora* reſpexiſſe poetam, qibus *omnia ubiqe naſcebantur*; juxta illud ejuſdem,

——*omnis feret omnia tellus.*

Qanqam, qicqid tradant veteres illi, nunc dierum multos in Africâ cervorum greges paſci compertum eſt: qod & ad Plinium Dalechampius monuit: idémqe fidenter mihi affirmarunt.

marunt ad menſam è Mavris ipſis, notæ melioris nonnulli, qi à Rege Marrucoſio ad noſtrum hoc, qo iſta literis mandabam, anno miſſum legatum aſſectabantur. Qin & qod avtores iidem ſues agreſtes in Libyâ reperiri negant, (qod de Arabiâ etiam Plinius prodidit *l.8.c.52. ſuillum genus ibi non vivere*) id verò falſiſſimum eſſe teſtantur navtæ ac mercatores noſtri, qi ſuum agreſtium venatu, dum in eis partibus moram trahunt, ſeſe freqenter admodum exercent. Illud tantùm Veteres illos excuſarit, ſi dicatur illorum temporibus fortè, nec *cervos*, nec *ſues* in Africâ viſos, ſeculis poſt aliqot eô perveniſſe. qo modo, (ut de *oleâ* nihil dicam, qia falſiſſimum eſſe ex ſacris literis conſtat, qam Herodotus *l.5.* ex qorundam ſententiâ refert, *in Atticâ regione ſolâ* olim extitiſſe) de *Hederâ*, Plinius *l.16.c.34. Hedera jam dicitur in Aſiâ naſci. negaverat Theophraſtus; nec in Indiâ, niſi in monte Mero. qin & Harpalum omni modo laboraſſe, ut ſereret eam in Mediâ, fruſtra.* Verùm Theophraſtus hoc non dicit; ſicut nec, qod interpres doctiſſimus Theodorus Gaza expreſſit, cujus poſt avtoris verba verſionem dabo. Sic itaqe Theophraſtus *hiſtor.plant.l.4.c.4.* Κιſſὸν δὲ ἐλάττω φασὶν εἶ ἡ Ἀσίας ἐν τοῖς ἄνω ἡ Συρίας ἀπὸ θαλάττης πορεύεσθαι ἡμερῶν· ἀλλὰ ἐν Ἰνδοῖς φανῆναι, καὶ τῷ ὄρει τῷ Μηρῷ καλουμένῳ· —— ἔστι δὲ ἄλλων ἐν Μηδίᾳ μόνον· —— καὶ τί γε διαφιλοτιμήσεται Ἅρπαλος ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις τοῖς περὶ Βαβυλῶνα φυτεύων πολλάκις καὶ φραγματευόμενος· ἀλλ' οὐδὲν ἐποίει πλέον. οὐ γὰρ δύναται ζῆν, ὥσπερ τἄλλα τὰ ἐκ τῆς Ἑλλάδος. At Gaza: *In Aſiâ hederam, & abietem parte ſuperiore Syriæ, itinere à mari qinqe dierum, enaſci negant: ſed in Indiâ viſam in monte, cui Mero nomen, affirmant. —— Harpalus verò in Mediâ tantùm locare eam contendit, ſerendo ſæpe hortis Babyloniis, & curioſe colendo; ſed nihil efficere potuit. hæc enim nullo pacto vivere valebat, ſicut reliqa qæ è Graciâ ſunt advecta.* Verùm nec *in Aſiâ naſci hederam* negat Theophraſtus, nec *apud Indos in Mero monte ſolo reperiri* affirmat. qod utrumqe Theophraſto Plinius affingit. imò in Aſiæ partibus qibuſdam naſci tradit, & cum apud Indos, tum ſpeciatim in monte illo, deprehenſam. Qin nec *Harpalum in Mediâ*, qod Plinius ait, *ſerendam, ſed fruſtra, curaſſe* refert; qum ibi ſponte provenire narret: & multo minùs, qod Gaza, *in Mediâ*

diù eam locare contendiſſe, ſerendo in hortis Babyloniis. qid enim Mediæ, qam Ponto (Caſpium, opinor, voluit) adjacere Theophraſtus ibidem aſſerit, cum hortis Babyloniis in Chaldæâ ſitis? Negat Theophraſtus, ex aliorum relationibus vulgò receptis, *avt hederam avt abietem in Aſiæ partibus, qæ Syriæ ſuperiora continent; avt in aliis etiam ejuſdem regionibus, Mediâ ſolâ exceptâ, naſci:* nam de Indis priùs dixerat. De hortis Babyloniis, ex Theophraſto, idem narrat Plutarchus *ſympoſ. l. 3. c. 2.* & in *vit. Alex.* de Mediâ nihil. Nam qod Aſiæ hederam, Syriæ parti alicui abietem ex Theophraſti mente negatam Gazæ verſio inſinuat, id avtoris contextus nullo modo admittit. Cæterùm Maroniano errato, (ſi fuerit ſaltem) geminum admiſiſſe obſervat Ælianus *de animal. l. 5. c. 2.* Evripidem, qi in Cretâ noctuam Polyidi conſpectam facit, qm *in Cretâ noctuæ nec naſcantur, & aliunde invectæ mori perhibeantur.* Sic enim & Plinius *l. 10. c. 29.* & ex Plinio Solinus *c. 11.* Statium pariter poetam non ignobilem notat Jul. Scaliger, *poetic. l. 6. c. 6.* qòd *Cupreſſum Alpinam* dixerit, cum in eis cœli plagis *cupreſſus* nulla naſcatur. locus habetur *Thebaid. l. 6. v. 851.*

—— Alpini veluti regina Cupreſſus
Verticis. ——

qanqam qæri forſan poterit, *Alpini* Statius *verticis*, an *Albini*, dixerit, à montibus nempe, qi *Albi*, ἄλβοι Græcis nuncupantur, Creticis. hos enim cupreſſis abundare refert Plinius *l. 16. c. 33.* poſt Theophraſtum *l. 4. c. 1.* ſed minùs id veriſimile, qia *Albos* qod Plinius appellat, Græcam potiùs eò vocabulo appellationem exprimere, qàm Latinis familiarem inſinuare volebat. Itaqe & Bernartius ad illud Statii: *Attigit, ut videtur, Papinius hîc guttam è flumine Lethes. nam in Alpibus nuſquam cupreſſi. niſi fortè ſpeciem pro genere poſuit; qod non inepte affirmare poſſumus.* Vult poetam *Alpes* pro montibus qibuſvis celſis poſuiſſe, qo modo regiones remotiores tam *Orientales*, qàm & *Occidentales*, licet pelago vaſto à ſe invicem diſſitas, communi appellatione, ſed qæ unius tantùm Orientalis origine ſuâ peculiaris ſit, *Indias* vulgò nuncupamus. Servius certè *ad Æneid. l. 10. omnes montium altitudines à Gallis Alpes vocari*, tradit. Sed &, ne poetas ſolos tan-

gamus, Herodotum Aristoteles *histor. animal. l.* 8. *c.* 18. reprehendit, qòd *aqilam* in Nini obsidione *bibentem* inducat, qum τὰ γαμψώνυχα ἄπτερα πάμπαν existant. Illud obiter moneo, in Herodoti scriptis, qæ supersunt, istud nevtiqam reperiri, qi *lib.* 1. qidem Ninum ait à Cyaxare expugnatam, modúmqe alibi fusiùs narraturum pollicetur; sed in eis, qæ habemus, nusqam id præstitisse deprehenditur. Cæterùm ἀνάπτερα istiusmodi non in Evripide, Plavto, Marone, Nasone, sed Cicerone qoqe ipso, nonnulla deprehendisse gloriatur, (ut de aliis nhil adjiciam) Ant. Muretus *var. lect. l.* 14. *c.* 16. & *c.* 20. & *l.* 15. *c.* 14. Eum, qi volet, adeat.

Cap. IX.

A lavdato lavdari, magnificum. De Fr. Iunio Scaligeri elogium effusissimum; Imperatorii, & Livelei liberalis satis. Livelei ipsius encomium justum. חָסִיד benignè acceptus habitúsve, *Iunio passim. formâ repugnante, qæ affectum insitum sonat, ut* אַבִּיר נָזִיב צִיִּים עָרִיץ *pro* sancto, pio, benigno, benefico *adhibetur.* ὅσιος *Græcis. unde & vocabulum hoc per Syros istis; nam* חסי *Syris.* a *in* o *transire crebrò.* ὅσιος *unde.* pietatis *nomen officia & divina & humana etiam complecti. religiosi vocabulum in partem seqiorem usurpatum.* ὅσιος, *pius; & ab illo istud.* חֲסִידָה ciconia, *a pietate.* ἀντιπελαργία *qid, & unde Græcis. affectus hujus in pullos; pullorum pietas in parentes senio confectos. alia hæc à* נֵצָה *qæ struthio, à pennis sic dicta, Iob.* 39. 16. *qod Trem. & Iunio primis animadversum videtur.* חָסִיד *Deus qâ ratione dicatur. Hasideorum votum familiare.* חָסִיד *Magistri Iudai qo modo delineant. hominum, discipulorum, eleemosynam facientium, classes quatuor.* חָסִיד & צַדִּיק *illis qi distinguuntur. Primitiarum portio qata dari solita.* Officiorum & beneficiorum *distinctio. Rom.* 5. 7. *verba discussa.* ἀγαθὸς & ἀγαθὸς *ibi an sint eadem.* τιμᾶν *sæpe sustinere potius qàm* videre. צַדִּיק & חָסִיד *promiscuè usurpata.*

pata. δίκαιος ἀντὶ τοῦ ἐλεήμων, χρηστὸς, ἥμερος. justicia, *pro eleemosyna.*

LÆtus sum lavdari me abs te viro lavdato, pater. inqit, lavdante * sæpiùs Cicerone, Hector Nævianus. Qò & Seneca forsan respexit, qum dixit, *epist.* 102. *Tragicus ille apud nos ait; Magnificum esse lavdari à lavdato viro.* Magnum ergo Fr. Junii † μαρτύριον decus, qòd à viro nunqam satis lavdato, magno illo Scaligero, elogium tam amplum consecutus sit, ut Constantino Imperatorio in *ad Iachiadæ Danielem notis* referente, pronunciaverit; *Ab Apostolorum temporibus hactenùs parem Theologum nullum vidisse seculum.* Certè, qod Constantinus idem vir literarum rerúmqe Hebraicarum peritissimus, *Innumera sacræ scripturæ loca primus ipse illustravit.* Itaqe fixum apud me stat, sempérqe stabit illud Edvardi Livelzi, viri cum lingvarum artiúmqe peritiâ, tum animi modestiâ insuper cumprimis ornatissimi, cui literarum Hebraïcarum instituta prima magnâ ex parte debere me lubentissimè agnosco, qo de Scripturæ Sacræ interpretibus verba faciens *in præfatione ad annotationes in Prophetas è minoribus* qosdam, hanc de Heroum pari illo, Tremellio ac Junio, sententiam protulit; *Tremellio & Junio qi multa deberi negat, me ille aut judicii expers, aut invidus.* Homines tamen fuerunt & isti, prout & qi eosdem antegressi fuerant, à qibus in multis, jure merito discesserunt. Proinde qemadmodum ab his, qibus elogium tam ingenuum, tam liberale tribuit, vir ille modestissimus dissentire nihilominùs qandoqe se, liberè ipse professus est; ita, judicium ego virorum tantorum licet qàm maximè probem, in qibusdam tamen summis viris illis assensum qo minùs præbeam, cavssas justas satis videor deprehendisse.

In his est qod רצה passim passivè sumunt, eúmqe interpretantur, *qem qis benignè accipit*, sive *qem benignitate amplectitur ac prosequitur.* passivè, dico; qia, licet verbis activis id exprimatur, beneficentiæ sive benignitatis, non avtor, sed objectum significatur is, de qo ista enunciantur. Ita verterunt Hymno 4. v. 4. *At agnoscite separatim asseruisse Iehovam sibi eum, qem benignè accipit.* Hymno 32. v. 6. *Propter hoc ora-*

* *Tuscul. qæst. l.* 4. & *l.* 5. Et, *famil. l.* 5. *ep.* 12. & *l.* 15. *ep.* 6.

turus eſt te, qemcunqe benignitate proſeqeris. Hymn. 86. v.2. *Serva animam meam ; nam is ſum, qem benignitate proſeqeris.* Hymn.50.v.5. *congregate mihi, qos benignitate proſecutus ſum.* Hymn.79.v.2. *carnem eorum, qos benignitate proſeqeris, (dederunt cibo) beſtiis terræ.*

Huic avtem interpretationi adverſari videtur, 1. qòd hujuſce formæ adjectiva non ament ſignificationem iſtiuſmodi admittere. v.g. נָדִיב *liberalem, munificum, animo ingenuo præditum, ſponte largiri proclivem,* deſignat ; non eum, *erga qem qis munificus eſt,* ſive *qem liberalitate proſeqitur.* Exod.c.35. v.5.22. Eſajæ c.3.v.5,8. אַבִּיר *robuſtum, qi robore pollet, ſuiſqe etiam robur ac vires ſuppeditat* ; ſic enim Deus toties אֲבִיר יַעֲקֹב & יִשְׂרָאֵל אֲבִיר dicitur. Eſajæ.c.1.v.24. & c.49.v.26. & c.60.v.16. cum c.40.v.29. עָרִיץ *violentum, violentiam exercentem, aliis vim facere promptum :* non eum, *cui vis adhibetur, avt adverſus qem vi res geritur.* Hymn.86. v.14. Eſaj. c.25.v.3,4. צַדִּיק *juſtum, qi juſtitiam exercet & exhibet, non apud qem ea exercetur,* ſive *cui ea exhibetur.* Joannes ep. 1. c.3.v.7. ὁ ποιῶν δικαιοσύνην, δίκαιός ἐστι, h.e. צֹדֶק הַפּוֹעֵל Hymn. 15.v.2. Ita commatis iſtius *toarim* affectionis immanentis, effectioniſqe inde emanantis, ſignificationem obtinent ; nec objectivè ſed ſubjectivè paſſim ac perpetuò ſumuntur.2. Qòd uſitatiſſimè חָסִיד pro *pio, ſancto, benigno, benefico* ſumatur. qo modo & ipſi qandoqe vertunt. Hymn.18.v.26. *Cum benigno benignum te exhibes.* Hymn.12.v.2. *deſiit beneficus.* ubi *pium* tamen malim. Hymn.43.v.1. *Vindica me à gente non benignâ. à non piâ, impiâ.* qomodò Græci interpretes, ἀπὸ ἔθνους ὐχ ὁσίου. qi & τὰ חָסִיד demptis locis tribus duntaxat, per Græcum ὅσιον perpetuò reddunt. Et videri ſanè poſſit. ea ipſa vox ad Græcos per Syros ab Hebræis deſcendiſſe. nam qem Hebræi חָסִיד Syri חָסִי Græci terminatione ſuâ adjectâ ὅσιον dicunt, patet hoc ex Hymn.16.v.10. ubi qod David dixerat חֲסִידֶךָ Græcus eúmqe ſecutus Lucas Act.c.2. v.28. & c.13. v.35. τὸν ὅσιόν σου. Syrus avtem חָסְיָךְ dixit. qò magis miror eo loci potuiſſe animum inducere, ut ſecùs, qo dictum eſt modo, redderent. certè ſive חָסִי Syrum à חָסִיד Hebræorum detritâ ultimâ procuſum ſit, qod Serario placuit Trihæreſ.*l.3.* *c.1.* (ſicut vice verſâ à צַדִּיק primâ detractâ Græcorum δίκαιος

ὅσιος deductum volunt Illyricus in *Clavi*, Gvichardus in *Harmon. Etymol.* alii) ſive à חָסָא qod Syris eſt ἐυσεβεῖν, *pium eſſe, numen colere, cultus divini ſtudioſum eſſe*, item *miſericordem ac benignum ſe exhibere.* prout, rejectâ originatione illâ, ſtatuit Joſ. Scaliger *elenchi c.*17. ὅσιος certè Græcum à Syro חַסִי manaſſe omninò videtur, & ſignificatu uſúque tria iſta convenire, vix eſt ut qiſqam diffiteri qeat. in deductionibus *a* in *o* tranſire, nihil eſt novi. ut עָמְרָה γομόρρα; δέμω, *domo*; τρέφω, *torreo*; κάπηλος, *copo*; הָ, ה; ſic חָסִיא ὅσιος, & חָסִיוָתָא ὁσιότης. qod & Scaligero ipſi probatur *emendat. temp. l.*6. 3. Qod locis eis, qibus hoc pacto verterunt, nulla neceſſitas compareat à ſignificatione primariâ atqe uſitatâ recedendi. nihil enim impedit, qò minùs locis illis omnibus, tum eis qos adduximus ſuprà, tum & reliqis qibus illi pariter ſic reddiderunt, חָסִיד *pius*, vel *benignus* vertatur.

Illud adjiciendum τὸ חָסִיד non tantùm ὅσιον. i. *pium* deſignare, qatenùs *pius*, hominem erga numen divinum officioſum ſive religioſum. (qod tamen in malam partem ille apud Gellium *l.*4 *c.*9. rapit, verbis illis,

Religentem eſſe oportet; religioſum nefas.)

ſed *pium* ſignificare, eâ etiam ratione, qâ

—— πατὴρ δ' ὡς ἦν ὅσιος ἦεν,

Poetarum principi dicitur; unde & *pii* nomen in Latium migraſſe exiſtimo. ὅσιος enim *pius*; & ὁσιότης *pietas*. unde *pius Æneas*; & qâ *pietas* erga homines, parentes cumprimis, ſolet prædicari, pro *benignitate*, teneroqe animi affectu, qi benefacere atqe ope indigentibus noſtrâ ſubvenire promptos facit. inde *ciconia* חֲסִידָה nomen hæſit; à *pietate* ſcil. qam in parentes ſenio confectos exercere perhibetur. qod & Græcis ἀντιπελαργεῖν nomine in proverbium abiit: unde & *pietaticultricem* apud Petronium Publ. Syrus appellat. Qin nec in parentes tantùm, ſed & in pullos, pietatis nomine lavdatur ciconia. itaqe Delphis Belgarum refert Hadr. Junius *in Batavià*, ciconiam, flammas nido, in qo pulli implumes adhuc manebant, imminentes depellere, eóſqe eripere, fruſtrâ conatam, paſſis alis in nidum ſe præcipitem dediſſe, qò communi cum pullis fato interiret. Proinde rectè videntur ſummi viri illi, qibuſcum jam agimus, è libro Jobi locum illum

c.39. v.16-20. conſtituiſſe, qi priùs aliorum interpretamentis, nec rationi conſentaneis & ſibi invicem adverſis, mirè miſeréqe divexabatur; dum חֲסִידָה qæ perpetuò *ciconiam* ſignificat, à חֶסֶד diſtingvunt, & poſteriorem hanc vocem, non pro *plumâ* (qo modo tamen Levit.c.1.v.16. & Ezech.c.17. v.3,7. uſurpatur) ſed pro *ave*, Salomonem Jajrum in eo ſecuti, accipiunt: & *Struthionem* interpretantur: cui, non & ciconiæ, qæ ſequntur conveniunt. Hac avtem notione ſicut חָנוּן *gratioſus*, & רַחוּם *miſericors*, ita חָסִיד etiam Deo attribuitur, Hymno 145.v.17. ubi pronunciatur is צַדִּיק *juſtus in omnibus viis ſuis*, & חָסִיד *pius, benignus in omnibus operibus ſuis.* & Jerem.c.3. v.12. ubi populum, etſi flagitiis omne genus coopertum, ad reſipiſcentiam ſub veniæ conſeqendæ fiduciâ invitat hoc argumento, qòd ipſe ſit חָסִיד *pius ac miſericors.* ex qo utroqe loco ſimul juncto colligere datur חָסִיד animum deſignare, ἕξιν εὐποιΐας καὶ ζυγγνωμονικὴν, affectum ſcil. cum ad donandum, tum & ad condonandum prolivem. qo modo Græci verbo χαρίζεσθαι horum utrumqe denotant. Rom.c.8.v.32. & Coloſſ.c.2.v.13. & c.3.v.13. Itaqe de *Huſidæis* antiqis, qibus peculiari ratione qadam appellatio ea eſt attributa, in libro *Muſar* dicitur, referente Druſio, hos primos ſic oraſſe ſolitos, *Remitte & condona eis, qi vexant & affligunt me.*

Hebræi verò Doctores חָסִיד qi ſit, variis modis exprimere atqe explicare conſveverunt. In *Pirkę Abot*, ſive *Patrum dictis collectaneis*, cap.5.§.10. alludentes Eſavi ad Jacobum fratrem illud Geneſ.c.33.v.9, *Eſto tibi qod tuum eſt.* Quatuor, inquiunt, *ſunt* סְדוֹרִים i.e. *genera vel claſſes hominum*; in primâ ſtatuitur, cujus ea vox שֶׁלִּי שֶׁלְּךָ וְשֶׁלְּךָ שֶׁלִּי *qod meum, tuum*; & *qod tuum, meum*: & iſte eſt עַם הָאָרֶץ *populus terræ.* i. *homo mundanus*, qi mutuum colit. in ſecundâ, qi dicit, שֶׁלִּי שֶׁלִּי וְשֶׁלְּךָ שֶׁלְּךָ *qod meum, meum*; & *qod tuum, tuum.* & iſte eſt סְדוֹם *mos Sodomæ*: de qâ ſcil. Ezech.c.16. v.49. non erat erga pavperes benefica. vel, ut alii referunt, סְדָה בֵּינוֹנִית iſta eſt *ſors media*, inter רָשָׁע & חָסִיד nempe. éſtqe eorum, qi ſibi tantùm vivere volunt, ſed citra alius cujuſqam damnum avt injuriam. qalem Eſavum dicto illo ſe profeſſum avtumant: in tertiâ ſtatuitur, cui illud in

ore,

ore, שֶׁלִּי שֶׁלָּךְ וְשֶׁלְּךָ *quod meum, tuum; & quod tuum, tuum.* & hic eſt, qi חָסִיד dicitur, *pius, beniguus*, qi nec ab aliis officia poſtulat, & ſua gratis præſtare atqe exhibere promptus eſt. qi *munuscula, & largitur, ἐλεημοσύνην*, Hymn 37. v.21. & Lucæ c.6.v.35. in vltimâ, cui ſolenne illud, שֶׁלִּי שֶׁלָּךְ וְשֶׁלְּךָ *quod meum, meum, & quod tuum, meum.* iſte autem eſt רָשָׁע *improbus, peſſimus:* utpote qi non ſua tantùm, ſed aliena qorumcunqe, ſua pariter eſſe velit.

Ibidem, §.14. *Quatuor* ſunt בֵּית הַמִּדְרָשׁ *domum doctrinæ*, i. ſcholam, *ingredientium genera.*

1. הוֹלֵךְ וְאֵינוֹ עוֹשֶׂה eſt *qi intrat, nec facit.* שְׂכַר הֲלִיכָה בְּיָדוֹ & *hic mercedem tantùm pro acceſſu accipit.*

2. עוֹשֶׂה וְאֵינוֹ הוֹלֵךְ eſt *qi non intrat & facit* tamen. שְׂכַר מַעֲשֶׂה בְּיָדוֹ *hic pro opere præmium accipit.*

3. הוֹלֵךְ וְעוֹשֶׂה eſt *qi intrat & facit.* iſte חָסִיד *pius* eſt.

4. לֹא הוֹלֵךְ וְלֹא עוֹשֶׂה eſt *qi nec intrat, nec facit.* iſte רָשָׁע *impius, improbus* eſt.

Mitto qærere, qi è ſcholam ingredientibus exiſtant, qi omninò non ingrediuntur, ſive ea qæ ibi docentur faciant, ſive non faciant: avt qæ profectionis utilitas avt merces ei, qi cum eo profectus ac ingreſſus fuerit, dum nihil eorum facit qæ diſcit, nihil tamen qicqam proficit. Moneo tantùm obiter in *editionis* horum *Venetâ* cum adjunctis *Joſephi Chajoni ſcholiis* depravata iſta, genus unum idemqe notâ duplici inſigniri.

Ibidem §.13. Qatuor ſunt מִדּוֹת בְּנוֹתְנֵי צְדָקָה *eleemoſynam dantium* conditiones ſive genera.

1. רוֹצֶה שֶׁיִּתֵּן וְלֹא יִתְּנוּ אֲחֵרִים eſt *qi libenter dat, nec vult* tamen *ut alii dent.* עֵינוֹ רָעָה בְּשֶׁל אֲחֵרִים *iſte reſtrictus eſt in alieno.*

2. יִתְּנוּ אֲחֵרִים וְהוּא לֹא יִתֵּן eſt *qi vult ut alii dent, modò ipſe ne det.* עֵינוֹ רָעָה בְּשֶׁלּוֹ iſte *reſtrictus eſt in ſuo.*

3. יִתֵּן וְיִתְּנוּ אֲחֵרִים eſt *qi dat ipſe & vult ut alii dent:* iſte חָסִיד i. *pius* eſt.

4. לֹא יִתֵּן וְלֹא יִתְּנוּ אֲחֵרִים eſt *qi nec dat ipſe, nec vult ut alii dent.* iſte רָשָׁע *improbus, impius* eſt.

Ex his avtem ſumenda mens dicti R. Hillel, qod *ibidem cap.2.§.5.* reperitur לֹא עַם הָאָרֶץ חָסִיד *populus terræ*, i. vulgus

gus promiſcuum, *non eſt pius.* de qo videndus Druſius *de 3. ſect. 2nd. l. 2. c. 3.* & *ad Serarii Minerval. l. 2. c. 14.*

Deniqe Midras Tehillim, ſive Commentarius in Hymnos, ad Hymn. 103. v. 17. inter צַדִּיק & חָסִיד ſic diſtingvit; eodem referente, neqe enim mihi codicis conſulendi copia datur; *Juſtus eſt, qi juſſa Dei exeqitur; pius, qi plus etiam facit, qàm jubeatur.* qod ad Pontificiorum opera ſupererogatoria, ſpecie tenus fortean, inclinare videatur. Cæterùm in externis qibuſdam fieri poteſt, ut plus qoqe qàm exigi ſtricto jure poſſit, etiam in rebus Deum ſpectantibus, impendere qis promptus ſit, v. g. Lege veteri תְּרוּמָה ſive primitialis oblatio ſacerdotibus debebatur. hujus avtem cum certa ratio nulla fuerit in Lege Moſaica deſignata, ſtatuebant Doctores, ut avtor eſt R. Moſes Majmonides *de primit. c. 2. §. 17.* cui aſtipulantur & Salomon Jajrus ad Devt. c. 18. v. 4. & Hieronymus ad Ezek. c 45. v. 13. partem 60am ad minimum uſui iſti deputandam. id ex Ezechielis loco illo, uti etiam Hieronymus obſervat, colligebant, ubi תְּרוּמָה ſive *oblatio primitialis* illa Ephæ parte 6a ſive *ſemiſato*, ex Homere qoqe qi Epham decies, ſatum tricies continebat, tollenda Deóqe ſiſtenda decernitur. hinc primitias illas adducentium tres claſſes ſtatuunt, uti Moſes idem *de Terumoth* i. *Oblationib. c. 3. §. 2.* ut ſiqis *ſexageſimam* tantùm *daret* רַע עַיִן *oculi mali*, ſive *reſtrictus*; qi 50am בֵּינוֹנִיוֹן *oculi medii*, ſive *medianus*; qi verò 40am טוֹב עַיִן *oculi boni*, ſive *benignus* diceretur. qò alluſit Sirachides c. 35. v. 9. ubi dicit, *Oculo bono honorem Domino tribue; manuúmqe tuarum primitias ne minuas.* Iſtic טוֹב עַיִן *vir oculi boni*, חָסִיד meritò dici poteſt.

Verùm homines qod attinet, צַדִּיק חָסִיד diſcrepantiam nullâ forſan ratione meliùs ſtatueris, qàm è Senecæ verbis, qibus inter *officia* atqe *beneficia* diſtingvit, *de Benef. l. 3. c. 18. Beneficium eſt, qod dat, qi potuit ſine reprehenſione ceſſare; officium eſt eorum, qos neceſſitudo ſuſcitat, & ferre opem jubet. Beneficium enim eſt, qod qis dedit, cum illi liceret & non dare. ibid. c. 19.* Et c. 21. *Qædam ſunt, qæ leges nec jubent, nec vetant facere: in his ſervus materiam beneficii habet. qamdiu præſtatur, qod à ſervis exigi ſolet, miniſterium eſt: ubi plus qàm qod ſervo neceſſe eſt, beneficium. qicqid eſt, qod ſervilis*

vilis officii formulam excedit. qod non ex imperio, ſed ex voluntate præſtatur, beneficium eſt. In illo genere, qi officio ſuo reſpondet, צַדִּיק *juſtus*; in iſto, qi promptus ac freqens eſt, חָסִיד *benignus*, ſive *beneficus* perhibetur. Itaque Camius in Hymn. 36. v. 11. חֶסֶד eſſe dicit הַשּׁוֹבְרִי יִתְרוֹן *bonitatis excellentiam.*

Interim iſta de vocabulo חָסִיד diſſertatio, locum qendam Apoſtoli in memoriam mihi adducit, qem non deſunt, qi iſtuc trahere conentur. Habetur is ad Roman. c. 5. v. 7. Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. *Vix enim pro juſto qiſqam moriatur: nam pro bono forſan aliqis etiam mori ſuſtineat.* ita enim τὸ τολμᾷν cum Caſtellione ac Bezâ reddere malim, qàm cum Vetere & Eraſmo, *audeat*, tum hoc loco, tum & aliis nonnullis. Sic hujus ipſius epiſtolæ cap. 15. v. 18. Οὐ γὰρ τολμήσω, *non enim ſuſtinuerim qicqam loqi qod per me non fecerit Chriſtus.* qo loco dictionis Apoſtolicæ vim elidunt planè, qi *Audeo*, vel *Auſim*, reddunt. qum hoc innuere videri ſaltem poſſit, Apoſtolo id eloqendi non deeſſe animum, metu tantùm reprimi, qo minùs id faciat; qod alioqi lubens velit. qod & Vir Clariſſimus advertit, cui tamen aſſentiri non poſſum, qod τὸ τολμᾷν, & *ſuſtinere*, eo hîc ſenſu vult accipi, qaſi uſurpetur pro *poſſe* & *parem eſſe alicui gravi & difficili rei præſtanda.* qo modo Plato *politic. l.* 2. dixit, Ὅς ἂν τολμήσειν ἀπέχεσθαι τ ἀλλοτρίων, qi rebus alienis abſtinere ſuſtinuerit. qo de loco alibi ex V. C. Hejnſii ſenſu ac ſententiâ diximus. neqe enim ejuſmodi qicqam Apoſtolus voluit, qaſi rem arduam & difficilem admodum eſſe cenſeret, de alienis laboribus gloriando abſtinere. Sed neqe id denotant Fabii qæ ſubjicit verba, ad Apoſtoli mentem propiùs accedentia, ex *inſtitut. l.* 2. *c.* 4. *Nec enim hujus rei judicium differre ſuſtineo.* Verùm iſta potiùs Apoſtoli mens eſt; hoc eſſe à qo abhorreat prorſus, nec ut admittat, animum inducere poſſit. At Caſtellio cum à mente Apoſtolicâ, tum & à contextus ipſius verbis, qàm longiſſimè receſſit, qum vertit, *Nam ne qidem eloqi auſim, qum nihil non effecerit per me Chriſtus.* Sic ad Corinth. ep. 1. c. 6. v. 1. Τολμᾷ τις ὑμῶν; *ſuſtinet qis veſtrum, negotium habens adverſus alterum, ſub injuſtis judicio experiri, & non ſub ſanctis?*

i. poteſt animum ad hoc inducere? qomodo apud Naſonem epiſt. 5. Oenone;

Suſtinet Oenonem deſeruiſſe Paris.

& Sveton. *Cajo.c.30. Hanc ut crudeliſſimam eadem & deſciuit edicto; & eos qi ſpectare ſuſtinuiſſent, execratus eſt.* Senec. *de benef. l.4. c.15. Non ſuſtineo, enim deſerere, cui vitam dedi.* Itaqe rectè Eraſmus, τὸ πλυᾶν iſtic ſignificare, *non tam rem periculoſam, in qâ proprie dicimur avdere, qàm duram affectibus noſtris, & intolerandam atqe indignam.* qod & variis è Svetonio teſtimoniis oſtendit, ex *l.1.c.74.* de Cæſare; *Corn. Phagitæ, cujus nocturnas inſidias agrè evaſerat, nunqam nocere ſuſtinuit.* ex *l.2. c.31.* de Avguſto: *Pontificatum maximum, qem nunqam vivo Lepido avferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit.* Et *ibid. c.66. qamvis minimè appeteret hereditates, ut qi nunqam ex ignoti teſtamento capere qicqam ſuſtinuerit.* De Michaele pariter cum Satanâ decertante Judas v.9. οὐκ ἐτόλμησεν κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. *non ſuſtinuit inferre adverſus eum ſententiam maledicam.* convicium facere non fuſtinuit, non potuit animum inducere id ut faceret: qum tamen non impunè tantùm, ſed & licitè id poſſet. Illuſtrat planè Judæ dictum Catonis Cenſoris illud, qod maledico cuidam regeſſit, Ἄριστός ἐστι πρός με μάχη τοῦτο. κἀγὼ δὲ ἀκούειν τὰ κακὰ ἐπίσταμαι, κἀγὼ λέγειν ἐπιστήμων εἰμὶ καὶ λέγειν ἀνδρὶ, καὶ ἀκούειν ἀνδρί. *Iniqa mihi tecum concertatio eſt. tu enim male & avdire promptus es, & dicere proclivis: qum mihi & dicere ingratum, & avdire ſit inſvetum.* fucit eôdem & qod illa apud Menandrum, referente Cyrillo *adverſus Julianum Apoſtatam l.7.*

——— χαλεπὸν, Πάμφιλε,
(ita malo, ut mulieris mulierem, matronæ meretricem alloqentis, verba ſint, prout & Cyrilli codices habent, qàm qod Grotius in *excerptis* exhibet, Πάμφιλε)

——— σκληρὸν γυναικὶ σὺν ἑταίρᾳ μάχην.
——— *dura eſt, Pamphile,*
Ingenua cum meretrice conteſtatio.

qia nimirum hæc verbis probroſis excipiendis referendiſque aſſveta ſit, qæ illa nec avdire, nedum regerere ſuſtineat. Itaqe etiam hoc loco verbum idem Vir Clariſſimus vellem uſurpaſſet, ut, *non ſuſtinuit*, potiùs, qàm *non avſus eſt*, verteret.

Sive

Sive enim Michaelem iſtum è ſpiritibus miniſtratoriis primarium aliqem intellexerimus, qod non pavcis placet ex Danielis c.10. v.13. non rectè, nec pro ſpirituum illorum indole, verteris. *Non eſt avſus*, qum *non avdere* dicatur, cui non voluntas deſit, ſed facultas; at illi ne velint qidem, etiamſi poſſint. ſive Dominum Chriſtum, uti qidam volunt ex Danielis c.12. v.1. dum locum illum de reſurrectione univerſali ad diem judicii noviſſimum futurâ (ſed fruſtrà, opinor) accipiunt; *non avſum*, multo magis ineptè prorſus, nec pro Chriſti majeſtate; *non ſuſtinuiſſe*, aptiſſimè ac commodiſſimè diceretur. erit enim ὐ τολμᾷν, ſive *non ſuſtinere*, *animum non inducere*, non avtem, *animum non habere*. Chriſtus avtem non ἀντλειγόμενος tantùm, Luc.c.2. v.34. ſed & λοιδορύμενος, ἐτόλμησε, ſive ὑπέμεινε, Heb.c.12.v.3. (nam & τὸ τολμᾷν, ὑπομένειν, qoqe ſignificat) *ſuſtinuit*, patienter tulit; qo modo Ulyſſes à procis contumelioſè habitus: de qo apud inferos, ex turbâ illâ procaci petulantíqe Amphimedontis anima, *Odyſſ.ω. v.160.*

Ἀλλ' ἔπιθέν τε κακοῖσιν ἐνιπτόμεθ', ὑπὲκ βαλόντων.
Αὔταρ ὁ τέως μὲν ἐτόλμα ἐπὶ μεγάθυμον ἰοῖσι,
Βαλλόμενός τε καὶ ἐνιπτόμενος τετληότι θυμῷ.
Inceſſavimus hunc nos jactibus & maledictis
Ædibus in propriis. ipſe avtem ſuſtinuit tunc
Conſtanti jactus tolerans animo & maledicta.

ipſe ſcil. ἀντλοιδορεῖν, ſive ἀντβλασφημεῖν, ὐκ ἐτόλμησε, *non ſuſtinuit*; non legum metu utiqe à maledictis abſtinens, ſed ſe ipſe comprimens, qò & nobis pariter, rem gerendi exemplum præberet.

Verùm miſſâ iſtâ περὶ τ τολμᾷν diſceptatione, qô in loci penitiora mentis aciem immittamus, qæritur τ δικαίου καὶ τ ἀγαθοῦ nominibus qidnam ſignificetur. Atqe iſtic varias in partes diſcedunt & à ſe invicem diſſentiunt interpretes, dum iſta alii à ſe invicem diſtingvi, alii idem avt eundem ſaltem, deſignare contendunt. nam Syrum mitto, qi contrà planè qàm Græca veritas habet, רָשָׁע i. ὑπὲρ ἀσεβοῦς, pro *impio* ſive *improbo*, exhibet. qum textui Græco planè ex diametro adverſetur. nec intelligo qid Fr. Junius voluerit, cum legere jubet *pro legitimi ſive juſti*, tanqam ſi librari-

orum culpâ רשעא ſcriptum fuiſſet pro רשמא, neqe enim occurrit Syrum ullum vocabulum quod ejuſmodi qicqam deſignet. et cum Syro Arabs hîc conſentiat. Sed nec prioribus illis inter ſe convenit. Etenim alii, τὸ δίκαιον, non ἡ δίκαιον intelligi volunt, & exponunt: *Vix mortem libenter exceptorum qenqam, etiamſi juſta moriendi cauſſa ſubſit,* ut ὑπὲρ δικαίου ſit, *pro re* ſive *cauſſâ juſtâ.* qum tamen ὑπὲρ τῆ ἀγαθοῦ *pro bono*, hoc eſt, pro Chriſto, cujus in ſe bonitatem experti ſint, non deſint, qi mori libenter velint. In his eſt Origenes; qem & qi Evcherii nomen, ſed falſò, præfert, in *Novi Teſtamenti qæſtionibus* ſeqitur; adjecto, *Apoſtolum, qid ipſe pro Chriſto poſſit promptúſqe ſit facere, verecundè verbis iſtis innuiſſe.* At cum contextus ſeries poſcere videatur, ut ἡ δίκαιος, καὶ ἡ ἀγαθὸς ratio eadem habeatur, & utrumqe vel de rebus, vel de perſonis dictum intelligatur; idcircò Victor. Strigelius, *pro juſto*, vult eſſe, ut illi, *juſtâ de cauſſâ; qomodo, ubi mortem, qam latrocinio mernere, ferunt latrones: pro bono* autem, *pro rebus ſibi charis aut utilibus, putâ, facultatibus, propinqis, liberis, gloriâ.* qo modò Petr. Martyr, *pro bono ſuo*, i. *pro gloriâ nominéqe poſt obitum ſibi comparando.* Cæterum hæc ſunt ab inſtituto Apoſtolico aliena prorſus. Nec minùs inepta, ſed & impia inſuper Hæreticorum commenta illa, Marcionis, qi δίκαιον *juſtum, Deum Legis & prophetarum* exponit, pro qo pavci; ἀγαθὸν *bonum, Deum Evangelii autorem*, pro qo innumerabiles mortem oppetierint: Et Arii contrà, qi *juſtum* ad *Chriſtum Dei filium*, de qo Pſal. 72. v. 1. Joan. c. 5. v. 22. & Act. c. 22. v. 14. *bonum* ad *Deum patrem* refert; de qo Matth. c. 19 v. 17. Autor Hieronymus *ad Algaſiam qæſt. 7.* At è noſtris vir doctiſſimus Tho. Godvinus *de ritibus Judaicis l. 1. c. 9.* δίκαιον ἀπὸ ἡ ἀγαθοῦ ita ſecernit, ut ille צַדִּיק iſte Hebræorum ſit חָסִיד *Tria*, inqit, *ſunt hominum genera*; רְשָׁעִים *ἀσεβεῖς, impii, improbi*. צַדִּיקִים δίκαιοι, *juſti, qi qod lex exigit, faciunt.* חֲסִידִים ὅσιοι, ἀγαθοὶ, *pii, boni, qi amplius aliqid qàm qod lex exigit, præſtant. alluſit huc Apoſtolus, ubi dixit, pro juſto vix moriturum qenqam; pro bono, forſan aliqem mortem oppetiturum; pro impiis improbiſqe nullum prorſus; qod pro nobis tamen Chriſtus fecerit.* qanqam Syrus טוּבָא non רחמי reddiderit. Atqe huc Thom. Cajetanus etiam inclinare videtur.

detur. Seciùs pavlò Caſtellio, *Chriſtus*, inqit, *pro ſontibus mortuus eſt; cum vix qiſquam etiam pro inſonte moriatur: nam pro viro bono fortaſſis aliqis mori ſuſtineat.* ita δίκαιον *inſontem* eſſe vult, qi ſit criminis expers; *bonum*, qi virtutis etiam pietatiſque ſpecimina ediderit. Et aliter planè, qi ſub Ambroſii titulo prodiit: *Duos*, inqit, *gradus poſuit, juſti & boni; juſtum exercitio ſignificans, bonum verò naturâ. unde qamvis melioris meriti, juſtus qàm bonus; tamen pro bono fortè qis audeat mori, qia miſerabilior cauſſa innocentiæ eſt.* Sed & aliò declinat Henr. Stephanus, qi ὑπὲρ τ ἀγαθοῦ vertit, *pro eo qi ſit ipſi utilis.* ut ἀγαθὸς idem hìc valeat, qod χρηστὸς propriè ſit. pleniùs idem planiúſqe in *Clavi* Flac. Illyricus; *Vix accidit, ut qis vitam ſuam profundat etiam pro juſtiſſimis: pro eo tamen qi alicui valdè eſt utilis, forſitan qis mori non recuſet:* ut *juſtitiæ* abſolutè conſideratæ, *utilitas* privata & emolumentum propriam ac peculiare opponatur. qæ mihi omnia, cum arguta nimis, tum & coactiora videntur.

Atqe hi vocabula iſta à ſe invicem diſterminant, reſtant, qos ſeqar magis, qi utroqe idem cenſent deſignari. Ex his eſt Hieronymus, qi loco ſuprà adducto, ad res tamen, qod minùs probem, non perſonas referri utrumqe poſtulat. Siqidem ubi illorum & retulerat & rejecerat ſimul ſententiam, qi ita interpretarentur Apoſtoli verba, ac ſi dixiſſet; *Si ille pro nobis impiis mortuus eſt & peccatoribus, qanto magis nos abſqe dubitatione pro juſto & bono Chriſto debemus occumbere? Juſtum*, inqit, *& bonum non putemus eſſe diverſum, nec aliqam propriè ſignificare perſonam, ſed abſolutè juſtam rem & bonam, pro qâ difficulter, ſed interdum aliqis inveniri poteſt, qi ſuum ſanguinem fundat.* Verùm horum reliqi plerique de perſonis accipiunt qod & neceſſariò faciendum antitheſis Apoſtolica clariſſimè evincit) hominémqe *juſtum* ac *bonum* pro eodem accipiunt. atqe in hac parte præeunt Jo. Chryſoſtomus & Oecumenio referente Photius, qi ἀνδρὸς ἐναρέτου nomine, qo modo δίκαιον Theodoretus, utrunqe comprehendunt. fruſtra enim Illyricus in *Gloſſâ*, diſtinctionis ſuæ *Athanaſium ac Chryſoſtomum* avtores lavdat. ſequntur Jo. Calvinus, Bucerus, Beza, Piſcator, Paræus &c. ut ſenſus ſit: Rariſſimum ſanè inter homines exemplum extare, ut pro juſto mori

qis ſuſtineat; quanqam illud nonnunqam accidere poſſit. *Juſtum* verò ſæpenumero, δντὶ τοῦ δικαίου ſumi; hoc eſt, non pro eo *qi ſtricto jure agat*, ſed *qi benignè, piè, moderatè, miſericorditer ſe gerat*, ex multis ſacræ Scripturæ locis liqidiſſimè paret. Hymn.37.v.21. *Juſtus gratiam exhibet & largitur.* & mox denuò. v.26. *Tota die gratiam exhibet, & mutuatur.* i. jugiter benignitatem ac beneficentiam exercet, nunc largiendo, nunc mutuando. qod Hymno 112.v.5. dicitur; *Bonus qiſqe gratiam exhibet, & mutuò dat*, ut hîc טוֹב *bonus* ſit, qi illic צַדִּיק *juſtus*. unde & צְדָקָה *juſtitia* δντὶ τοῦ ἐλεημοσύνης, pro *eleemoſynâ* ſive *benignitate*, ibid.v.9. & δικαιοσύνη pariter ad Corinth. ep.2. c.9.v.9,10. Sic Parœm.c.12. v. 10. *Rationem habet vitæ etiam jumenti ſui juſtus.* Sed & Matth. c.1.v.19. *Porrò Joſephus vir ejus, juſtus qum eſſet*, (i.homo leni, miti, bono, benigno ingenio, δίκαιος, τοῦτ' ἔστι, χρηστὸς καὶ ἐπιεικής, Chryſoſtom.) *nolletqe eam ignominiæ exponere, clam eam dimittere in animo habuit.* Itaqe inter *juſtum bonúmqe* hoc in loco diſtingvere, nihil qicqam eſt qod cogat, cum ea tanqam ſynonyma Spiritus Sanctus tam crebrò uſurpet.

Cap. X.

Gvil. Maji elogium. Hymni 16. commation.4. qî ſit interpretatus. Deos falſos dotant ſui. Deus verus dotat ditátqe ſuos. Solus verus Dominus, qi ſervo nullus indiget. Numini vero nihil confertur. מְנָחָה mola ſalſa נֶסֶךְ libamen. libamenta è ſangvine. σπένδεσθαι, *qâ ratione uſurpatum, Phil. 2, 17. 2 Tim.4.6. Deorum alienorum nomina uſurpare vetitum. In locorum collationibus cautio adhibenda.* Ad juſtitiam imputari; *ſenſu diverſo uſurpatum, Moſi Gen.15.6. Pſalta Hymn.106.31. In Cheruborum effigiatione Exek.1.5,6. explicandâ, lapſus Exercitator. Sed & Moſes Ægyptius, facies qadriformes habuiſſe; uti triformem Chimæra poetica. facierum ſitus qi fuerit. Hebræis antica pars mundi Oriens, poſtica Occidens, dextra Auſtralis, ſiniſtra Septentrionalis.* κορυφοῦται, κίονες ἀραὶ, κιονῶσις. *Cerubis ſpiritus miniſtratorii deſignati. an Chriſtus imagine illâ deſignatus; an*

Evan-

Evangeliſtæ, an attributa divina. Animantia à Joanne viſa Apoc. 4.7. alia ab eis Ezechieli exhibitis, oculis undiqe cincta iſtic animantia ipſa, illic rotarum canthi. Angeli illis, mortales iſtis repræſentati. Davidis verba Hymn. 16.4. ex Chriſti Joan. 17 9. explicata. Hymni 126. verſ. 1. expenitur. Caſus inopinati ſomnii res habiti. Viſi nocturni inſtar improborum ac mundanorum fœlicitas. חלם ſomniare, *qandoqe*, dormire, *nunqam. idem etiam* valeſcere, *convaleſcere Jobi* 29.7. *et* החלים ad ſanitatem reducere, ſanitati reſtituere. *Eſaiæ* 28.16. *pari notione ſumi poſſe Hymn.* 126. *Captivitas Babylonica Judais morbi, mortis inſtar. ejus diſſolutio à morbo diutino, imò à morte reſtitutio.* ἀναγλαΐδες *medicis qid. ejuſmodi qid an Græcis V.T. Interpretibus τὸ* ἀναγλαΐδες. *Verba Hymn.* 82.7. *diſcutiuntur.* Adam *ibi aliis ὁ πρωτόπλαστος, aliis* homo *plebejus.* אחד *aliis* unus, *aliis* primus. Principes, *aliis* angeli deſertores; *aliis principes exteri. Pia minùs Magiſtrorum de improbarum animis ſententia; ethnicorum qorundam potior; et Eccleſiaſtæ* 12.7. *compar. Mors principes & plebejos pariter rapit.* Cadendi *verbum qid hic velit. Pauſa diſtinguentes minùs obſervatæ pleriſqe impoſuerunt.* יחד ſimul, pariter. *inde loci ſenſus genuinus Majo erutus.*

IN hoc caput conjiciam aliorum qorundam interpretationes qaſdam in publicum, qod ſciam, hactenus nevtiqam emiſſas. Agebat diu apud Londinates meos D. Gvilhelmus Majus, vir lingvarum ſanè peritiſſimus, & qi in Scripturæ ſacræ ſenſibus enucleandis pares pavcos, ſuperiorem vix ullum haberet. Cæterùm Stoicæ, vel Cynicæ potiùs, diſciplinæ ita inſveverat, ut rigidus animi affectus corporiſqe illuvies eruditionis gratiam plurimùm imminuerent, fructúqe, qi alioqi decerpi poterat ubertrimus, præter pavcos, & hos etiam anxiè admiſſos, reliqos pleroſqe defravdarent. Inter codices tamen ſacros pro concione explicandos, & in privato etiam qandoqe cum eis, qos familiariùs pavlò habebat, conſortio, excidebant, qæ tollere ſtudioſus qivis non dedignaretur. Ex his nonnulla cum iſtic propoſuerimus, aliorum judiciis cenſenda dimittemus. Hymn. 26. v. 4. ſic legitur. *Multiplicabuntur*

buntur doloret illorum, qi alium (præter verum Deum) *dotant.* (ut eleganter Junius) hoc eſt, *qi ſe idolo alicui velut matrimonio copulantes, non accipiunt, ſed conferunt dotem* (Junii ſunt verba) *mox in nihilum abituram.* Commentarii vicem præſtabit Ezekiel vates c.16.v.30--34. viſe ſodes. eſt enim prolixior periocha, qàm ut tranſcribi ex uſu ſit. Ita cultores ſuos Deus verus dotat ac ditat, ipſe ab eis dotem nullam, cum rei nullius indigus ſit, exigit. *Dominus*, inqit, *ipſe es; beneficentia mea nihil ad te.* v.2. *Ipſe enim verus eſt Dominus, qi ſervo non indiget, & quſervus indiget.* Avguſt.*epiſt.*5. *Ipſe Deus eſt tuus, qi tuis nec eget bonis, nec timet à malis.* Idem *in Pſalm.*80. *Huic* avtem *beneficium præſtare non poſſumus.* Idem *de verb. Dom.orat.*58. *Nec ille ſiqidem collato eget, nec nos ei qicqam conferre poſſumus.* Senec. *de benef.l.*4. *c.*9. At contrà Dii extranei non tam cultores ſuos dotant ac ditant, qàm ab eis dotem, ſumptum nempe & impenſas fruſtra collatas, exigunt. qod doni avtoribus idcircò tandem in *damnum grave, doloréſqe* inde perceptos, redundabit. ita enim cum Piſcatore malim paſſivè ſumere, prout verbi ipſius forma poſtulat; qàm cum Junio activè, ut de *doloribus* intelligatur, qibus ſanctos, qos priùs dixerat, afficiant ac divexent improbi. Seqitur: *Horum ex ſangvine libamina non ſum libaturus; nec aſſumpturus in os meum nomina eorum.* Ad animantis mactati victimam unamqamqe, adjiciebatur מִנְחָה θυλοχύται, *mola ſalſa*, & נֶסֶךְ σπονδὴ, *libamen.* Num.c.15.v.5. & c. 25. v.7. qod erat victimæ ipſius qaſi complementum. Itaqe Deo vero vino ſuper hoſtiam effuſo libabant. Deis falſis, vini loco, ſangvine ſæpe humano. unde *libamenta è ſangvine* Pſaltæ nuncupantur. neqe enim Avguſtino accedo, qi *epiſt.*5. de *pecorum victimis* dictum vult, qas Judæi immolabant. Ad utrumqe forſan alluſerit Pavlus ad Philipp.c.2. v.17. Ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν &c. *Quietiam ſi liber*, ſive libaminis in morem effundar, *ſuper ſacrificio & miniſterio fidei veſtræ, gavdio id mihi futurum eſt*, &c. Philippenſium fidem nimirum ac pietatem hoſtiæ comparat, ſangvinem ſuum *libamento*, qod eam qodammodo conſummet, dum pro Chriſti cavſſâ fuſo eos in fide confirmat. Sed & eâdem uſus metaphorâ ad Timoth.ep.2.

c.4.

c.4. v.6. jam morti propinqus, Ἤδη γὰρ σπένδομαι. *Jam enim libor.* mox pro libamento mihi ſangvis fundendus eſt, qò miniſterio meo, quod ſacrificii inſtar obtinet, colophonem adjiciat. utrumqe, inqam, alluſiſſe videtur; qia ut Avguſt. *de civit. Dei l.*10. *c.*4. *Deo cruentas victimas cadimus, quando uſqe ad ſangvinem pro ejus veritate certamus.* Qemadmodum Jul. Firmicus *de error. profan. relig. Hic eſt Cabirus, cui Theſſalonicenſes cruento, cruentis manibus ſupplicabant.*

Seqitur: *Neqe aſſumpturus ſum in os meum nomina eorum.* ſive, *labia mea nomina ipſorum non intrabunt.* Hoc vulgò accipiunt, ac ſi Deorum falſorum nominibus vel ſimpliciter uſurpandis, vel inter jurandum adhibendis, abſtinere ſe velle profiteretur. Atqe ita Druſius *obſerv. l.*3. *c.*7. ex Exod. c.23. v.13. & Joſh. c.23. v.7. Majus noſter alió abit.

Verùm hujus interpretationem prius qàm propoſuero, illud attingam, qod interpretes ille in verbis illis exponendis in fravdem illexiſſe avtumabat. Collationem locorum plurimùm conferre ad Spiritus ſancti mentem genuinam indagandam atqe eruendam, nemo qiſqam, opinor, unqam inficias iverit. cavtione tamen & judicio opus eſſe, in collationibus inſtituendis, & ex collatione ſenſum certum conſtituendo, id verò plurimis exemplis liqidò poterit demonſtrari. Ad rei evidentiam, uno & altero impræſentiarum contenti erimus. Formula illa, qâ *ad juſtitiam imputari* aliqid alicui dicitur, bis tantùm, qod memini, in Veteri Inſtrumento reperitur. Geneſ. c.15. v.6. ubi Abrahæ *fides*, qam Dei promiſſis adhibuit, *in juſtitiam illi imputata*, vel *reputata*, dicitur. Et Hymn.106. v.31. ubi Phœnicis factum, in flagitioſis illis trucidandis, *in juſtitiam* itidem *ei imputatum* perhibetur. Jam ſiqis vel ex eo qod de Abrahæ fide enunciatur, idem hoc fundamento de Phœnicis facto pronunciaverit, vel ex eo qod de Phœnicis facto prædicatur, nihil aliud de fide Abrahæ intelligendum contenderit, qia gemina de utroqe formula uſurpatur, nec alibi uſpiam ea ſenſu alio aliqo uſurpata occurrat, næ ille ratiocinationis Apoſtolicæ, qâ *ex fide merâ peccatoris coram Deo juſtificationem* ſtabilire conatur, ad Roman. c.4. v.3,5,8,9,22,23,24. nervos penitùs inciderit. itaqe à locorum collatione nihil iſtic ſanè concluſeris. *imputari* ſiqidem *ad juſtitiam*, loco priori, ſic ſumi-

tur, ut pro justo apud Deum hominem censeri faciat, qi alioqi tamen peccato immunis non sit. at loco altero hoc duntaxat designat, factum illud Phœnicis fuisse tanqam justum, à divino numine approbatum.

Aliud damus Ezekielis c. 1. v. 5, 6, 10. in visione depinguntur animantia qatuor, corpus qod attinet, specie humanâ, facie verò sive vultu multiplice & multiformi; *faciem* enim unumqodqe horum *qadriformem* habebat, *humanam*, *leoninam*, *bovinam*, *aqilinam*. nam qod vir doctus, sed nugis Rabbinicis addictus nimis, qi *in Legem Mosaicam exercitationes* nobis dedit, *in Leg. cerem. exerc. 9. de Cernbis*, negat פנים istic pro *facie* sumendum, negat *animantibus singulis faciem qadriformem* fuisse; hoc tantùm voluisse Vatem sacrum contendit, *aliqâ ex parte animantia qatuor illa hominis, leonis, bovis, aqilæ speciem* imitatos; *hominis*, qòd *faciem humanam cum cruribus erectis* haberent; *leonis*, qòd *collum pectúsqe leonis cristam* sive *cervicem jubatam* repræsentarent; *bovis vitulive*, qòd *pedes ungulatos bifidósqe* obtinerent; *aqilæ*, qòd *alis* essent *instructa*. hæc inqam, à vatis sacri mente reíqe ipsius veritate qàm longissimè recedunt. Exercitatori scil. cum aliis nonnullis contigit, qod pictoribus qibusdam contigisse refert Eustathius, qi Homeri verbis illis, qibus *Iliad. ζ.* Chimæram descripserat,

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δ δράκων, μέσση δ χίμαιρα,

perperam acceptis decepti, *Chimæram* ejusmodi nobis depinxerunt, qæ *capite Leonino, corpore caprino* deformata, in *draconis spiram volubilem* desineret. qum Hesiodus (à qo forte an mutuatus est Homerus) monstrum illud diserte doceat, non *triforme* tantùm fingi, sed & *triceps*. Hujus enim in *Theogoniâ* verba sunt ista:

Τὴν δ' ὃν τρεῖς κεφαλαὶ· μία μὲν χαροποῖο λέοντος·
Ἡ δ' χιμαίρης· ἡ δ' ὄφεος κραιπνοῖο δράκοντος.
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δ δράκων, μέσση δ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀπαπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.
Hunc tria erant monstro capita; fulvíqe leonis,
Hirsutæqe pilis capræ, immaníqe draconis.
Ante leo, retròqe draco, capra inter utrumqe,
Ignis ad horrendam vim naribus exhalabat.

Cæterùm de portento illo imaginario viderint poetæ, poeticorúmqe

eticorúmqe figmentorum interpretes; qibus inter ſe vix convenit. De animantibus à Vate noſtro delineatis, qod primus forſan, nec ſolus tamen, nam ejuſmodi qippiam & Grotius in *Annotatis* habet; commentus videtur iſte, conſtat planè contextui ſacro omninò adverſari, qi verſ. 10. leonis faciem à dextris collocat, bovis à ſiniſtris, ut per conſeqens ab anteriore parte facies humana, à poſteriore aqilina ſita fuerit: avt iſtæ ſaltem inter illas mediæ conſtiterint; niſi ſiqis forſan adeò vecors extiterit, ut animantium illorum collum cum pectore à dextris, alarum par utrumqe à ſiniſtris, contra omnem proportionis decoræ uſúſqe neceſſarii rationem, velit ſtatuere. Nec verò abſimile vero videtur, qod David Camius habet in *Viſi* illius *explicatione* ad *Commentariorum* calcem adjectâ. Cenſet is *pro mundi plagis qatuor animantium iſtorum, ſive capita, ſive facies, ſitum obtinuiſſe ſuum. faciem* ſcil. *humanam Orientem verſus proſpectaſſe*: ideóqe primo loco commemoratam, partim qòd ea præ reliqis emineret, partim qòd Vatis conſpectui rectâ objiceretur. *Leoninam* proinde *à dextris, bovinam à ſiniſtris* ſitam; qòd orientem verſus faciem componenti, à dextra Avſtralis cœli plaga, (qæ & יָמִין ideò à יָמַן dicta) à ſiniſtrâ Septentrionalis exiſtat. *aqilina* reſtat ut *Occidentem reſpexerit*; qæ & *poſtica* pars mundi אָחוֹר Hebræis cenſetur; ſicut *Oriens* קֶדֶם *antica*, anterior.

Minùs enim probabile eſt, qod Moſes Ægyptius in *Doctore perplexorum l. 3. c. 1.* ſtatuit, *facies qatuor* qidem fuiſſe *ſingulis* horum, ſed *humanas omninò univerſas. leonis* verò, *bovis, aqilæ* dictas, non qia animantium iſtorum facies exiſterent, ſed qia eas aliqâ ex parte referebant. ſicut de Davidis auxiliariis qibuſdam dicitur, *facies illorum* fuiſſe *ut faciem Leonis*. Annal. l. 1. c. 12. v. 8. et de Theoro paraſito apud Ariſtophanem ϑεαυλίζον Alcibiades, --ἢ κοραλιὼ κόλακ᾽ ἔχει, cum κόραξ vellet, *corvi caput* habuiſſe. et Cleo Comico eidem in *Equitibus*, κυνοκέφαλ᾽ dicitur, tanqam qi *canino ſimile caput* haberet. & κυνώπιδα ſe Helena apud Homerum dicit *Odyſſ. δ.* οὐνὶ κυνὸς ὄμματα (uti Agamemnoni Achilles Il. α.) ὄπιν᾽ ἐΐσην ἔχυσ᾽, *qaſi qæ caninam turpémqe*, potiùs qàm ſpecioſam pulcramqe *oris effigiem* obtineret. neqe enim inverecundam

impudentémqe ſe ipſa diceret; uti pleriqe interpretantur. Sed & Joan. Baptiſta Porta in *Phyſiognomonicis* ſuis, hominum facies havd pavcas, utrarumqe typis graphicè depictis, cum animantium aliorum faciebus componit. Verum & Moſes noſter iſtic, credo, ſolitarius incedit.

Imagine interim myſticâ iſtâ, Angelos, ſive Spiritus miniſtratorios, eſſe delineatos, extra controverſiam eſſe videtur. nec id inficiatur Exercitator; qi ſymbolis illis adumbrari monet *ſpirituum illorum intelligentiam, vires, velocitatem, obſeqium*: Verùm ad nugacia mox dilapſus, *Chriſti trophæum* vult indicari, qi *natus* ſit, *ut homo, occiſus, ut vitulus, reſurrexerit, ut leo, aſcenderit, ut aqila.* qæ ego certè pari loco habeo, qo commentum illud de *qatuor Evangeliſtis*, qos ex ſingulorum *exordiis Evangelicis* ducto argumento, animantibus illis repræſentatos allegoriarum magiſtri tradunt. Qum avtem in Joannis Apocalypſi c.4.v.7. animantia itidem qatuor occurrant, qorum primum *leonis* ſpeciem præferat, ſecundum *vituli*, tertium *hominis*, *aqilæ* qartum: hinc ſtatim concludunt eoſdem planè iſtic deſignari, *ſpiritus* nempe Dei opt. max: *adminiſtros* ac *legatos*, qi ab Ezekiele depingebantur. in qo fallitur etiam Exercitator, qòd utrobiqe πολυοφθαλμὰ, ſive *oculis undiqe obſita animantia* depingi affirmat: qòd nunc ad ſpirituum *intelligentiam humanâ majorem*, nunc rurſus, ſibi diſſidens (qod in luſu iſtiuſmodi ſolenne eſt) *numinis divini* παντοδυναμίαν ſive *omnituentiam* exprimendam refert. qum apud Ezekielem non *animantia* ipſa, ſed *rota*, ſive *rotarum canthi oculis inſtructi* dicantur. ver.18. cæterùm in Apocalypſi *animantium* nomine ſpiritus illos nevtiqam indicari periſpicuum eſt, cum *animantia* illa *qatuor* unà cum *ſenioribus viginti qatuor, agni ſangvine redemptos* ſeſe profiteantur *ex ſtirpe unaqaqe & lingva populóqe ac gente.* cap.5.v.9. qod de *angelis electis*, dici non poteſt. Itaqe cavtione, qod dixeram, opus in locis invicem conferendis; nec ubicunqe formulæ occurrunt eædem, ſenſus idem ſtatim ſtatuendus.

Hoc avtem non animadverſum Majus noſter opinatus eſt occaſionem dediſſe Pſalmæ locum illum Hymn.16.v.4. ſecus, uti ille cenſebat, qàm Spiritus Sanctus ſenſerat, interpretandi. Cum enim populo Dei prohibitum legerent, *Deorum alienorum.*

eorum nomina in os ſuum aſſumere, Exod.c.23.v.13. & Joſh. c.23.v.8. inde ſtatim avtumabant idem planè iſtic qoqe deſignari. Verùm is aliud planè innui contendebat. Suæ avtem interpretationi qò viam muniat, hoc primo loco ſumit, ſub Chriſti perſonâ Vatem loqi; qod ex verſ.10. colligit, qi de Chriſto exponitur, cum à Petro, Act.c.2. v.25. tum à Pavlo Act.c.13.v.35. Tum exile nimis cenſet, qàm ut profiteatur Chriſtus, nolle ſe Deorum falſorum nomina honorificè uſurpare. Denique ad Syntaxin provocat, qâ numero plurali ad cultores Dei à vero alieni, non ad Deum falſum, qi numero ſingulari enunciatur, reſpectus ſimpliciſſimè habeatur. Mitto qæ in contrarium forſan poſſent reponi. Cæterùm hinc ſtatuit, *profiteri Dominum Chriſtum iſtorum nomina, qi Deis falſis obſtinatè adhærent, intra labia ſua non admiſſurum, ut vel verbulo tenus pro eis apud Deum patrem ſuum agat.* Itaqe idem vult eſſe hoc ſub Chriſti perſonâ à Davide ejuſdem typo enunciatum, cum eo qod ipſe, cum in terris ageret, Joannis c.17.v.9. ſuorum cavſſam apud Deum Patrem peroraſſe, dixit, *Non oro pro mundo, ſed pro eis, qos ipſe mihi dediſti*; ut, *nomina eorum intra labia mea non ſum admiſſurus*, perinde valeat, ac ſi dixiſſet, *in meis ad Deum Patrem intercessionibus locum iſti nullum habituri ſunt.*

Pergamus. Hymnus 126. uti vulgò redditur, ſic incipit, *Cum reduceret Iovas Sionis reduces, ſomniantibus ſimiles eramus*: qod explicant, *ſomniare nobis videbamur*; cum vix poſſemus credere rem veram geri; adeò ſupra modum admirabilis & inexpectata extiterat ea noſtra liberatio. Sic Petrus Angeli miniſterio catenis exutus & carcere eductus, foribus inſuper ac portis ſponte cedentibus, non rem veram geri, ſed viſione nocturnâ illudi ſibi avtumabat, Act.c.12. v 9. M. Senec. *controverſ.9. Somnium hoc puto.* Q. Curtius *l.4.* de Abdolomino à terrâ ſarriendâ ad regnum ab Alexandro Tyri compote evocato; *Somnio ſimilis Abdolomino res videbatur. &, Satíne eſſent ſani, percunctabatur, qi tam protervè ſibi illuderent.* Nicetas Choniat. *Andronici Comnen. hiſt.l.1.c.3.* de eodem ad urbem Nicæam, quam diu fruſtra obſederat, ex inopinato à civibus ſponte deditam; τῷ δ' ὄναρ αἰλήφθαι πολλάκις τοὺ ὀφθαλμοὺς ἐς ἀκρίβειαν τ' ὄνειρον

ωμένων διεσπάλαται ὄρεγμα· ἀπιχνᾶς γὰρ ὅταν ἐλίκαι ϛλάσμα τὰ τότε πλούμενα. Idémque *ibid.l.*2.*c.*11. de Iſaacio Angelo præter expectationem ad imperium raptim evecto; ἐνοχόλαινε δὲς ἡ περιφορίαν, ὑχ ὡς ἔφελα μὴ πέφυκεν ἀρχῆς, ἀλλ' ὡς ὑφορώμενος τὸ φρόγμα· ἐρεθὲς τι καὶ δυσίριτον. καὶ ὅταν ὑχ ὕπαρ ἐλίκρις ὄντα λεῖδαι οἱ τὰ παρόντα ὀδύνα. Joannes deniqe Chryſoſtomus de ſe in Presbyterium cooptato; *tom.*6.*orat.*38. Λέγε ἀληθῆ τὰ συμβάντα· ἆρὶ ὑμᾶς γέγονεν ὄνλως τὰ γεγενημένα; ἢ ὑκ ἀπελήμβα; ἀλλὰ νὺξ τὸ παρὸν καὶ ὄναρ; ἀλλ' ἡμέρα ὄνλως δὲ, καὶ ἐγκεκορῦμβα ἅπαντες; καὶ τίς ἂν παῦτα πεισύσειεν, ὅτι μεσεκλεσε· ἐνυπνίε καὶ ἀπῤῥιμμένε· δὲς ὕφ· ἀρχῆς ἀληθὲς ἦν πεσόδον; non potuit graphicè magis explicari ſenſus iſte, qem hymnographi verbis poſt Abraham Eſdræ filium aſſignant interpretes pleriqe.

Cæterùm David Camius Joſephum patrem ſuum narrat aliò tranſtuliſſe, nec de præſenti lætitiâ, qam commatio ſeqenti deſcribit, ſed de dolore atqe anxietate præteritâ cepiſſe: *dolorem* ſcil. *angorémqe*, qem deportationis tempore pertulerant, ad reverſionem divinitùs procuratam, *ex animis mentibúſqe omnem ſtatim avolaſſe, qo modo ſomno experrecti ſomniorum imagines nocturnæ ſolent.* Ita Aſaph Hymn.73. v.19,20. *Qomodo in deſolationem, qaſi momento, abeunt? diſpereunt, terroribus abſumuntur, inſtar ſomnii, qod, ubi qis evigilaverit, evaneſcit protinús.* Scitè Simoeattus *Epiſt.*37. Τῶν ὀνειρίων τὰ κέρδεσι ὑ πόσοδον ἡμᾶς ἐνεφάνισε κεναὶ δόξας, ὅσον ἐκπεφοίβας ἀλύσεις. Αἱ γὰρ ἐλπίδες μὴ ὕπνε ϛωσαρίσαν. Et Dio Pruſ. *orat.*37. Homerum περιφρόνως,

Τιμὴ δ' ἦὖΤ' ὄνειρ· ἀπονέφαμένη πεπόηλαι.

Avolat at mundi, cev ſomnia vana, honor omnis.

Tanqam ſomnium enim avolat, qod non invenitur, (ſive, qod jam ampliùs non comparet, non eſt) *& ſicut viſum nocturnum fugatur.* Zophar, Job.*c.*20.*v.*8. Videantur ampliùs Dio idem *orat.*33. ſed & Ambroſ. *offic.l.*1.*c.*12. & *de Ioſeph.c.*6. Avguſtin. *in Pſalm.*75. & *homil.*13. Gregor. *Moral. in Iob. l.*18,*c.*10. Petronius in *Satyric.*

Noſte ſoporiferâ veluti cum ſomnia ludunt
Errantes oculos, effoſſáqe pertulit avrum
In lucem tellus; verſas manus improba furtum,

Theſav-

Theſauróſque rapit; ſudor qoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium ſecreti conſcius auri.
Mox ubi fugerunt elaſam gaudia mentem,
Veráque forma redit, animus quod perdidit optat,
Atque in praeteritâ ſe totus imagine verſat.

At iſtic contrà, unà cum captivitate ipſâ, moleſtiæ memoria etiam omnis avolaverat, nec in eâ ampliùs hærebat reducum animus, ſed qaſi nec extitiſſet unqam, præ gavdii magnitudine abſorpta penitus, & ex animis etiam & cogitationibus obliterata prorſus videbatur. qo modo de puerpurâ prolem maſculam jam enixâ Chriſtus Joan.16.v.21. parturientis *dolorum* licet acerrimi fuerint, *præ gavdio, qod de partu jam edito concepit, nec reminiſcitur qidem.*

Verùm Majus noſter חֲלֹמִים aliâ ſignificatione iſtic ſumi volebat. non in *ſomniandi* nimirum, ſed in *convaleſcendi* ſenſu. qo modo חָלַם uſurpatum deprehenditur, Jobi c.39. v.7. de cervarum & caprearum prole: *Ipſæ incurvant, ac diſſecant ſe, dum partus ſuos vix enituntur: at nati earum* חָלְמוּ *convaleſcunt*, creſcunt, matres deſerunt. Et in formâ tranſitivâ חוֹלִים *facere ut convaleſcat* qis, *ſanare*. Eſajæ c.38.v.16. וְתְחַלֵּימֵנִי ubi Vetus interpres, neſcio qo fundamento, *Corripiet me, & vivificabis me*. Tigurinus, *Tu me ſomno degravas, & rurſus vivificas*; tanqam חָלַם *dormire* ſit. & Jo. Calvinus, *qòd dormire me feceris*; ut *ſomni* nomine *mors* deſignetur, à qâ minimùm abfuit. at Genevenſes contrà, *dormire feciſti me*. ac ſi inſomniâ priùs laboraſſe innueret. Verum propiùs acceſſit Vatablus: *ſanâ me itaqe & viviſica me*. Et adhuc propiùs Pagninus; *Et ſanabis me, & vivificabis me*. nam חוֹלִים *ſanare*; & inde חַלְיָא *ſani* apud Syrum Matth.c.9.v.12. & utrumqe, prout apud Eſajam, junctim poſitum, pro Græcorum ἔρρωσο, חֲיֵה חוֹלִים *vale, ſanus & ſoſpes vivas*. Act.c.23.v.30. Sed omnium optimè Junius; *Sic feciſti ut revaleſcerem, & in vitâ conſervaſti me*. Valetudinem mihi reſtituiſti, ſanaſti me. nam particula copulans, uti & ſcotis qòdſque notum, tempus verbi mutare ſolet. Eodem ergo modo & apud Hymnographum D. Majus ſumi volebat. *A captivitate reduces, ſimiles illis extitiſſe, qi à gravi-*

ac

ac diuturno morbo ſubitò tandem convaleſcunt. Et certè gravis *morbus*, imò qaſi *mors* qædam, *captivitas* illa viſa eſt. Unde & *reductio* qaſi *à mortuis revocatio & reſuſcitatio* qædam dicitur Eſaj.c.26.v.19. & Ezek.c.37.v.11,12. & Dan.c.12.v.2. qin & Apoſtolus populi Judaici reſtitutionem deinceps futuram, ζωὴ ἐκ νεκρῶν fore adfirmat. Rom.c.11.v.15. Græci utrobiqe cum apud Eſajam, tum apud Hymnographum eodem ϑ ἀναλεῖδς vocabulo utuntur. illic, ἰξήγειρέ με ϑ πολὺ, καὶ ἀναλήψεις ἔζησα. iſtic, ἀναβιώσομαι ὥσπερ ἀναλαμβάνοι. qo etiam verbo pro *corroborare* & *vires addere* utuntur. ſic enim חזק exprimunt κατίσχυσον αὐτὸν, καὶ ἀνάλεσον αὐτὸν. Devt.c.3.v.28. & חזק καὶ χεῖρες ἀδυνεῖς παρακλήσας. Job. c.4.v.3. & חזק οἱ καλοικῦντες Γιββεὶρ ἀναλεῖτε. Eſaj.c.10. v.31. Certè ἀναναλεῖδς pro eo qod Latini dicunt, *vires revocare* & *reparare*, apud medicorum filios ſatis freqens eſt; & de eis ut plurimùm uſurpatur, qi deliqium paſſi, medicamine aliqo reſtituuntur. ejuſmodi qippiam an τῷ ἀναλεῖδς, qod huic finitimum, vocabulo, Græci voluerint deſignatum, alii viderint.

Aliud D. Maji interpretamentum peculiare, iſtis ubi adjecerim, caput hoc clavdam, Hymno 82. v.7. ſic legitur, אָכֵן כְּאָדָם תְּמוּתוּן וּכְאַחַד הַשָּׂרִים תִּפֹּלוּ Qæ qidem verba variè, non à Judæis tantùm, ſed & à noſtris accipiuntur. Siqidem in membro priori qidam, in qibus eſt Jajrus, & qi Hieronymi *in Pſalm.* nomen ementitur, ϑ σεντβλαῶν deſignari volunt. ac ſi dictum eſſet, *Verumtamen moriemini, ſicut Adam:* eo qòd ad Adæ inſtar tranſgreſſi ſitis, trahúntqe huc illud Hoſh.c.6.v.7. & Job.c.31.v.33. Nec deſunt, qi illud itidem in membro altero אַחַד הַשָּׂרִים non *unum è principibus*, ſed *principum primum* vertentes; (qo modo אֶחָד הַשָּׂרִים *primum è principibus*, Dan.c.10.v.13. Junius:) ut numerus cardinalis, uti appellant, ordinalis vice fungatur; prout Gen.c.1.v.3. & Act.c.20.v.7. de Adâ eodem intelligunt, qi primus mundi hujus inferioris rector ac dominator, à creatore Domino univerſi fuerit conſtitutus. Gen c.1. v.28. Alii è Judæis minùs piè, inqibus Camius (nec abſcedere longè videtur Eſdraides) *Moriemini, ſicut homines merè terrei; qorum anima unâ cum corpore, ad jumenti inſtar, intercidit.*

Hymn.

Hymn.49.v.12,19,20. Eccl.c.3.v.18-21. ut opponatur ſcil. ei,quod eſt ſuprà dictum, *filii excelſi* eſtis *omnes* : qod de ſpiritibus illis immortalibus Dei adminiſtris intelligunt iſti,qibus dignitatis ratione ſimiles cenſeantur. At ſaniùs meliúſqe Muſculus noſter, *Moriemini, ut cæteri qiqe, mors ultima linea rerum, faſtigio faſtuiqe veſtro finem dabit.* & qod Hymn. 146.v.3,4. tam de principibus, qàm de plebejis qibuſvis dicitur, *ubi expiraverit, ad pulverem ſuum revertuntur, eodémqe die cogitata ejus univerſa unà cum ipſo intercidunt.* ita tamen ut *corpore ad terram* , *unde* primitùs *ſumptum eſt*, Gen. c.2.v.7. & c.3. v.19,23. *revertente, ſpiritus*, ſive *anima, ad Dei, qi dederat*, Gen. c.2. v.7. tribunal ſiſtatur, Eccl.c.12. v.7. ſententiam ſive lætam favſtámqe, ſive triſtem dirámqe, pro juſtitiâ divinâ latam, ſubitura. Luc.c.16.v.22,23. et certè ſanctiùs ſaniúſqe hac in parte egerunt Philoſophi qidam Ethnici, qàm Judæi iſti magiſtri, qi tam malorum qàm bonorum animas, non interitui obnoxias ; ſed corpori ſuperſtites, ac immortales, à compagis humanæ diſſolutione, pro vitæ anteactæ ratione, vel in ſedes beatas, vel in loca pœnalia transferendas, avt fidenter cenſebant, avt ſentiebant credebántqe, ſentire ſaltem ac credere ſe profitebantur. Videndus Socrates apud Platonem in *Phædone* , Cicero *Tuſculan.l.1.* Plutarchi nomine *de philoſoph. placit.l.4.c.7.* Stobæus *eclog. Phyſic.l.1. tit.40. ſect.3.* Horum effata Epicharmus ſic expreſſit à Plutarcho *ad Apollon. conſolat.* lavdatus,

Συνεκρίθη, χ᾽ διεκρίθη·
Καὶ ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθε, πάλιν,
Γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ᾽ ἄνω.
Concretum eſt, & diſcretum eſt :

(integram hominis compagem loqitur animâ corporéqe conſtantem)

Reditqe utrumqe unde venerat,
Terra ad terram, ſpiritus ſurſum.

Qibus gemina habet & Evripides in *Chryſippo*, referentibus Clemente Alex. *Stromat.l.6.* Philone Jud. *de mundi immortal.* & Marco Imper. *comment.* l.7. §.50.

Χωρεῖ δ᾽ ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ᾽ εἰς γαῖαν· τὰ δ᾽ ἀπ᾽ αἰθερίου

Βλαστόντα γονῆς, εἰς ὑψόθεν
Πόλον ἦλθε πάλιν.——
Retróque meant, qæ terra dedit,
Iterum in terram; quod ab æthereo
Venerat ortu, cœleſte poli
Repetit templum.——

Sed & in *Supplicibus* (qæ Moſchionis nomine fruſtra apud Stobæum proſtant *Collectan. tom. 2. tit. 124.*)

Ὅθεν δ' ἔκραυεν εἰς τὸ σῶμ' ἐρείκατο,
Ἐντεῦθ' ἀπαλθεῖν, πνεῦμα μὲ σφᾶς αἰθέρος,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.——
Et unde noſtræ quoque naturæ eſt datum,
Eò reverti; ut magnus æther ſpiritum,
Corpus recipiat tellus.——

Ex Stoicorum ſententiâ uterque videtur locutus, qæ ad Epicuream etiam tranſtulit Lucretius *lib. 2.*

Cedit enim retrò, de terrâ quod fuit antè,
In terras; & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Idrurſum cœli rellatum templa receptant.

Hæc eò magis interſerere hîc viſum, qia cum Eccleſiaſtæ illis tam accuratè conveniant. Quanquam hoc illi forſan ita dicebant, ut cœli, ætheriſque nomine aerem duntaxat intelligerent, in quem anima reſolveretur. Verùm in eandem planè cum noſtris mentem Heraclitus, cujus inſigne eſt illud *epiſt. ad Amphidamant.* Ἐὰν ἢ ῥᾴδιον θαλάσσιον γένηται τὸ σῶμα, δύσεται εἰς τὸ εἰμαρμένον· ἀλλ' ὁ ψυχὴ βόσις· ἀλλ' ἀδύνατον ἔστι χῆμα, εἰς ὑψηλὸν ἀναπτήσεται μετάρσιος· δίκτυον ἢ μὴ αἰθέριοι δόμοι. *Corpus mihi ſi undâ ingruente obrui contigerit, ad locum ſibi deſtinatum demerſum deſcendet. at non demergetur,* ſive *deſcendet anima; ſed immortale quiddam cum ſit, ad cœlum ſublevata evolabit; ſuſcipiéntque me ſedes æthereæ.* Verùm neſcio qo modo nec opinantem longiuſculè abripuit, detinuitque diutiùs, penſi deſtinati memorem minùs, argumenti interjecti meditatio amœnior, & exiturienti jam (venia verbulo detur) accommodatiſſima. Ad rem, de qâ agitur, demùm redeamus. Illud הַשָּׂרִים נֹאמַר nonnulli de Angelis Apoſtatis, ſive ſpiritibus deſertoribus dictum intelligunt. Eò, Jajro referente, trahit avtor *Midraſ Agadah*, ex Eſaj. c. 14. v. 12. & c. 24.

v. 21.

v. 21. Eôdem concedit & Pſevdo-Hieronymus, & hujus veſtigiis inſiſtens Hugo Barcinonenſis, ex Luc. c. 10. v. 18. qi & dictionem hîc mutatam urgent; priùs enim dictum, *moriemini ut Adam*: at iſtic, non *moriemini*, ſed *cadetis, ut unus è principibus*. angelorum ſiquidem *caſus* eſt, *mors* non eſt. At meminiſſe debuerant, *cadere* pro *mori*, in ſacrâ paginâ opidò qàm familiare exiſtere. Hymn. 91. v. 7. Jer. c. 44. v. 12. & alibi paſſim. Camius ergò de *Principibus* exteris, tyrannis ethnicis, qi populum ſibi ſubjectum premunt opprimúntqe, exponit. qod & Liranus ſeqitur, & Muſculus probat, illud Luc. c. 22. v. 25. huc trahens; Junius verò comprobando eò uſqe proceſſit, ut vocem *aliorum*, qâ à Judaicis diſcernerentur *principes* hîc dicti, contextui ipſi inſeruerit, qo nomine à Piſcatore, de re tamen ipſâ conſentiente, reprehenditur.

Noſtri pleriqe (ut ſingulos recenſere non ſit opus) *Adami* vocabulo *plebejum* qemvis deſignari volunt; qo modo à ſcriptoribus ſacris ea vox creberrimè uſurpatur. Hymn. 49. v. 2. & 62. v. 9. Eſaj. c. 2. v. 9. & c. 5. v. 15. Et ſenſus ſanè is optimus & convenientiſſimus videtur. neqe enim è plebejis principes, cum mortales pariter utiqe ſint, mors diſtingvit diſcernítve; verùm, ut Flaccus, *carm. l. 1. ode 4.*

—æqo pallida pulſat pede pavperum tabernas,
Regúmqe turres.—— *neqe*, ut idem *l. 2. ode 3.*
Divéſne priſco natus ab Inacho,
Qicqam intereſt; an pavper, & infimâ
De gente, ſub dio moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eôdem cogimur; omnium
Verſatur urnâ, ſeriùs ocyùs,
Sors exitura, & nos in æter-
Num exilium impoſitura cymbæ.
——undâ ſcilicet omnibus,
Qicunqe terra munere veſcimur,
Enavigandâ, ſive reges,
ſive inopes erimus coloni. Ibid. *ode 13.*

Et *lib. 3. ode 1.* *——æqâ lege neceſſitas*
Sortitur inſignes & imos:

Omne capax movet urna nomen.

Cæterùm in clavſulâ inſeqenti ampliùs aliqid deſignari qi velint, non deſunt, qod & verbo *cadendi* inſinuari exiſtimant, qod in *deturbandi* ac *proſternendi* notione ſumatur, ut mors violenta & inſveta aliqa intelligatur. Ita Muſculus. Sed & Junius, *non tantùm communi morte, ſed etiam celebri & ſingulari; ut Eſaj.c.14.v.10.* Vide qod de ambitioſis illis in Moſen & Aaronem inſurgentibus dicitur, Num.c.16. v.29,30. Verum qidem eſt, *cadendi* verbum de cæde mortéqe violentâ ſæpiùs uſurpari, Reg.l.2.c.1.v.19. & c.2. v.16. & c.3. v.36. & c.21.v.9. Nec verum minùs qod Juvenalis *ſat.*10.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte, tyranni.

Cæterùm *cadendi* verbum de eis etiam adhiberi, qi tam morbo avt fame extingvuntur, qàm qi gladio percuſſi occumbunt, ex locis patet ſuprà indicatis. Calvino itaqe argutiora videntur iſta. ipſe, qemadmodum & Mollerus, *ſicut unus, principes cadetis*, reddit: h.e. ut illi uterqe exponunt, ſicut unus è multis, ſive unus è plebejis (de qibus antè dixerat) occidetis, mortem obibitis. Favétqe verſioni iſti pavſarum in Hebraicis ſitus. Siqidem ad וּכְאֶחָד vox ſiſtitur; qo indicetur τὸ הַשָּׂרִים qod *principes* ſonat, non regi ab אֶחָד qod *unum* ſignificat, (unde patet perperam verti è Græcis, εἷς τῶν ἀρχόντων; à Latinis hos ſecutis, *unus è principibus*, avt *unus principum*) at ab הַשָּׂרִים ad וְמוּתוּן vox continuatur, miniſteriali duntaxat notâ intercedente; qo הַשָּׂרִים ſive *principes*, rectum eſſe, *moriendi* verbo, qod ab eo regatur, & qo cum conveniat, præfixum, diſertius indicetur.

Atqe hactenus qidem Majus noſter iſtis aſſentitur: cæterum in כְּאֶחָד expoſitione, tam ab iſtis, qàm ab illis omnibus ſeorſum it, nec immeritò. Siqidem, *ſicut unus*, illud, pro *ſicut unus à plebe*, avt ex infimæ ſortis hominibus, ſatis inſolens videtur: nec locum geminum, qi pariare qeat, adducunt ullum. Proinde Majus τὸ כְּאֶחָד adverbialiter hic ſumi poſtulat; perinde atqe alibi non ſemel, ſed ſæpiuſculè uſurpatum deprehenditur. notione verò adverbiali ubi ſumitur, nunc *unâ, ſimul*, nunc *juxtà, æqè, ſimiliter, pariter* ſignificat. Sic Eſajæ c.65. v.25. *Lupus & agnus* יִרְעוּ כְּאֶחָד (pro qo

Cap.

Cap 11. v.6. יחדו dicitur) *paſcent unà*, ſive *ſimul*. Annal.l.2. c.5.v.13. Cúmqe clangerent & canerent כאחד *pariter*, (Lat. Vulg. Tigur Junius) *edendo vocem unam*. Ezr.c.2. v64. & Nehem. c.7.v.66. *Tota congregatio* כאחד ubi Lat. vulg. *qaſi vir unus*; Tigur. *ad unum uſqe*; Jun. *univerſe*. minùs aptè omnes hi. optimè Græc. ὁμοῦ, *ſimul*; & noſtri, **together**. Ezr. c.3.v.9. *Kadmiel & filii ejus filii Juda* כאחד *ſimul*. Jun. & Vatabl.Ibid.c.6.v.20. *Nam mundaverant ſe Sacerdotes & Levitæ* כאחד *pariter*. Jun. & Tigur. ſecùs utiqe qàm ſub Ezekiâ extiterat, qo tempore Levitæ ſemet mundando ſacerdotes anteibant. Annal.l.2.c.29 v.34. Qibus coronidis vice adjectus ſit locus, qi huc cumprimis facit, ex Eccleſ.c.11.v.6. ubi ſic legitur; *Manè ſerito ſemen tuum; & veſpere ne remittito manum tuam: neſcis enim utrum ſucceſſurum ſit, hoc an illud; an verò ambo bona futura ſint*, ſive *ſucceſſura ſint*, כאחד ubi Græc. ἐπὶ τὸ αὐτὸ. h.e. *in unum*, ſive, *in idem*, uti Hieronymus reddidit. *ſimul*, Lat.Vulg. minùs commodè utriqe. meliùs, Tigur. *juxta*; Junius, *ex æqo*; Caſtellio, *æqè*; Serranus, Fajus, Lavaterus, *puriter*. Itala, *parimente*. Gallica, *pareillement*: noſtri, **alike**. qæ omnia, (primoribus duobus exceptis, qæ nec dicti ratio facilè admittit) cum eo qod in manibus habemus, ſenſum eundem qum præferant, eximiè conveniunt. Idcircò Majo noſtro cenſente, verba ſic reddenda fuerint, *Veruntamen, ſicut homo plebejus* qivis, *moriemini*; & *pariter*, ſive, *ex æqo* (cum illis ſcil.) *caſuri eſtis*, ſive, *occidetis, principes*. idem planè vos exitus, qi omnes manet. Hoc eſt qod Seneca, *Mors it per omnes; neceſſitatem habet æqam & invictam; omnes ex æqo vocat: cui naſci contigit, mori reſtat: qiſqis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur: impares naſcimur, pares morimur: omnium qi terram premunt, ſirémſe lex eſt: nec fata ſeriem ſervant; nec citamur ex cenſu. in omnes conſtitutum eſt capitale ſupplicium: & qidem conſtitutione juſtiſſimâ: nihílqe tam magnum eſt, qod perire non poſſit*: addo, qod non periturum ſit. *Ad Lucil.* epiſt. 12.&.30. & 91. & 93. & 99. *ad Polyb. conſol.c.30. natur.qæſt.* l.2.c.59. Atqe in hunc ego loci hujus ſenſum ſententiámqe lubentiſſimè concedo.

Cap. XI.

*Jo. Lejfejldi elogium. Hujus de Hymn.*84.11. *ſenſu genuino ſententia. poſt varias aliorum interpretationes.* גור *pro* דור habitare; ætatem agere, *à* דור ætas. Limen, *pro ædibus.* Ad limina ſervus, cuſtos. שׁוֹעֵר הַסַּף & שׁוֹמֵר הַסַּף & הַסַּפִּים *aliud ab* oſtiario, ſervus atrienſis. Janitorum *in æde ſacrâ munus honeſtum, honoratum.* הִסְתּוֹפֵף *aliis*, ad limen accubare; *aliis* limen freqentare; *Lejfejldo*, poſti affixum eſſe; *ſervum in perpetuum fieri, ex lege Exod.* 21.6. avtem pertundere, *Iunio ſic ſumi Hymn.*40.7. *qia Chriſtus* ſervus, & ſervi formam indutus, *Eſaj.*42.1. *Phil.*2.7. avres foratæ, *ſortis an gentis indicium. in* obſeqii *notione* avris aperta, *Eſaj.*50.5. סַף *poſtis qoqe.* דור *aliis* גור habitare; *aliis, à* דור ætas, ætatem agere; *Lejfejldo, à* דָּרַר liberè verſari, liberum agere. *Dei ad Cajnum verba Gen.*4.7. *diſcuſſa.* peccatum ad fores excubare, *qid velit.* pro foribus, *qid. ſervitii & ſatellitii ad fores dominorum excubandi mos. an ut* peccati ſervus *Cajn eâ formulâ notatus.* ἁμαρτίαν ποιεῖν, *qid.* medicinam facere, *notione non unâ.* artem *aliqam* facere, factitare. *nihil à perjuris, impuris, iniqis, impiis, numini gratum.* Λακεδαιμονίων ὑρημία. *Victima verè opima & optima, qanam.*

Μεγα βιβλιον, μεγα κακον. ſi Callimacho Grammatico, ex Athenæi fide, credimus. *Magnus*, inqit, *liber, magnum malum.* Si *liber magnus* cenſuram hanc ſubeat, qid *caput*, libri particula, (hoc enim Gellio *caput*, qod Hebræis פֶּרֶק) prolixum cenſebitur? Proinde lectoris tædio qò conſulatur, cum caput antegreſſum præter ſpem expectationémqe creviſſe animadverterim, novo ſumpto exordio, ſubnectam ea, qæ in proximum illud conſtipare ſtatueram: Et à D. Gvil. Majo, ad reverendum virum D. Joannem Lejfejldium Sacræ Theologiæ Doctoratu inſignem tranſibo. Is in ſuburbio Londinenſi Eccleſiæ celebri plebíqe freqenti per multos annos præfuit. cúmqe concionibus habendis operam daret indefeſſam, tum varia interim ſcripturæ ſacræ loca, prout occaſio tulerat,

tulerat, enarrabat, tum & ſuas ſæpenumero de locis eis conjecturas proponebat, à vulgò receptis interpretationibus haud paulo diſcrepantes. Harum nonnullæ, ne pereant & intercidant prorſus, chartis hiſce committentur. Hymno 84. v.11. Hymni autor, qiſqis is fuerit, (neqe enim ſatis liqidò conſtare videtur) cum ſtudium ac deſiderium ſuum in Dei ædibus commorandi vellet ἐμφανίσαι inſinuare, his verbis utitur, uti textus Hebraicè exhibet; בָּחַרְתִּי הִסְתּוֹפֵף בְּבֵית אֱלֹהַי מָדוּר בְּאָהֳלֵי רֶשַׁע Hujus autem periochæ varia dantur interpretamenta. Abraham Eſdræ filius, *Elegi* לְשָׁבֵת *deſidere potiùs ad limen domus Dei mei, qàm* דור, i. גור *habitare in improborum tentoriis.* eúmqe ſecútus Pagninus, *ad limen deſidere*, vertit. Solomon Jajrus. *Malim* עַל הַסַּף וְעַל הַמְּזוּזוֹת לִשְׁקוֹד *ad limen & poſtes domus Dei mei vigilare; qàm* לָדוּר בְּשַׁלְוָה *habitatorem ſive incolam agere in proſperitate ſive tranqillitate*, i. *tranqillè habitare, in tentoriis improborum.* ut ad jugem domus Dei freqentationem reſpexerit, de qâ Salomon Rex Parœm.c.8.v.34. cujus hîc verba alluſit Jajrus. hunc Junius ſeqitur, qi *limen freqentare* reddidit. *Limen* pro *domo, æde.* Maro *Georg.l.2.*

Exilióqe domos & dulcia limina mutant.

ſic *Pacis limina*, templi nimirum; ædes ipſa. Martial. *l.1. epigr.2.*

Limina poſt Pacis, Palladiúmqe forum.

Et, *Novi limina templi. l.4. ep.53.* pro ipſo templo.

Et, *Intra limina ſanctioris aulæ. l.5. ep.6.*

Inde & *Limina Apoſtolorum.* hinc, *limina adire*, Maro *Æn. l.6.* ——*ut te ſupplex peterem, & tua limina adirem.*

Et, *limina terere.* Martial.*l.12. ep.26.*

Sexaginta teras cum limina mane Senator.

& *l.10.ep.10.*

Mane ſalutator limina mille teras.

&, *limina freqentare*, eidem *l.10. ep.58.*

——*qi nocte diéqe freqentat Limina*——

i. ædes hujus vel illius. Adjicit aliqid ampliùs David Camius; *Malo*, inqit, *limen portæ domus Dei* לִבְבֵי הַכְּנֵסִים *ſolus adire, intrare, ſive* (ut in *radicibus habet*) סְמוּת *in domo Dei hoſpitari, qàm* דור יְרֵאָה שְׁלֵמָה *habitatione integrâ habitare in*

terris

terris gentium. ut ſolitudo freqentiæ, aditio ſive hoſpitatio, habitationi perpetuæ oppoſita ſit. Huic ex parte calculum dat Jo. Piſcator, qi דור *ætatem agere* vertit; qia דור *ætas, tempus humanæ vitæ.* Græci; ἐξικνέομαι &c. qos & Latinus Vetus interpres ſecutus; *Elegi abjectus eſſe,* &c. Expreſſit latiùs Jo. Calvinus; *Qia ſolis Sacerdotibus fas erat Templum ingredi, diſertè exprimit, modò ſubſidere in atrio liceat, hac ſe ſorte contentum fore. Malle ſe dicit in ipſis Templi foribus ſubſiſtere, ac limen tenere, quàm occupare tabernacula impietatis. q. d. ſe in vulgarem & ignobilem locum malle rejici, modò cenſeatur in Dei populo, quàm primarium gradum tenere inter impios.* Nec abſcedit Mollerus; ſubjungit tantùm, *ad Coritarum officium alludi, qibus janitorum officium erat demandatum, ut aſſiduè aliqi ex his cogerentur ſedere ad limen ſev fores domus Domini.* Annal. l. 1. c. 26. v. 1. Joan. Campenſis, *ad limen accubare.* qod ſervi ſolebant, & in avlâ regiâ ſatellitium. Videatur hiſtoria Regum l. 2. c. 11. v. 9. de qo infrà ampliùs videbitur. Genevenſes noſtri vertunt, *Malim eſſe oſtiarius.* **a doze-keeper.** qanqam iſtud notionis ancipitis eſſe poteſt: Siqidem inter *oſtiarium,* ſive *janitorem,* qi è mancipiis infimis, & in vinculis ſæpenumerò eſſe ſolebat; (unde illud Naſonis *amor. l* 1. *eleg.* 6.

Janitor indignè durâ religate catenâ.

& Svetonii *de clar. Rhet.* in *Otacilio*; *Serviſſe dicitur, atqe etiam oſtiarius, veteri more, in catenâ fuiſſe.*) & *ſervum atrienſem,* multum intererat. qum & iſte tamen qoqe *ad limina ſervus* dicatur Apuleio *Mileſ. l.* 2. Et, *--ad limina cuſtos:* prout Maro *Æn. l.* 9. *fidúſqe ad limina cuſtos.* i. *ædituus.* Servius. qomodo שֹׁמֵר הַסַּף *cuſtos liminis* i. januæ. Jerem. c. 25. v. 4. & שֹׁמְרֵי הַסַּף *cuſtodes liminis.* Eſt. c. 6. v. 2. & שֹׁמְרֵי הַסִּפִּים *cuſtodes liminum.* Annal. l. 1. c. 9. v. 19. et, l. 2. c. 23. v. 4. שֹׁמְרֵי הַסִּפִּים ad verbum, *janitores liminum.* iſti verò, qod & Servius ibidem obſervat, in ingenti honore apud majores fuerant: imò *ſervi* etiam *atrienſes,* qod idem Savriæ Plavtini exemplo probat, in totâ familiâ plurimùm ferè pollebant: Proinde *Paradoxo* 5. Cicero; *In magnâ familiâ ſunt ſervi alii lavtiores, ut atrienſes; ſunt inferiore loco, ut mediaſtini.* Sed & *Janitorum* in Tabernaculo ſacro ſors & conditio,

ditio, etiamſi hominibus profanis, avt ambitioſis etiam, qod Mollerus monet, *vilis & abjecta* videri poterat; erat tamen revera *honorabilis* admodùm, & apud populum Dei talis habebatur.

Proinde aliud deſignari vult Lejſejldus noſter. Verſionem primò; mox explicationem habiturus es. Vertit itaqe; *Malim poſti eſſe affixus in domo Dei mei, qàm in tentoriis improborum liberè agere.* Nota ſatis lex eſt de ſervo lata, qi manumitti cum liceret, libertate, qâ poſſet, frui recuſabat. jubebat ea ut ſervus ille ad Domini januam deductus, avre ſubulâ perforatâ, poſti affigeretur, in ſervitii perpetui, cui ſe ipſe addixerat, indicium. Exod.c.21.v.6. ad eum ritum reſpexiſſe vult Junius (Juniíqe premens veſtigia Piſcator) vatem regem, ubi ſub Domini Chriſti perſonâ dixit, Hymn.40. v.7. *avres perfodiſti mihi*, q.d. ſervitio ac miniſterio perpetuo addixiſti me. unde Eſajæ c.42.v.1. *Ecce ſervus meus* &c. pro qo, Græci, eóſqe ſecutus Apoſtolus ad Hebr.c.10.v.5. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. i. *corpus avtem mihi coagmentaſti.* qia ſcil. tum *ſervi formam induit*, cum *carnem humanam*, & *peccatricis* etiam *ſimilitudinem aſſumpſit.* Rom.c.8.v.3.& Philip.c.2. v.7. Qin & *avres foratæ* ſive *perforatæ* ſervitutis inſigne habebatur. notum eſt Ciceronis ſcomma in Octavium qendam, qi nobilis videri voluit, cum Libyâ oriundus exiſtimaretur. qum enim is avdire ſe negaret qid ille dixiſſet. *Atqi ſolebas certè*, inqit, *bene foratas habere avres.* Macrob. *Saturn. l.7. c.3.* Plutarch. in *Apophth.* Græcè ſic extulit; Καὶ μὴν οὐκ ἀτρύπητον ἔχεις τὸ ὠς. *At verò avres foratu havd immunes geris.* qanqam hoc gentis potiùs, qàm conditionis indicium eſſe voluit. Petronius Satyric. *Pertunde avres, ut imitemur Arabas.* Eodémqe nomine in Pœni aſſeclas ludens Plavtus *Pœnul.5.2.*

Servos qidem ædepol veteres antiqóſqe habet.
A. *Qî ſcis?* M. *Viden' homines ſarcinatos conſeqi?*
Atqe, ut opinor, digitos in manibus non habent.
A. *Qi jam?* M. *Qia inædunt cum annulatis avribus.*

annulos nempe in avribus gerebant, qibus aliis ambiuntur digiti. Sed ſimpliciùs forſan *avrem perfodere*, ſive *perforare*, fuerit, dicto avdientem præſtare. qo modo ex ejuſdem per-

ſonâ ſtirpe regiâ oriundus (uti vulgò cenſetur) vates cap. 50. v. 1. *Aurem aperuit mihi Dominus : nec reſtiti, nec retroceſſi.* Verùm eo D. Lejſejldus ab Hymnographo loco ſuperiùs deſignato vult alluſum, ut הסחתי ibi ſit *poſti affixum.* i. miniſtenio ac ſervitio jugi, mediaſtini inſtar, in perpetuum addictum eſſe, citra ullam redempturæ avt vindictæ ſpem poteſtatémve. qamvis avtem in lege illa סְוּוֵה non סף legatur, & סף pro *limine* creberrimè uſurpetur, tamen *poſtem* qoqe ſignificare docet David Camius in *radicib.* ex Amoſi c. 9. v. 1. Idémqe pariter interpretatur, Ezek. c. 40. v. 6. & c. 43. v. 8. Sed & interpretes plerique. Annal. l. 2. c. 3. v. 7.

Reſtat vox דור qod illi *habitare* vertunt, at D. Lejſejldus mavult, *liberè verſari, liberum eſſe, libertate frui.* ut ſit דור à דר דָּרַר *liberum eſſe*, unde דְּרוֹר *libertas*, Eſajæ c. 61. v. 1. eâdem analogiâ, qâ à בָּרַר *declarare*, בור Eccleſ. c. 9. v. 1. & à חָלַל *fiſtulare, ſaltare*, חול Judic. c. 21. v. 21. ita ſenſus tandem emergit iſte, *mallò ſe ſub qavis conditione, etiam ſervitio perpetuo addictum, non ſervi atrienſis, ſed vel mediaſtini loco habitum, in Dei domo ætatem tranſigere, qàm apud homines impios libertate largiſſimò ac liberaliſſimè fruentem verſari.* Servitutem infimam etiam, ſibi libertate vel liberrimâ potiorem foro, modò ad Dei domum aditus pateat; libertatem ampliſſimam qoqe ſervitute qavis deteriorem minúſqe tolerabilem, qam diu ab illâ exulem atqe extorrem egerit.

Qod avtem de *ſervis* ad *limina* ſuperiùs pavlò dictum eſt, trahebat idem vir eruditiſſimus ad dictum illud Domini, qo Cajnum increpat, Geneſ. c. 4. v. 7. Vertunt plerique; *Nonne, ſi bene egeris, remiſſio*, (peccati, ſcil. futura eſt, ita Chaldæus, & ex Judæis Jajrus, ex Latinis Hieronymus) ſive, ut alii, *acceptatio futura eſt*: (oblationis tuæ ſcil. ita Theodotion. & noſtrum plerique) vel etiam, *elevatio futura eſt*; (vultus ſcil. qi jam dejectus Verſ. 6. juxta illud Job. c. 11. v. 15. ita è Judæis Eſdraides, è noſtris Mercerus) *Si verò non bene egeris, pro foribus peccatum cubat;* vel *excubat.* לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ qod qidam de peccato ipſo intelligunt. Bernard. *de diverſ. ſerm.* 19. *Peccatum in foribus eſt : niſi ipſe aperias, non intrabit.* Abraham Eſdræ filius : *Ita fixè homini conjuncta eſt malitia ejus & concupiſcentia mala; ut unà cum ipſo decumbat.* juxta illud

Jobi

Jobi c.39.v.11. in pulvere unâ cum ipso cubabis. alii plerique de pœnis ultricibus culpæ perpetratæ assectis. qod & Esdraides monet: תְּמוּאֹת עַל־ qomodo & vers.13. ideóqe participium adjectum formam masculinam obtinet; ut Junius censet. Chaldæus: *Iniqitas tua, reatus tuus, ad diem judicii reservatur.* Verùm hoc literæ ipsi adversari videtur, qæ *pro foribus* monet eam adesse, ἐπὶ θύραις, Matth.c.24. v.33. sive πρὸ θυρῶν, Jacob.c.5.v.9. i. prope, in propinqo. Itaqe Vet. interpres reddidit. *Statim in foribus peccatum aderit.* Nec abscedere tamen videtur Salomon Jajrus. *Usqe ad ostium sepulcri tui custoditur peccatum tuum.* itaqe tanqam unum idémqe R. Abraham utrunqe recensuit. qi subjungit tamen alios interpretari, *de foribus domus ejus:* alios *de foribus labiorum, ex Mich.c.7.v.5.* At R. Menachem: *Cubas peccatum ad justitiæ fores, unde judicium adversus delinqentes prodit; inde enim vim obtinet suam angelus mortis.* Hieronymus, qem ut plurimùm reliqi sequntur, *in qæst. Hebr. Qod si iniqè egeris peccatum ante vestibulum tuum sedabit, & janitore tali comitaberis, sensus est,* inqit Drusius, *proverb.sal.2.l.3. prov.* 38. *illicò pœnas lues facti dignas: aut peccatum tibi insidiabitur. juxta illud* Sirachid.c.27.v.31, *ut leo feris insidiatur; ita maleficis peccatum. Et Salomonis Parœm.c.13.v.2. Peccatores insequitur malum.* i. *pœna mali,* avt ultio *divina.* Drus.*ibid. l.1.c.7.* Flaccus, *carm.l.3. Ode 3.*

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna tardo.

Et Cato, *Negiter factum semper durat, & reum comitatur.* qo sensu & illud dicitur, *Noxa caput sequitur.* sumptum à feris egredientem hominem antè fores expectantibus ut discerpant ac dilacerent.

At Lejsejldus noster periocham totam aliter est planè interpretatus; *Nonne sive bene egeris offerendo, sive malè egeris, ad peccati fores cubas?* hoc est, *peccato te addixisti, peccati servus ac mancipium existis; ideóqe nihil potest à te acceptum esse.* Siqidem, *Sacrificium improborum abominatur Dominus.* Parœm. c.15.v.8. & qomodo *nihil à perjuris,* ita *nihil ab impuris* est acceptum numini, illud Plavti est in *Rudentis prologo:*

Atque hoc ſceleſti in animum inducunt ſuum,
Jovem ſe placare poſſe donis, hoſtiis.
Et operam & ſumptum perdunt: id eò fit, qia
Nihil ei acceptum eſt à perjuris ſupplicî.

hoc Platonis ſcitum *legum l.4.* τῷ μὲ ἀγαθῷ θύειν καὶ θεοπρεπῶς δὴ τοῖς θεοῖς καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι καὶ ξυμπάσῃ θεραπείᾳ, κάλλιστον καὶ ἄριστον, καὶ διαφερόντως ἁρπτον· τῷ δὲ κακῷ τἐναντία. ἀκάθαρτος γὰρ ψυχὴν, ὄγε κακός. ἄδωρα δὲ μιαροῦ δῶρα, ὑτ' ἄνδρ' ἀγαθὸν, ὔτι θεὸν δεῖ ποτε τόγε ὀρθὸν δέχεσθ. μάτην ὧν σπεύδει θεὸς ὁ πολὺς δεῦρ' πόν & τοῖς ἀνοσίοις. τοῖς δ ὁσίοις ἐυκαιρότατ & ἄπασι. qæ tanqam ex Æliano lavdat Svidas, in Μιαρός. Certè è Platone Cicero *de legib.1. Donis impii ne placare avdeant Deos, Platonem avdiant, qi vetat dubitare, qâ ſit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit.* Reſpexit eôdem & Dio Pruſ. *orat.3.* ubi de rege pio; ὅπωτε δῶρον δέξει θεὸς τ κακῶν ἀνδρῶν· ὅτι τοὺ θεοὺς ἀναθήμασιν, ὑδὲ θυσίαις οἷς χαίρειν τ ἀδίκων ἀνδρῶν. *Perjuris & impuris*, de qibus illi deſertè, *iniqos* iſte addidit. Nec ſubticere ſuſtineo, incerti, ſed nominatu digniſſimi, poetæ, ethnici licet, verſiculos illos à Porphyrio *de animal.abſtin.l.2. Clemente Strom. l.7.* & *Cyrillo adv. Julian.* lavdatos;

Τίς ἆδε μωρὸς καὶ λίαν ἀνημέρος
Ἔυπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεὸς
Ὀστῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρωμένης,
Ἃ κυσὶν πιτνᾶσιν ὐχὶ βρώσιμα,
Χαίρειν ἀπαρχῇ, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε,
Τύπων τι τοῖσι δῶσιν ἐυλίνων χθεὶς,
Κἂν πιράσαι, κἂν λησαὶ, κἂν πέσγνοι, [δὲ]
Τύχωσιν [ὄντες;]

Qis gente in hominum tam ſupinè credulus,
Avt ſtultus adeò eſt, qi deos exiſtimet,
Sev bilis uſtæ, ſive crudorum oſſium,
Projecta qæ vix tangat eſuriens canis,
Gavdere donis, idqe honori ducere,
Facientibúſqe gratiam reponere,
Licet tyranni immanes, piratæ licet,
Licet latrones rapto viventes ſient?

qæ poſtrema etſi Clemens ſolus exhibeat, avtoris tamen ejuſdem

ejuſdem eſſe cum reliqis, nullus ambigo. Sed de viâ in ſemitam.

Ad dominorum fores, regum ac magnatum cumprimis, ſervos ac miniſtros præſtolari atqe excubare ſolitos, hiſtoria cum ſacra, tum prophana clarè docet. Hiſtor. Reg. l. 2. c. 11. v. 9. *Cubavit Urias ad fores domus regiæ cum ſervis reliqis domini ſui.* Maro, *Æn. l.* 4.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant.——

cum ergò *ad peccati fores cubans* Cajn dicitur, ex conſeqenti *peccati ſervus* intelligitur, qalis in Scripturâ pronunciatur, *peccato qiſqis operam dat.* Sic enim ſervator noſter, Joan. c. 8. v. 34. (ut Apoſtolos interim taceam, Pavlum ad Rom. c. 6. v. 16. Petrum ep. 2. c. 2. v. 19. idem planè, licet aliis verbis, adfirmantes) Πᾶς ὁ ποιῶν τ ἁμαρτίαν, δῆλός ὅτι τ ἁμαρτίας. Et notanda phraſis, τ ἁμαρτίαν ποιῶν. qo meliùs intelligatur, qod Joannes dixit epiſt. 1. c. 3. v. 9. Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τ Θεοῦ, ἁμαρτίαν ὐ ποιεῖ. *qiſqis à Deo genitus eſt, peccatum non facit,* ſive *peccato non dat operam.* ποιεῖν ἁμαρτίαν dixit, qomodo ποιεῖν ἰατρικὴν, *medicinam facere,* dicitur; non eo ſenſu, qo Cicero *famil. l.* 1. *ep.* 7. *Ita ſum levatus, ut Deus mihi aliqis medicinam feciſſe videatur.* pro eo qod eſt, remedium adhibere, mederi; ſed pro eo qod eſt, *artem medicam exercere*; (qo modo, *argentariam facere,* dixit Ulpian. *ad edict. l.* 4. & habetur *Digeſt. lib.* 2. *tit.* 13. *de edendo. Is etiam qi deſiit argentariam facere, ad editionem compellitur ubi argentariam exercuit.* et, *hiſtrionicam facere,* in *Heliogabalo* Lampridius) ſive *medicinæ ſtudio,* avt *rei medicæ operam dare.* qo modo Lampridius idem de Alexandro Heliogabali conſobrino, *Fecit & geometriam.* Nec ſecùs, *artem ludicram facere,* Plavt. Avlul. 4. 3.

Continò cor meum cepit artem facere ludicram.

Et, *Artem pudere proloqi qam factitas.*

apud Ciceronem *de Clar. orat.* hac avtem ratione *qiſqis peccatum facit, mancipium eſt peccati.* talem avtem fuiſſe Cajnum, qod ambigamus, nihil eſt. Nec mirum itaqe ſi à peccati mancipio profectus cultus, Deo peccati oſori, ingratus extiterit. Hæc Lejſejldi fuerat ſententia de loci iſtius ſenſu: cui

ſuffragatur participii forma maſcula; (quod illi tamen quomodo eludant, dictum retrò) adverſari videtur interpunctionum (ſi qua illis fides certa) ratio. adverſatur planè, quod primis illis temporibus, nec ſervi, nedum ſervorum uſus ejuſmodi, qi alludatur, ullus, extiterint.

Cæterùm de interpretatione diſpiciant alii. dogma quod attinet, colligunt idem freqentes ex hiſtoriæ ejuſdem commatio 4. & 5. ubi *Deus ad Abelem & ad munus ejus reſpexiſſe* perhibetur; *ad Cajnum verò munúſque hujus reſpexiſſe negatur.* Unde Baſilius Seleucienſ. *orat.* 4. Ὁρᾷν τ προσφερομ, τὸ προσφερόμενον λέγει). προσῶπον τ γνώμ, κ τὸν τ δόσιν προσίει). *Offerentem ſpectans oblationem acceptam habet: mentem primò; tum munus admittit.* Jo. Chryſoſt. *in Geneſ. orat.* 18. Τὰ πρόβατα λέγει ὀνομάσασα ἡ δίκη χειρὸς, κ τὰ ἀπὸ τ γῆς δυσίας προσηγάγετο, παιδεύουσ ἡμᾶς, ὅτι ὅταν ἡ τ ἀλόγων προσκομιδὴ, ὅταν ἡ τ ἀπὸ τ γῆς καρπῶν προσαγωγὴ ζητῆται παρ' τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ἡ τ γνώμης διάθεσις μόνη. ὅθεν κ νῦν ὁ τῷ ἀπ' αὐτῆς ἀπάδων γένηται μὴ τ δώρου, ὁ τ πολλ διὰ παύτων ἀποβλήθη μ τ θυσίας. Viſe ſis & Iſidorum Peluſ. *l.* 1. *ep.* 230. Gregorius Roman. *comment. in Job. l.* 31. *c.* 12. *Ex dantis corde, id quod datur, accipitur. idcirco non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera oblata placuerunt. priùs enim ad eum legitur Dominus reſpexiſſe qi dabat, quàm ad illa qæ dabat.* Optimè Porphyrius *de abſtin. l.* 2. Μᾶλλον τὸ διαμόνιον πρὸς τὸ τ θυόντων ἦθος, ἢ πρὸς τὸ τ θυομένων πάθος βλέπει. Et Ariſtoteles, an Anaximenes (quod Victorio magis viſum *var. lect. l.* 14. *c.* 11.) *de rhetor. ad Alex. c.* 3. ὐκ εἰκὸς παρ' θεὸς χαίρειν τ δαπάναις τ θυομένων, ἀλλὰ τ εὐσεβείαις τ θυόντων. Καὶ γὰρ ἂν ἡδὺν εἶν, εἰ πρὸς τὰ ἱερὰ κ τὰς θυσίας ἀποβλέποιεν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τ ψυχὴν ἑκάστ τις ὅσ ἐ κ δίκαι ἐ ὢν τυγχάνη. Plato Alcibiad. 2. Nec malè Julianus ipſe *de Cyniſm.* 2. Πάντα τὰ κ μεγάλα κ σμικρὰ, μ τ οὐσίας τῷ θεῷ προσαγόμενα, τ ἴσ κ οὐ δύναμιν. ὑφειμένα γ τ οὐσίας, ὐκ ἐκτέμβη, ἀλλ' ἡ τ Ὀλυμπάδ χιλιόμβη, ἀνάλωμα μόνον ὄν, ἄλλο γ οὐδέν. In eandem planè ſententiam Rex ſapientiſſimus, Parœm. c. 15. v. 8. *Sacrificium improborum abominationi eſt Jovæ: oratio verò rectorum accepta eſt illi.* Ubi orationem, qia cum ſacrificio confertur, in *ſacrificiorum* cenſu collocari obſervant. eſtque revera *ſacrificium* ſpirituale Deo ipſo atteſtante,

Hymno

Hymno 50. v.14,15,23. Prophetâ item, Hoſh.c.14.v.3. & Apoſtolo, ad Hebr.c.13.v.15. Itaque Tertullianus *apolog.c.30. Offero ei opimam & majorem hoſtiam, quàm ipſe mandavit, orationem de carne pudicâ, de animâ innocenti, de ſpiritu ſancto profectam.* Verum malim iſtic, qod & V.C. Fr. Junius vidit, *ſacrificii*, nomine quantumvis ſolennem & ſumptuoſam cultus divini oſtentationem ab improbis adhibitam deſignari, cui juſtorum oratio mera ſimpléxqe opponatur, numiníqe ſupremo acceptior multo prædicatur, qum præ iſtâ illa vileſcat planè; imò gratiſſimum naribus divinis odorem iſta ſpiret, cum illa mephitem fœtidiſſimam & ingratiſſimam exhalet. Hinc apud Platonem *Alcibiad.2.* Jovis Ammonis vates, conqerentibus Athenienſium legatis, qòd Lacedæmoniis magis qàm ſuis Deus faveret, qum tamen ipſi eum qotannis ſacrificiis lautiſſimis, donariis pretioſiſſimis, pompis avguſtiſſimis, ſumptus deniqe nullo non genere colerent, illi contrà in Dei cultu parciſſimè ac ſordidiſſimè ſe gererent, reſpondit, Βέλτιον ἐστὶ τῷ Θεῷ τὴν Λακεδαιμονίων εὐσημίαν (qod Plato εὐχὴν interpretatur) ἢ μᾶλλον, ἢ σύμπαντα τὰ Ἑλλήνων ἱερά. *Malle Deum Lacedæmoniorum preces, qàm Græcorum omnium ſacra univerſa.* Qod apud Svidam Avtor innominatus. Εὐσημίας χάριν φησὶ τὴν Λακεδαιμονα τὸ θεῖον, ὅταν τὰ Ἀθηναίων βωμοὺς σύμπαντας καὶ νεὼς καὶ ἀγάλματα καὶ ἐκατόμβας καὶ τὰ λοιπὸν φλέγματος, τὰ ῥαδιούντων τε καὶ δυσνάζειν γλιχομένων. Certè, qod Dio Pruſ. *orat.44.* Ἓν ῥῆμα πλεῖον ἄξιον ἀπ' εὐνοίας ῥηθὲν καὶ φιλίας, ἢ τὸ ξύμπαν ἐν ἀνθρώποις χρυσίον, καὶ στέφανοι, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα λοιπὰ λαμπρά. Et præclarè Seneca *de benefic. l.1.c.5. Nec in victimis, licet opimæ ſint avróqe præfulgeant, Deorum eſt honos; ſed piâ & rectâ voluntate venerantium. itaqe boni etiam farre ac fictili religioſi ſunt. mali rurſus non effugiunt impietatem, qamvis aram ſanguine multo cruentarint.* Sed manum de tabulâ.

Poſt iſta ſcripto commiſſa, cum prodiiſſent Viri Cl. Lud. Dievſii. *in Vet. Teſt. Libros Animadv. poſthume*, in eis deprehendi hunc in eandem ferè cum Lejſejldo noſtro ſententiam concedere, qoad periochæ Moſaicæ, de qâ agimus, partem ſaltem anteriorem; licet de alterâ in diverſum abeat. Etenim verba is ſic reddenda poſtulat; *Ammon, ſive benè offe-*

ras,

ras, ſive non benè, ad oſtium peccatum cubat? Eadem ſic Septuaginta, *Tu peccatum perpetuò circumfers, illúdque in procinctu habes, cubans qippe ante fores. itaque nihil refert, benéne an malè ſecundum ritus legales offeras: vel optima tua oblatio à peccato vitiatur.* הֵיטִיב שְׂאֵת *eſt*, inquit, *benè offerre*; *quomodo* הֵיטִיב לָכֶת *eſt benè incedere*, *Prov.c.30.v.29.* הֵיטִיב נָגֵן, *benè pulſare*, *Ezek.33.33.&c.* Et eſt reverâ formula freqens admodum. qæ & probè expenſa Jonæ dictionem Cap.4.v.9. aliqâ ſaltem ex parte leniat: qum reddi poſſit, tum Dei interrogatio, *Num valdè ſuccenſes?* tum & Vatis reſponſio, *Ego valdè ſuccenſeo.* qo modo poſt Chaldæum Paraphraſten, Eſdraides & Camius exponunt, adducto Devt. c.9.v.21. & Reg.l.4.c.11.v.18. ubi הֵיטֵב pro *valdè* uſurpatur. Ut non ſit neceſſe vertere, vel cum Vulgato, *Putáſne benè iraſceris?* Et, *Benè iraſcor ego.* Vel cum Junio, *An factum benè*, qòd *accenſa eſt tibi* ira? Et, *Factum benè*, qod *accenſa eſt mihi* ira. De formulâ igitur conſtat ſatis; ſed an hîc locum habeat, ambigitur. ſenſus itidem utrobiqe ſanus; verùm an genuinus iſtic, qæritur. Hoc verò aliis diſcutiendum & ſtatuendum relicto, ipſe ad ulteriora tranſibo.

Cap. XII.

Hymni 58. *analyſis, à recepta diſſidens, Lejſejldica. admirationi conveniens interrogatio. nomen* אֱלֹהִים judicibus *attributum, non &* יְהוָה. *De Deo* אֱלֹהִים *formâ plurali, & cum pluralibus, uſurpatur. In ſingulari vertendum, Exod.32. ubi de vitulo ſermo habetur: in plurali Dan.3.25. qi locus ad Chriſtum fruſtra detorqetur.* Regum, *avt* deorum filii, *ethnicis vulgò dicti, corporis ſpecie, animíve dotibus eminentioribus inſigniti. De cœlitibus cum ſexu muliebri conſvetudinem habentibus, ex Enocho ſuppoſititio fabula. Hymn.29.1.& 89.7. interpretationes variæ.* ἀντίθεοι, πατρίκιοι, διοσσεῖς. Similis filio hominis, *Dan.7.13. qid. item Apoc.1.13.& 14.14.* filius hominis, *pro homine*; filii hominis, *&* hominum, *pro hominibus. De Chriſto dictum Apoſtoli Phil.2.7. qî ſumendum.* Solis progenies,

apud

apud Heliodorum. οἱ ἐξ ἴω, *apud Prodromum, qi. Jobum ab eo deſignatum: ex Græcâ verſione,* ἰυγμὸς ϑ ἀϑ' ἡλίυ ἀναπλῶν. *in qo lapſi Svartius, Rabittus, Portus, Niceta interpres. de Jobo dictum myſticè priſcis ſumptum. Didymus in Nicetæ* catenâ, *ex Nyſſeno emendatus. Jobi pavpertas in proverbium abiit. Arabes* filii orientis *unde dicti. Svartii in Prodromo lapſus non unus.* ἀρετῆς δόξα, *Prodromo quid ſit: quid* λόγϑ. *dites ſapere ſolos, vulgi ſenſus.*

NOndum Lejfejldum ϑ μακαρίτλω dimittimus, Hymnum is qinqageſimum octavum aliter longè, qàm interpretes ad unum omnes, credo, interpretabatur. Primoribus commatiis duobus Savlis conſiliarios compellari exiſtimant, & injuſtitiæ atqe violentiæ inſimulari. in ſeqentibus itidem eoſdem exagitari & diris devoveri cenſent. adjecto tandem ad finem Hymni epiphonemate, qo ſignificetur, qantum providentiæ divinæ lavdis glorixqe acceſſurum ſit, ubi vindictam de eiſdem ſumpſerit numen. Atqi multis planè paraſangis ab his recedebat D. Lejfejldi interpretatio. Statuebat hunc hymnum eo fine à Vate ſacro conceptum & conſcriptum, qò Judices ac magiſtratus Dei vicem gerentes, officii ſui commonefaceret. Id qo ἐμφατικώτερον & efficaciùs fiat, ordiri à poteſtate illâ prædicandâ & evehendâ, qam divinitùs ei ſortiti ſunt. Hanc tanqam admirabundum commemorare; & qia *admirationi convenit interrogatio,* uti Fabius *l. 9. c. 2.* ἐρωτηματικῶς πὼ ἐν τῷ χράτει ſic affari: *Itane, ô vos Judicum cœtus ac conſeſſus & filii Adæ, perinde ac reliqi omnes, cum ſitis, eam tamen à numine ſummo tributam poteſtatem obtinere, ut qid juſtum & æqum ſit pronuncietis, qid ſit rectum ex ſenſu ſcitóqe veſtro cenſeatur? ut qæ injuſtè ac iniqè in terris iſtic geruntur, vos animo veſtro pertractetis, & per violentiam perpetrata manibus veſtris qodammodò appendatis, qò ſceleri cuiqe merces digna debitáqe accuratè rependatur?* Iſta cum ſe ſic habeant, támqe ſublimis vobis à Deo ſit conceſſa poteſtas, accipite loco ſecundo, qinam ſint illi, adverſus qos poteſtate iſtâ cœlitùs demandatâ ſit utendum. *improbi ſunt havd pavci, ab ipſo ortu errore pravo, neqitiis ac mendaciis innutriti: indolem ſi valeficam ſpectatis, ſerpentibus* ἰοβόλοις *conſimiles;* ſi

mutari neſciam, aſpidi ſurdæ, qæ cærmine nullo incantatur. horum dentes molares, ô vos, Dii qi eſtis, confringatis: hos exitio atqe exterminio feſtino è medio ſublatum ratis. ita fiet, ubi operâ veſtrâ vindictam de iſtiuſmodi ſumptam viderint mortales, ut dicant; Utiqe juſtitiæ fructus eſt; ſunt utiqe judices Dii in terrâ. hoc eſt, agnoſcent vos revera Deorum appellatione, qam vobis ſupremus ille tribuit Hymn.82.v.6. dignos eſſe, cum ad illius inſtar vos gefferitis. Certè, bellè ſatis procedere analyſis iſta videtur. Cæterùm turbat, qod verſu 7. *ad Iovam* diſertè in numero ſingulari oratio dirigitur, nam qod favere cumprimis videri qeat, qod plurali אֱלֹהִים שׁפְטִים dicatur, ex adverſo poteſt regeri; qod Joſh.c.24. v.19. אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא pariter de Deo ſolo dicatur. ut ſicut iſtic omnino debet, ita & illic pariter poſſit, non obſtante adjecto plurali, Deus unus optimus maximus intelligi. Eôdem facit & Simeonis Mujſſii illud, qod obſervatu non indignum cenſemus, qi in *Variis ſacris cap.23.* apud Moſen l.2.c.32.v.4. verba illa de Vitulo avreo enunciata אֵלֶּה אֱלֹהֶיךָ non plurali, ſed ſingulari numero reddenda contendit, *Iſte eſt Deus tuus, qi eduxit te è terra Ægypti.* & verſ.1. *Fac nobis Deum*, h.e. ut Eſdræ filius, *corpoream aliqam imaginem & figuram, in qâ Deus reſideret.* cujus nempe beneficio (cum Moſes qi tam diu abfuerat, jam defunctus crederetur) deinceps ducerentur regerentúrqe. accedit huc, qod Abulenſis, Cajetanus, & alii (Bellarmino ipſo nec diffitente, nec refragante, *de Imag. l.2.c.13.*) *Judæos* avtumant *vitulum illum pro Dei veri imagine habuiſſe.* Advocat etiam Mujſſius Eſdræ verba, qi Nehem.c.9.v.18. ita planè habet, זֶה אֱלֹהֶיךָ *Iſte eſt Deus tuus, qi te eduxit*, &c. nec obſtat, qod apud Moſen verbum הֶעֱלוּ numero plurali legitur. qum numerus idem qandoqe adhibeatur, ubi de Deo vero uno ſermo habetur, tum adjecti nominis, qod ſuprà vidimus, tum & verbi conjuncti. Geneſ. c.20. v.13. & c.35. v.7. & Reg.l.1. c.7.v.23. Ita ille אֱלֹהִים apud Moſen ſingulari reddi poſtulat, ubi plurali plerique numero vertunt. nec Lejſejldum avdiendum avtumo, qi apud Pſalten ſecus ſumendum contendit.

Verùm admittendum planè videtur, qod poſt Jo. Piſcatorem Majus noſter אֱלֹהִים pluraliter reddi poſtulat, in Danie-

lis

lis commentariis c.3.v.25. Notius eſt, qàm ut multis probatu ſit opus, priſcos Patres dum triados Chriſtiqe hominem induti myſterium ex prophetarum vaticiniis firmare contendunt, nihil non arripere, minùs etiam ad rem apta aliqoties, qæ vel tenui ſaltem ſpecie eò ſpectare videantur. Atqe huc regis prophani dictum illud trahunt, vel torqent potiùs, cum de tribus illis Dei ſervis in caminum conjectis ita ſuos affatur: *Annon tres nos in ignem medium vinctos conjecimus? ecce avtem qatuor ſolutos citra laſionem in igne medio ſpatiantes intuor; forma verò qarti ſimilis eſt* רְבִיעָאָה דִי אֱלָהִין qod vulgò vertunt, *Filio Dei.* Tertullian. *ad Marcion. l.4.c.10. Hic erat viſus Babylonio regi, tanqam filius hominis; & revelatus directè filius hominis Danieli.* Et ibid. c.21. *tanqam filius hominis: nondum enim verè erat; nondum ſcil. natus ex homine.* Hieron. *in Dan.* c.3. *Speciem qarti qem ſimilem dicit Filio Dei, vel angelum debemus accipere, ut LXX tranſtulerunt, vel certè, ut pleriqe arbitrantur, dominum ſalvatorem.* Verùm qod ſubjungit Hieronymus, *Sed neſcio qomodo rex impius Dei filium videre mereatur*; & concludit itaqe *angelum iſtum ſive filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in typo præfiguraſſe*: potiore multo jure Piſcator objecerit, & urgebat qidem Majus noſter; qi fieri potuit, ut regi prophano & myſteriorum horum prorſus ignaro, de *Dei Filio* qicqam in mentem veniret? *De Dei filio*, inqit, Scholiaſtes eruditus, *nihil ſcivit Nebuchadnezar.* proinde verti vult, *ſimilis eſt filio Deorum.* ut ethnicus enim loqitur. atqe ita, Hieronymo avtore, verterat Symmachus. *Species avtem qarti ſimilitudo filiorum* (non *Dei*, ſed) *Deorum.* Sed & Scholion ad LXX qæ dicitur verſionem, monet alios interpretes, Aqilam ſcil. & Theodotionem vertiſſe, υἱῶν θεῶν, *filii Deorum.* nec ſecus forſan Symmachus. qo modo & idem, Theodoreto teſtante, illud Hymni 89.v.7. בְּנֵי אֵלִים vertit *filios Deorum, qis in cœlo* (h.e. inter angelos cœleſtes) *eqabitur Iovæ? avt qis ſimilis erit Iovæ in filiis Deorum?* Pagnin. i.e. inter homines etiam illos, qi ratione dignitatis & præcellentiæ Deorum filii cenſentur. Nam qod ſubjicit Hieronymus, *verſiculum hanc ſi ſeqimur, angelos eſſe ſentiendos, qi & Dei, & Dei vel Deorum filii ſæpiſſimè nuncupantur*: nihil eſt neceſſe.

Etenim Ethnicis ſolenne fuit, homines dotibus eximiis, & corporis ſpecie cumprimis inſigniore ac præſtantiore, præditos, *Deorum filios* indigetare, tanqam Deorum aliqo, nec humanâ, ſed divinâ ſtirpe, ſatos editóſqe. qo modo & *regum filios* appellant Zebachus & Tſalmunas viros ſpecie corporeâ, qæ majeſtatem qandam præ ſe ferebat, præditos. Judic. c.8.v.18. Ut miſſum faciam Enochi illius ὑποβολιμαῖν, cujus ἀποσπασμάτον bene magnum V.Cl. Joſ. Scaliger exhibuit in ſuis *ad Euſebium annotationibus*, de angelis qibuſdam apoſtatis, qi cum mulieribus conſvetudinem habentes gigantum progeniem proſeminarint, delirium. qod ex antiqis tamen havd pavcis placuiſſe video; qi eò etiam trahunt, qod Moſes refert. l.1.c.6.v.1. *Filios Dei hominum filiabus ſe junxiſſe*, &c. Ut hoc, inqam, mittam, opinabantur Ethnici cœlites formam corpoream indutos cum mulierculis ſæpenumerò congreſſos eſſe, unde ſati natíqe ſint heroes qidam corporis ſpecie viribúſqe ſupra ſortem humanam inſignitos, qales Hercules, Achilles, Pollux & Caſtor, aliíqe innumerabiles. Hinc Herculi apud Theocritum ille *idyll.*25.

——ἔσά γα φημὶ κακὸν ἔξ
Ἐμμόρια, ὀλλὶ κακοῖσιν ἐοικότα φύμορα ἄντὸν,
Οἷόν τοι μάγα εἶδος ὑπαρκέντ' ἢ ῥά νυ παῖδας
Ἀθανάτων τοιοῖδε μὴ θνατοῖσιν ἔασιν.
——*havd credo malis te*
Prognatum; ſimilémve malis exiſtere, cui tam
Præſtans forma decúſqe. carentum morte deorum
Hac ſpecie ſoboles mortales inter oberrat.

Ex Fabio Pictore Dionyſius Halicarn. de Romulo & Remo, ſtirpe utraqe conjunctâ ſimul, *Antiq.Rom.l.*1. Οἱ δ' ἀνδρωθέντες γένος τε κατέτι ἀξίωσιν μορφῆς τε καὶ φρονήματος ὄγκον, ὅτις ἂν τις ἀξιώσειε τοῦ ἐν βασιλεῦσι τε φύντας γένους, καὶ ἀπὸ δαιμόνων ἀποῤῥᾶς ἡγοῦντο. *Hi, cum ad ætatem virilem perveniſſent, eâ erant & formæ dignitate, & animi celſitudine, ut ſtirpe regiâ ortos, & ſemine divino prognatos, meritò qis exiſtimaret.* Obſervat & Ariſtoteles *ethic. Nicomach.l.7.c.*1. & *Evdem.l.6.c.*1. Homerum Priamum inducere de Hectore dicentem, *Iliad.*α. ὅτι σφόδρα λῷ ἀγαθὸς, ὀλλὶ ἐῴκει

Ἀθανάτῳ γε θνητὸς παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖν.

qod

qod Platoni qoqe Plutarchus accommodat *ſympoſ. problem. l.8.c.1.* qo loco de geniturâ iſtiuſmodi ex Ægyptiorum mente diſſerit. Libanius ſophiſta in vitâ ſuâ. Τὸν Ἄλκιμον τοῦτον θεοῦ πνϑ ἔχοντα παῖδα ἠγοῦμαι γεγενῆσϑαι. μὴ γὸ ἂν ἐξ ἀνδρὸς φῦναι τοιοῦτον. Poſſit forſan horſum ſpectare, tam illud בְּנֵי אֵלִים Hymn.29.v.1. qàm & qod ex Hymn.89.v.7 ſuprà adductum eſt, ubi Vetus Interpres Latinus, Græcos ſecutus, *filios Dei*, vertit, υἱὸς θεοῦ. et Chaldæus *angelos* interpretatur. Hieron. priore loco, *filios arietum*, poſteriore, ut ſuperiùs dicitur, *filios Dei.* at Genevenſes noſtri, illo *filios potentum*; iſto *filios Deorum.* De illo Hieronymo, de iſto noſtris illis conſentit Pagninus. *filios fortium*, ſive *potentium*, utrobiqe Junius. Verùm de iſtis qicqid fuerit, de Rege Chaldæo clarè ſatis liqere videtur, de qarto illo, qem in fornace flagrante conſpexerat, formulâ uſum profanâ & à pietate noſtrâ alienâ, ſimilem dixiſſe ſpecie *filio Deorum* alicui. Vidit hoc V. Cl. Fr. Junius, qi ad illa, *formâ ſimilis filio Dei*; adnotavit i. *veneuſtiſſimâ & qaſi divinâ: ut Homerus ἀντιθέοις, ϑεοειδέλοις, & ϑεοεικέλοις nominat.* itaqe ex regis profani mente, *Deorum*, non *Dei*, vertendum fuerat: ſed & lingvâ noſtrâ, ſi ritè reddere velimus, dicendum erit, non, **like the ſon of God**, ſed, **like a ſon of the Gods.**

Qin & pari modo vertendum fuerit, (nec Majo noſtro minùs id animadverſum) qod ejuſdem commentarii c.7.v.13. dicitur, *Ecce cum nubibus veniebat ſimilis filio hominis*, i. humanâ formâ præditus qidam, **like a ſon of man**; non, qomodo vulgò redditur, **like the ſon of man**: qaſi Chriſtus homo pariter ac Deus deſignetur, uti Junius explicando adnotavit, qòd is *filius hominis* in novo inſtrumento freqentiſſimè nuncupetur. qî enim potuit forma Dei filii in carne noſtrâ repræſentandi Danieli ob oculos tunc verſari, ut qem cœlitùs deſcendentem viderat, huic ſimilem viſum prædicaret, qem qali ſpecie futurus eſſet, prævidiſſe ipſum non eſt probabile? Etiamſi enim *Filius Dei* revera is fuiſſe videatur, qem vates *Deo* patri *Antiqo dierum* per viſum illud appropinqaſſe conſpexerat, non tamen idcircò *Filio hominis*, Chriſto ſcil. ſimilem dixeris. hoc enim eſſet, ac ſi ſibi ipſe ſimilis diceretur; ſed *filio hominis. i. homini*; qomodo Ezekiel *filius homi-*

nis passim dicitur; & *filii hominum*, pro *hominibus*, qo nihil frequentius. Sic & Apostolus, ὡ ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Philip.c.2.v.7. nisi qòd ἀσυνθέτως ista, illud διασυνθετικῶς dictum sit. Pari modo sumendum & Joannis Evangelistæ illud Apoc.c.1.v.13. ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου. qod & V.Cl. Theod. Beza vidit, qm vertit, *Vidi* (qendam) *similem filio hominis*. Et in *annotatis*, *filio hominis. i. homini, sive qi hominem referebat; ex Hebræorum idiotismo. qamvis enim hic Christus erat, tamen in genere hoc accipiendum esse de hominis figurâ, vel ex eo apparet, qod non additur articulus. item ex Danielis c.10. v. 5. ubi simile prorsus visum describitur.* Hæc ille. cui & adjici potest locus geminus, eundem spectans, ejusdem libri c.14.v.14. ὅτι νεφέλαι καθήμενον, ὅμοιος υἱῷ ἀνθρώπου, *nubi insidens* qidam, *filio hominis* (i.e. *homini*) *similis*.

Sed ut ad priorem illam formulam revertamur: qemadmodum *Deorum filios* viros præ reliqis eximios nuncupabant: ita *Solis progeniem*, ἀφ' ἡλίου γένος, pro stirpe nobilissimâ dixisse Heliodorum in Æthiopicis extremis, monet Evstath. Svartius *analect. l.1. c.11.* qod *huic inter omnes Deos suos posteriores Philosophi, qi Sophistarum nomine celebriores sunt, peculiarem qendam honorem tribuebant.* Unde & avtor idem tractum existimat, ut *verè nobiles, omniúmqe opinione generosi òi ἐξ ἕω* nuncuparentur. Trahit huc Theodori Prodromi illud ex *carmine de providentiâ*, ubi de bonorum infœlicitate conqeritur;

Ἄλλος μὲν σεμνὸς, ἐυχμὴς, ἀπ' ἐξ ἕω,
Καλὸς μὲν εἶδος, κἀλλίων ἢ Φέβου &c.
Ἀνὴρ δ' ὀρθεὶσιν, ἄθλιος, πένης.

i. vertente Svartio,

Gravis sed alter, sole ab oriente, inclytus,
Formáqe, moribúsqe commendabilis;
Pavper, misérqe, viduus incedit foco.

Eíqe finitimum, tauqam παρεισπίπτειν, ac mentis ejusdem, ex Svidâ profert Jo. Ribittus ad Prodromum à se Latio donatum. Et Svidas reverâ de Jobo verba faciens; Μόνος δὲ (inqit) ἦν ἐυχμὴς ἀπ' ἡλίου ἀνατολῶν. qod Portus vertit; *Solus enim hic est ille nobilis, qi à Solis ortu* [*ad occasum usqe*] *hic*

hic inclytus ille &c. qaſi Svidas, ſive qiſqis ille fuerit, ex qo Svidas hæc ſumpſerat, verbis illis hoc vellet, Jobi famam & nomen à Sole oriente ad occidentem uſqe pertigiſſe. Verùm falſus eſt Portus. neqe enim Jobi famam, ſed ſedem deſignant verba illa ex hiſtoriæ Jobi c.1.v.3. verſione Græcâ mutuata. Καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ἐνδοξότερος τῶν ἀπ' ἡλίου ἀνατολῶν. nec aliò, qàm ad Jobi hiſtoriam reſpexiſſe puto Prodromum, cum τῶν ἔξω ἄνω diceret. probum ſed pavperem virum delineat. Jobi avtem pavpertas jam oljm in proverbium abiit. In Hebræo textu legitur, מִכֹּל בְּנֵי קֶדֶם *fuit is maximus ex Orientis filiis.* i. ex eis, qi plagam Orientalem incolebant. qo nomine *Arabes* peculiariter in ſacris literis nuncupari monet vir doctiſſimus Medius noſter in Apoc.c.9.v.3. ex Judic.c.7.v.12.qia Arabia erat Orientem verſus ſita reſpectu Ægypti, ubi Iſraelitæ ſic loqi didicerant. Certè incolatus Ægyptiaci tempore & geſta & conſcripta Jobi illa, opinantur pleriqe. Verùm juvat illos, qod & in fravdem, puto, induxit, veterum qorundam explicatio, qi verba illa, qæde Jobi ſede patriâ ſunt dicta, allegoricè interpretati ſunt. Sic enim Didymus, in Nicetæ *catenâ*: Πρὸς μὲν τὸ ῥητὸν, ἐνδοξότερος τῶν ἀπ' ἡλίου ἀνατολῶν, διὰ τὴν κατὰ σάρκα τοῦ Ἀβραὰμ οἰκειότητα· ἀγαθοὶ δὲ ἀναγωγὴν, οἱ υἱοὶ τῶν φώτων, καὶ τέκνα θεοῦ δι' ἔργων φωτεινῶν χρηματίζοντες, ἔστι τέκνα τοῦ ἀπ' ἡλίου ἀνατολῶν. ὁ γὰρ δίκαιος ἐνηνέγκατο κλῆσιν, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν φώτων τῶν ἡλίου τῆς δικαιοσύνης καλαλαμπομένων. *Literam qod attinet, genere clarus dicitur inter orientales, ob cognationem qa cum Abrahâ illi ſecundum carnem interceſſit. at juxta anagogen, qi filii lucis, & Dei ſoboles ob opera lucida nuncupantur, iſti ſunt orientales illi: juſtus enim generis claritatem obtinet, non ab hominibus, ſed à lumine Solis juſtitiæ effulgentem.* Qæ interpres havd ſatis commodè expreſſit, qum vertit, *Lucis, & Dei filii à lucidis operibus vocati illi ſunt, qi Orientem incolunt.* neqe enim hoc avtor voluit. Sed fefellit illum, opinor, mendum leviculum in Græco deliteſcens, qod vix forſan quiſqam ſuſpicetur. legendum enim, vel οἱ υἱοὶ τῶν φ· cui reſpondeat τὰ ἔτνα. vel pro χρηματίζοντες χρηματίζοντες. & hoc malim ob id qod mox dabitur. alioqi dictio hiulca futura eſt. In eandem mentem Gregorius Nyſſenus *de Virginit.c.20.* τίνος δὲ ζηλωτὴς ὁ Χριστὸς ἀντὶ-

αὐτόμαλον ζωπυρίαν, πολλοῖς καὶ τοῖς φαύλοις συμβῆναι καὶ κακῶν ἔχειν φιλοτιμήσει), ἀλλὰ τὸν πόνῳ καὶ σπουδῇ δι' οἰκείων κατορθωμάτων σεσημειωμένῳ, ἣν μόνοι ἀνυχῶσιν οἱ τοῦ φαίδου υἱοὶ, καὶ τέκνα Διός, καὶ τοῦ ἀφ' ἥλιε ἀναπλῶν εὐφυΐας, διὰ τῶν ἔργων τὸ φωτεινὸν χρηματίζοντες. *Generis verò ſplendorem, non eum, qi caſu fortuito multis etiam malis vilibúſqe contingit, aſſeqi ambitioſè connitetur, ſed eum qi labore ſtudióqe per res praclaras à ſe geſtas comparatur, de qo ſoli gloriantur, qi filii lucis, Deiqe ſoboles, & ab ortu ſolis nobiles ob opera lucida nuncupantur.* An non alter planè ab altero mutuatus videtur? Sed de hoc plura qi voluerit, ſi bonas horas malè collocare eſt animus, adire poterit nugatorem illum, qi ſub Origenis nomine *commentarios in Iobum* edidit, in qibus multa multis hanc in partem declamitat.

Cæterùm in Prodromi poema illud, ſatis elegans, ſed qod in metri leges peccet ſæpiuſculè, cum inciderimus, virum eruditum, qi in reſtituendo operam havd levem, avt lævam etiam, inſumpſit, errore uno & altero liberare conabimur. *Poſt illos*, inqit, *verſus*;

Ὦ πάλαις πόνητες, ἄβλιον χίνος,
Πλούτῳ ζὺν αὐτῷ, καὶ ζὺν αὐτῷ χρυσίῳ
Τῆς ἀρετῆς τὴν δόξαν ἀφῃρημένοι.
O miſeri egentes, obſitum arumnis genus,
Cum cenſu opimo, cúmqe triſti avro ſimul,
Virtutis omni decore nudi, & gloriâ:

Videntur deeſſe aliqa. non enim convenit diſputationi exclamatoria, qæ ſequitur concluſio:

— ὁ κόσμος ἀγαθὸν πῶς ἂν δεχάσῃ
Ἐν τῷ πονηρῷ κείμενος; λέγει λόγος.
Et orbis iſte, qo bonum faciat modo,
Malo ipſe totus ſubjacens? Chriſtus canit. Hæc ille. At primo illud, *triſti avro*, iſtic non placet. ecqid enim *triſte*, ſi re triſti careant pavperes? avt *avrum* igitur ſimpliciter dicendum, avt adjiciendum epitheton, qod in partem ſeqiorem non propendeat. Tum nihil qicqam deeſt; ſed pulchrè cohærent omnia. In fravdem illectus eſt, dum avtoris mentem non eſt aſſecutus. Ἀρετῆς δόξα, non eſt *decor* avt *gloria virtute parta*, qibus pavperes orbentur prorſus: (contra enim

enim etiam pavperrimos virtutis lavde atqe decore florere ac fulgere dixerat) ſed *virtutis opinio atqe exiſtimatio*, qâ apud divites, imò & alios etiam qoſvis mundanos deſtituuntur pavperes, dum ex rebus externis de hominibus ſententiam ferunt. ſic enim in proximè antegreſſis dixerat;

Ὡς ἀπόλοιτο τ βροτῶν ἡ φαυλότης,
Οἳ τὸ κρεὶς κρίνουσιν ἐξ εὐτυχίας,
Καὶ τὸ κρεὶς τἄμπαλιν ἐξ ἀτυχίας.
Vtinam periſſet hominum iners vecordia,
Solita æſtimare ſorte de bonâ bonos,
Maloſqe contrà de malo infortunio.

Itaqe vertendum fuerat.

Cum cenſu opimo qibus, & avro ipſo, ſimul
Virtutis omnis æſtimatio tollitur.

vel, *Virtutis etiam ipſius opinio demitur.*

Sicut contra divitibus ea non ab ipſis tantùm, ſed ab aliis etiam tribuitur. Salomon. Prov.c.28.v.11. *Sapiens eſt in oculis ſuis* (ſive, ſapere ſibi videtur) *dives*. Et Evripides Heraclidis;

Ἔστ δ' ἐν ὄλβῳ κ τόδ' ἐκ ὀρθῶς ἔχον,
Εὐψυχίας δόκησις· οἰόμεσθα γὰρ
Τὸν εὐτυχοῦντα πάνθ' ὁτιοῦν κρεὶς.
Accedit opibus more nevtiqam probo
Prudentis animi opinio: nam qos evehit
Fortuna, noſſe hos cuncta opinamur probè.

qæ apud Stobæum tom.2.c.92. cum locus in margine adſcriptus intercidiſſet, cum verſiculo ejuſdem ex *Creſſis* proximè adſito, fruſtra commiſſa ſunt.

Itaqe adverſus hanc mortalium opinationem pravam & perverſam, animum ſibi piiſqe qibuſqe firmans Prodromus in ſeqentibus ex dicto Apoſtolico;

Ὅμως, inqit, ὁ κόσμ& &c.

At (non *et*) *orbis*, (vel mundus) *hic, qi fecerit qicqam boni,*
Cum totus ipſe (*ut fertur*) *in malo cubet?*

judicium, inqit, mundi qis non ſuſqe deqe habeat? qomodo enim ille benè qicqam faciat cenſeatve, cum totus ipſe in malo cubet? *Mundus*, pro, *mundanis*. nihil tritius. *Malè*, inqit Svartius, λόγον *rationem*; *vertunt*, *cum Servatoris dictum notiſſimum alludat*. Sed & ipſe malè vertis, *Chriſtus canit*;

quam reverâ, non *Servatoris*, sed Joannis Apostoli dictum alludat, ex Epist. 1. c. 5. v. 19. ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. itaque λόγος istic non est *Christus*, sed *verbum*, *sermo*, divinus scil. sic enim ὁ λόγος frequentissimè sumitur.

Cap. XIII.

Pagina sacræ ex scriptis profanis illustratio. Ejus rei specimen unum & alterum. Gen. 16. 2. & 30. 3. formulæ ex dissertatione Plautinâ lux data; indidem itidem Salomonis dicto Eccles. 10. 18. Liberi parentum quasi ædificia quædam. inde בֵּן filius, *Hebræis*, & בַּת בָּרַח filia. *Inertiâ corrumpi, perinde ac ædificia, liberos. Ecclesiastæ c. 7. v. 6. ex Apulejo lux. Flamma de spinis, de stipulâ, qualis. Hymn. 58. 10. explicatur. Stolidorum cachinnus qualis, imaginibus variis ostenditur. Herba Sardoa. Semes* Decrepiti *unde dicantur. Grammaticorum in hoc nugamenta.* Crepum & crepusculum, *unde.* Crepare *quid, & unde dictum.* decrepare, *quid velit. quid item* destertere. *à Scaligero utrobique discessum. de igne & flammâ, veterum superstitio.* Decrepitorum *nomine qui veniant. De exterorum scriptis ad dogmata sacra illustranda adhibitis Veterum sententia; ab Ægyptiis spoliatis Exod. 11. 2. & 12. 35. à mulierculâ captivâ, Deut. 21. 10–13. Locus is discussus.* ungues facere, *aliis producere; aliis contrà præcidere. hoc rectius. sacra adituris ungues resecti.* pedes facere, 2 *Reg.* 19. 25. *qui.* barbam facere, *itidem, cum Hebræis, tum & Latinis.* pedum pili. שְׂעָר *qui propriè.* עָשָׂה, ποιεῖν, facere, *quàm latè pateant. Catonis Uric. habitus lugubris sub bello civili; Scipionis diversus, die à Tribunis Plebis dictâ. Insontis confidentia.*

EX quo ad studia Theologica animum adjicere cœperam, id mihi cumprimis curæ fuit, ut siquid inter auctores exteros legendum occurreret, quod oraculis sacris illustrandis conducere videretur, quo ubi usus posceret, promptò esset in adversaria mittere. Eo fine codices mihi comparaveram sacros chartâ puræ, quæ observationes ejusmodi exciperet, interjectâ

jectâ concinnatos. Inſtituti hujuſce ſpecimen hic dabo, unâque, quod ajunt, fideliâ parietes duos dealbabo; unâ ſcil. autoris prophani periochâ ſacræ paginæ duo loca illuſtrari poſſe docebo.

Prior locus eſt Geneſ. c. 16. v. 2. ubi Sara, ſterilis ipſa cum eſſet; qò Abraham virum ſuum impellat, ut cum Hagare ancillâ ſuâ congrediatur; אוּלַי אִבָּנֶה מִמֶּנָּה *forſan*, inqit, *ædificabor ex eâ*. Græcus; ἵνα πεποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς. *ut ex eâ liberos conſequar*. et Jacobo pariter Rachel de Bilhâ, Ibid. c. 30. v. 3. אִבָּנֶה אַנֹכִי מִמֶּנָּה *ipſa ædificabor ex eâ*; Græcus, κἀγὼ πεποιήσομαι ἐξ αὐτῆς &c. i. *illius operâ liberos conſequar*, qos pro meis ſcil. habeam. ex qo loco colligunt Doctores Hebræi, qod & D. Camius in *radicibus* monet, liberos eſſe בָּנִין וְאָבוּ i. *parentum quaſi ædificium* qoddam. itaque & בֵּן filius à בָּנָה q.e. *ædificare*; & בַּנּוֹת indidem, pro qo contractum בַּת *filia*, ſicut אֲמֶת pro אֲמֶנֶת *veritas*.

Alter locus eſt Eccleſiaſt. c. 10. v. 18. qo loco Salomon incommoda ab ignaviâ & deſidiâ profluentia delineans; *Pigritiis*, inqit, *attignatio corrumpitur, & manuum demiſſione perpluitur domicilium*. Utrique ex Plautinâ in *Moſtellariâ* act. 2. *ſcen.* 1. diſſertatione lux haud ſpernenda dabitur. Ibi ſic prolocutus inducitur, ſuopte ipſe qæ loqitur, exemplo edoctus, Philolaches adoleſcentulus.

Recordatus multum & diu cogitavi,
Argumentáque in pectus multa inſtitui
Ego: atque in meo corde, ſi eſt qod mihi cor,
Eam rem volutavi & diu diſputavi,
Hominem qjus rei, qando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer, ſimulacrúmque habere.
Id repperi jam exemplum.
Novarum ædium eſſe arbitror ſimilem ego hominem,
Qando hic natus eſt.

Habes *ædificium*, de qo Rachel, & Rachele prior Sara. Sed pergit porrò adoleſcens noſter, dicti hujus rationem adjungere.

Ædes qom extemplò ſunt paratæ, expolitæ,
Facta probè examuſſim,
Laudant fabrum, atque ades probant, ſibi qiſque

Inde exemplum expetunt ; ſibi qiſqe ſimile,
Suo uſqe ſumptu : opera ne parcunt ſua.
Atqe ubi illicò immigrat neqam homo indiligénſqe
Cum pigrâ familiâ, immundus, inſtrenuus ;
Hîc jam ædibus vitium additur,
Bona cum curantur malè.
Atqe illud ſæpe fit : tempeſtas venit,
Confringit tegulas imbriceſqe : ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri :
Neqior jam eſt factus uſus ædium :
Atqe havd eſt fabri culpa. ſed magna pars
Morem hunc induxerunt. ſi qid nummo ſarciri poteſt,
Uſqe manant, neqe id faciunt donicum
Paricies ruunt. ædificantur ædes iſtæ denuò.

An non graphicè depingit, qod loco altero de inertiâ Rex ſapientiſſimus dixerat ? Verum ad prius argumentum revertitur in ſeqentibus.

Hæc argumenta ego ædificiis dixi. nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primùm dum parentes fabri liberûm ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulò in firmitatem,
Ut & in uſum boni, & in ſpeciem populo
Sint : ſibique aut materia ne parcunt,
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt :
Expolium, docent literas, jura, leges :
Sumptu ſuo & labore nituntur, ut
Alii ſibi eſſe illorum ſimiles expetant :
Ad legionem qom itant, adminiculum eis dannnt ;
Tum jam aliqem cognatum ſuum.
Eatenus abeunt à fabris.
Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum
Specimen cernitur, qo eveniat ædificatio.
Nam ego ad illud frugi uſqe & probus fui.
Poſteaqam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum. illicò oppidò

Venit

Venit ignavia: ea mihi tempeſtas fuit;
Ea mihi adventu ſuo grandinem imbrémque attulit.
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbavit, texit, detexítque à me illicò.
Poſtillà obtegère eam negligens fui.
Continuò pro imbre amor advenit in cor meum.
Is uſque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum. nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decúſque deſeruerunt: ego ſum inuſu
Factus nimio negior. atque adepol ita
Hæc tigna humidè putent. non videor mihi
Sarcire poſſe ædes meas, qin totæ
Perpetuæ ruant; qin cum fundamento
Perierint; nec qicqam eſſe auxilio qeat.

Qàm clarum lumen loco utrique fœnerentur iſta, nemo non viderit; niſi ſiqis fuerit, qod de Tireſiâ Tyrannus in *Oedipo Rege*,

Τυφλὸς τὰν' ὦ τυ, τὸν τι νῦν, τὰτ' ὄμματα.

His adjiciatur Regis Eccleſiaſtæ ejuſdem illud ex cap. 7. v 6. *Stolidi cachinnus ſpinarum ſub ollà crepitus.* Vin' collationis iſtius vivam imaginem? Avdi Lucium Apulejum in *apolog.* 1. *Ecqando vidiſti flammam ſtipulà exortam, claro ſtrepitu, largo fulgore, cito incremento; ſed enim materiâ levi, caduco incendio, nullis reliqiis?* Et talis reverâ fatuorum lætitia; intereſt tantùm, qod hic *ſtipulam*, ille *ſpinas* poſuit. illam Naſo ob oculos habuit, ubi dixit, *Triſt. l. 5. eleg.* 8.

Flammáque de ſtipulâ noſtra breviſque fuit.

iſtas Hymnographus hymn. 58. v. 10. *Priuſqam olla veſtræ rhamnum ſenſerint, tanqam crudam* (carnem) *per indignationis ſuæ æſtum abripiet.* obſervat V.C. Jo. Druſius *Proverb. claſ. 2. l. 2. pr. 30. metaphoram* videri *à carnibus, qæ ſemicruda extrahuntur ex ollà priuſqam bene ſenſerint calorem ignis.* Eadémqe planè riſus inanis ratio; idem fructus ac effectus. cachinnum edit, ſtrepitum facit, labia diducit, latera concutit; cæterùm cor non attingit, pectus non implet, curarum nil concoqit, gavdii genuini, ſolatii ſolidi nec hilum ſuppeditat. *Etiam in riſu* ejuſmodi *cor anxium* perſtat: *finiſqe lætitiæ* illiuſmodi *mœror* eſt. Parœm. c. 14. v. 13. Sar-

donium ſcil. qendam riſum inſinuat, qalis herbâ Sardoâ veſcentibus, qi ora rictu diducit, ut *dum mortem oppetunt, ridentium facie intereant.* Solinus *polyhiſt.* c.10. qalem ſub tyrannis Theodoſii anteceſſoribus deſcribit Latinus Pacatus in *Panegyrico Theodoſio dicto: Serenos nubilis mentibus vultus induebamus; & ad illorum vicem, qi deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes.* ſaltem qalem titillatione moleſtâ geſtientium Plutarchus in *præcept. de valetud. conſerv.* Καθάπερ αἱ τῶ μαχαλῶν ψιλαφήσεις ἀπ' ἴδιον, ὑδὲ σφῶν, ὑδ' ἴλεω γέλωτα τῇ ψυχῇ παρέχουσιν, ἀλλ' ἐοικότα σπασμῶ καὶ χαλεπόν· ὕπω πάλιν ὅσης τὸ σῶμα νυσσόμενον ὑπὸ τῆς ψυχῆς ἡδονὰς ἔχει καὶ παρεπόμενον, ἐκπαπκὰι καὶ παρακλικαὶ ἄυ) ἀλλοτρίαι τῆς φύσεως πάσιν. vel qalem etiam crapulæ indulgentium idem ibid. Ἡδοναὶ δὲ ἐξεῖαι καὶ ἀτελεῖς, καὶ πολὺν ἔχουσι σφυγμὸν καὶ βάρος ἐν τῇ ἀπολαύσει· διαπάσεις ἢ καὶ παραὶ πόρων καὶ πιδμάτων ὀναπλέιφεις διαδέχονῃ. vel qalem libidine flagrantium, ὡς ἐπῆκαι καὶ ἀπόλλυσι γλυκύπικρόν τι, μᾶλ ἡδονῆς ὀλιγηδόνι μεμιγμένης, uti idem *ſympoſ. l.5. c.7.* vel qalem denique fœdâ ſcabie & impetigine laborantium; prout idem *de curioſit.* γλυκύπικρός πς γαργαλισμὸς, ὅπερ ἕλκος, αἱμάτων ἑαυτὸν, ὅταν ἀμύσσῃ· παῦτα ἢ ὑδὲις ἂν ὑγκαίτων ἐυφροσύνας ἀληθεῖς ἢ χαρὰς ὀνομάσειεν. Plut. idem *de vit. jucund. adv. Epicur.* Εἰ γὰρ ἐνίσις ἄφρων εἴποι καὶ μανῆναι, ἀρθόνως ἔχουσα πρὸς ἡδονὰς, κώμιον διατελοῦσα καὶ ζίον, ὑσταιμόνως, εἰ μὴ ἡδέως, ζῆν; Platonis ſunt è Georgiâ. Vides qàm copioſam materiam, ad Salomonis locum illum illuſtrandum, etiam unus ſcriptor ſubminiſtret.

Porrò à flammâ tali, ſed jam deficiente, qalem nobis depingit, ſive Eccleſiaſtes Hebræus, ſive Madavrenſis Apologiſtes, tranſlatione ductâ, (qod pavcis hactenùs obſervatum) ſenes *Decrepiti* ſunt dicti, qi viribus per ætatem fractis, vigore priſtino univerſo prorſùs deſtitu[illegible]am exiſterent. Ludunt enim nos Grammatici, nugantúrqe ſtrenuè, cum appellationis id trahunt; vel à *crepero*, unde *crepuſculum* ſcil. (qod eſt κρέπος potiùs, *crepum* primò, ſicut κριπᾶν *criſſare*, κριπὸς *criſpus*, δίρνις, μορὴ *mora*, γρόμμα *groma*, & ſimilia, poſt *crepuſculum*, uti ad Varronem Joſ. Scaliger) ſive qaſi deſperati, *creperâ* jam vitâ, ut Feſtus; ſive qaſi in vitæ *crepero.*

pere. i. dubio conſtituti, ut Nonius; *ita* ſcil. *ætate confecti, ut dubium ſit, vivant an mortui ſint.* Phil. Paræus; ſive qaſi in vitæ *crepuſculo* agentes, avt ad mortis *crepuſculum* & tenebras devergentes, ut Iſidorus *Origin. l.*10. vel *à crepando*, ſive qod moribundis planctu ſæpe *crepuerit* familia, & *funera conclamata* ſunt, (qod defunctis tamen ſolis fieri ſolitum, ex Plinio Servius *ad Æn. l.*6.) ut Donatus (ſi is ſaltem eſt) *ad Terentii fabulas*; ſive etiam, qòd *crepare.* i. loqi deſierint; qod Iſidorus qoqe dedit. Veritatem, qam qaſi per nebulam is videtur vidiſſe, accedit proximè, qod ſecundo loco Feſtus adjecerat, *Decrepitos* ideò dictos, *qòd propter ſenectutem, nec movere ſe, nec ullum poſſent facere crepitum.* qanqam *crepitum* qem voluerit is, ambigi poteſt. neqe enim eum, opinor, in animo habuit, qem diffiſſâ parte poſticâ Priapum ſuum ficulneum edidiſſe Flaccus comminiſcitur. Qemcunqe ſanè voluit, id fortè ſaltem attigit, qod res habet. ab eo utiqe, qod *crepare* (eſt avtem *crepo* κρέκω, ut λύκος *lupus*, σφὴξ *veſpa*) *deſitum eſt*, *decrepitos* dici. Neqe enim poſſum Scaligero aſſentiri, qi *à lucernâ vel candelâ* ſumptum cenſet, *qæ ultimum expirans crepitum edere* ſolet. Qanqam apud Plutarchum non ſemel legam, * ideò ζῶν τὸ πῦρ, *animatum qiddam ignem* Romanis priſcis habitum, (qibus & eâ de cavſſâ lucernam extingvere religio fuerit) ἐπ᾽ ὀστρακίνου φωλεὸν ἀρίνον, ὥσπερ φονεύοντες, qia *crepitum qaſi vocem qandam, tanqam ſi trucidaretur, dum extingvitur, emittit. Hoc enim*, inqit vir ſummus, eſt *decrepare*, ut apud Perſium *deſtertere.* Videtur ὁ πάνυ exiſtimaſſe *decrepare* eſſe *crepitum clariorem emittere*, qo modo apud Perſium *deſtertere*, *altum dormire* & *dormiendo ſomniare.* Ita *de* verbo præfixum non eſſet στερηπὸν, ſed ἀυξητικὸν καὶ ἐμφατικὸν, qemadmodùm in, *Deperire, valdè perire*; *Depuvire*, λίαν πάλιν; *Deſpretus, valdè ſpretus.* Feſtus. qod mihi ſecùs videtur: & *de* præpoſitionem eandem hîc vim obtinere, qam in *denaſci* ſortitur, in illo apud Nonium Caſſii Heminæ ex *Annal. l.*2. *Qa nata, ea omnia denaſci ajunt.* h. e. ἀπογίνεσθαι. qam in *depudere*, in Senecæ illis, *de conſtant. ſap. c.*17. *Aſſiduis convitiis depudere didicerat.* qam *dedolere*, in Naſonianis illis, *remed l.*1.

* In *Qæſt. Rom. q.* 76. & in *Problem. Symposſ. l.*7. *c.*4.

Optimus

Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qi rupit, dedoluitqe semel.

qam deniqe in *desipere*, in Ciceronis illis, *ad Lentul. l. 1. ep. 9.* qibus Platoni refert, ex *ad Perdiccam epistolâ*, hanc cavissam fuisse reipub. non attingendæ, qòd *offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute.* Ut ejusdem ætatis affectus fuerint & *desipere* & *decrepare.* Qin nec aliter illud Persii interpretes accipiunt pleriqe, (Casavbonus, Marcilius, Tornorupæus, alii) *destertuit, stertere,* somniare *desiit.* Nec reverâ tam moribundos, sive animam jam exhalantes, avt spiritum etiam extremum trahentes: (Neqe enim est ejusmodi, avt pater ille tristis & *decrepitus* senex, qem filium adolescentem objurgantem introducit Cicero in *orat. pro Cælio*; avt Evnuchus etiam Terentianus, qem *decrepitum* dicit, qi ducit, Parmeno) qàm vigore pristino omni viribúsqe exhavstos prorsus ac destitutos, (qalis Comico Evnuchus ille describitur, *Vetus, vietus, veternosus senex*) qibus scil. ut Lucretius *l.* 1.

——*annis corpus jam marcet, & artus*
Confecti languent,——

decrepitos nuncupamus; ab igne in stipulâ, qisqiliâ, cremiis, spinis, carduis, aliis similibus, concepto ductâ metaphorâ; qi absumptâ, qâ alebatur, materiâ, marcescens, necdum extinctus tamen, *crepare,* sive crepitum, qem dum vigebat, insigniorem dederat, edere ultrà jam desierit. Aptissimè scitissiméqe expressit Christianus Egenolphus in *epod. sacr.* verbis illis;

Vt flamma destituta ligno decrepat;
Absente sic lis maledico.

Eâ mihi verbi significatione nihil verius; vocabuli notatione nihil certius. Atqe hæc de *decrepitis* qidem obiter decrepitus ipse, ex flammæ illius occasione, qæ crepitum ullum edendi jam impos, imbecillitatis mihi mex, per ætatem devexam corpusculqe invalentiam qasso jam confectóqe, vivam satis, vivida licet minùs ipsa, imaginem reptæsentat.

Qum avtem de exterorum, qem diximus, usu ad codices sacros explicandos illustrandósqe differere ceperimus, liceat veterum hac de re testimonium unum & alterum subjicere,

qò

qò ex libris eiſdem ipſis inſtitutum iſtud comprobare nituntur. Alterum ab illo Dei edicto mutuatum eſt, qo Ægyptios ſpoliandi Hebræis facultas conceſſa eſt. Exod.c.11. v.2. & c.12.v.35. Sic enim Avguſtinus *de doctrin.Chriſtian.l.2.c.40. Philoſophi ſiqa vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanqam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non ſolùm idola habebant, qæ populus Iſraeliticus deteſtaretur, ſed & vaſa, ornamenta & veſtimenta, qæ populus ille Ægypto exiens, non avtoritate propriâ, ſed Dei præcepto, tanqam ad uſum meliorem ſibi clanculùm vendicavit, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, qibus non benè utebantur. Sic doctrinæ Gentilium non ſimulata ſolùm & ſuperſtitioſa figmenta habent, qæ fugere & deteſtari debemus; ſed & liberales diſciplinas, veritatis uſui aptiores, & qadam morum præcepta utiliſſima continent; qæ tanqam avrum & argentum, qod non ipſi inſtituerunt, ſed de qibuſdam veritatis divinæ metallis, qæ ubiqe infuſa eſt, eruerunt; & qo perversè abutuntur, ad uſum juſtum prædicandi Deum avferre ab eis Chriſtianus debet.* Alterum à lege illâ de mulierculâ, in bello qæ capta ſit, latâ, Deuter.c.21. v.10-13. Hieronymus ad Damaſum *de filio prodigo. Hujus ſapientiæ typus ſub mulieris captivæ formâ deſcribitur: de qâ divina vox præcipit, ut ſi Iſraelites eam voluerit habere uxorem, calvitium ei faciat, ungves præſecet, & pilos avferat, & cum munda fuerit effecta, tranſeat in victoris amplexus. itaqe qando philoſophos legimus & veniunt in manus noſtras libri ſapientiæ ſecularis, ſiqid in eis utile reperimus, ad noſtrum dogma convertimus: ſiqid ſuperfluum, de idolis, amore, curâ ſecularium, radimus, calvitium inducimus, in ungvium morem, ferro acutiſſimo diſſecamus.* Videndus idem *ad Magnum Oratorem.* Sed & Sidonius *ad Favſtum lib. 9. ep.9.* & Ambroſius *epiſt.7.* qi idem & *epiſt.13.* ad Eccleſiam accommodat è gentibus evocatam.

Qod avtem de captivâ muliere illâ ſancitur, וְעָשְׂתָה אֶת צִפָּרְנֶיהָ ut *ungves faciat*, havd perinde ab interpretibus accipitur. Chaldæus Paraphraſtes reddit, *& ungves producet*; nutriet, creſcere faciet. qod & Doctores Hebræi R. Aqibas, Salomon Jajrus, Moſes Majmonides, pleriqe reliqi admit-

tunt; eóque fine ſancitum volunt, qò aſpectu deformior turpiórque videatur. Hos ſequuntur è noſtris Petrus Martyr in 1 Reg.c.3.v.1. (nam in Geneſ. c.24. idem in diverſum planè abit) Fr. Junius, & Jo. Piſcator. At R. Eleazar & David Camius, *corriget, detrahet, ungves.* Græcus interpres ὁ ἀφαιρούμενος ὄνυχίους αὐτῶν. qod Vetus Lat. ad verbum; *& circumcidet* ungves. Hieronymus, *ungves præſecet.* Vatablus, *præcidet.* Tigurinus, *aptabit.* qæ potior interpretatio videtur. Siquidem, uti rectè C. V. Jo. Calvinus poſt Liranum obſervat, *Dubium non eſt, qin Deus menſtruo luctu, raſo capillo, & aliis ſignis* [ungvibus nimirum reſectis] *renovari eas velit,* ut *aliis moribus aſſveſcant.* Qò facit, qòd ſacra celebriora adituri ethnici qoqe, ὑφ' ἁγνείας μέρει, non *capillos* tantùm *demere,* ſed *ungves* etiam *reſecare,* ſolenne habebant, uti docet in tractatu *de ritibus Ægyptiacis* Plutarchus. Confirmat ſententiam hanc Camius adducto loco parili ex Hiſtor.Reg.l.2. c.19.v.25. ubi de Mephiboſhete dicitur וְלֹא עָשָׂה רַגְלָיו וְלֹא עָשָׂה שָׂפָמוֹ ad verbum, *nec pedes fecerat, nec myſtacem fecerat.* qo loco, *neqe pedes fecerat,* Chaldæus exponit, לָא שְׁטַף *non laverat.* et R. Eſajas לָא תַקֵּן לָא לְחַשׁ *non correxerat, non laverat.* et David Camius, *ne pedes qidem laverat, nedum corpus totum: neqe neceſſe fuerat, ut hoc adjiceret, cum illud dixiſſet.* Ita Latinus Vetus; *illotis pedibus.* Junius item, *neqe pedes curaverat, i. laverat,* ex Cap.12.v.20. at Levi Gerſomitilius, *neqe ungves reſecuerat.* non incommodè, qia hoc etiam tum maximè fieri aſſolet. itaqe Græcus interpres, ὡς ἐπεγυμνώσατο τοὺ πόδας αὐτῆ, ubi dixerat, qaſi ὑπογυμνῶσι adjecit, ὡς ἐπὶ ὀνυχίσατο. ut generaliùs illud τὸ ἐπεγυμνῶσι, ſive *curare,* ſumpſiſſe videatur. qod Piſcator ad eam pedum curam refert, qâ pedibus affectus Mephiboſhet cum fuerit, cap.4.v.4. eo magis indigverit. nam qod Hieronymus in *Tradit. Hebr. Notandum, qòd in Hebræo, non, illotis pedibus, ſed legitur, pedibus infectis. fecerat namqe ſibi ligneos pedes, qibus uti qaſi pro naturalibus ſolebat. ſicut ſolent facere clavdi, qemadmodum & ille erat.* Rabbinuli alicujus putidum nugamentum videtur. ſed nec probabilis Hieronymi alterius ab Oleaſtro conjectura, *pilos pedum,* i. *pilos pudendorum* intelligi. etſi enim eo ſenſu *pili pedum* dicantur Eſajæ c.7.v.20. qod alibi oſtendimus,

hos

hos tamen vellere vel radere, mollicellorum avt pathicorum, non modesti avt μαφίου etiam alicujus, fuerit.

In posteriore membro vox שָׂפָם propriè *mystacem* significat; & Συνεκδοχικῶς pro *barbâ* ponitur. itaque quod Græcus, ἀπὸ ἱποίησε τ μύσακα; Latinus, *intonsâ barbâ*, ut & Chaldæus, לא סַפַּר *non totonderat*, & Liranus, *barbâ incompositâ*, reddidit. Proinde ut μύσακα ποιῆν, sive *barbam facere*, est barbam curare, demere, præcidere, concinnare; ita *ungves facere*, est eosdem curare, aptare, præsecare, præcidere. Nec abhorret ab hac phrasi, sermonis etiam Latini consvetudo. De portento hominis illo Elagabalo Imperatore Lampridius; *Rasit virilia subactoribus suis novaculâ, qâ postea barbam fecit.* Et Gloss. Vet. ὄξυνχίζειν exponit, *ungves facere.* Optimè Pet. Picherellus *de Missâ cap.* 2. Verbum עָשָׂה *facere* variorum accusativorum & postpositorum respectu tam latè patet, ut ferè omnibus de rebus dicatur, congruâ tamen significatione & loco appositâ exponendum, qemadmodum ποιῆν Græcum, *facere* Latinum, & *faire* Gallicum. Devt. c. 21. v. 12. עָשׂוֹת *facere ungves*, amputare est & resecare ungves. 2 Sam. 19. 24. *facere pedes, & labrum*, est lavare pedes, & radere labrum. Sic dicimus, *faire la barbe, faire les ongles.* Rectè itaque David Camius, & Abraham Esdraides (qi utramqe tamen interpretationem proponit, sed ad posteriorem istam magis inclinare videtur) תִּקּוּן i. *correctionem* sive *concinnationem* monent utrobiqe designari. Clavdam caput hoc Plutarchi de Catone Uticensi narratione. Is hunc refert, postqam civile illud, qod inter Cæsarem ac Pompejum, horúmqe utriusqe partes interceslit, bellum jam exarserat, ἀπ' ἐκείνης ἡμέρας, μήτε καρηλὼ ἔπι κεφαλῆ, μήτε γάνεια, μήτε στέφανον ἐπιθέσθαι, πένθους ὄ κ ηκατηρίας κ βαρυπ Θ ὄπι Ψ Συμφορᾶς ἐ παρέλθ Θ, ἂν χῶμα νικήσαντων κ νικωμένων, ἄχει πολλῷ διαφυλάξαι. *ab eo die, nec caput nec barbam totondisse; nec coronam unqam sumpsisse; verùm luctus, mœstitia, anxietatis ob patriæ suæ calamitates, speciem habitúmqe, sive vincerent ei, qorum è partibus esset, sive vincerentur, eundem ad mortem usqe perpetim tenuisse.* At contrà de Publ. Scipione Pavli filio ex historico innominato refert Gellius *Noct. Attic. l. 7. c. 4. Eum cum reus esset, die à Tribuno plebis ad populum dictâ, neqe barbam*

deſiſſe radi, neqe non candidâ veſte uti, neqe fuiſſe cultu ſolito reorum. Ea fuit animi nihil ſibi conſcii infracta confidentia.

Cap. XIV.

De rerum adverſarum in mente humanâ perdomandâ vi, teſtimonia varia. proſpera contrà ut corrumpant. Eôdem facere Lyrodi de ſe profeſſionem Hymn. 119.67,71. *De verbis illius variæ complurium ſententiæ; Junii ſingularis & ſolitaria, rejecta.* ענה *nunc* affligere, *vel etiam* affligi; *nunc* reſpondere, clamare, eloqi. *in utraqe formâ, tam activâ qàm paſſivâ, modo utroqe ſumi. Hymn.* 116.10. *explicatur. Locus Eſajæ* 53.7. *expenditur. Interpretamenta varia recitata rejecta. Lud. Cappelli adducta, probata, firmata.* Reſpondendi *verbum, à* ſpondendo *ductum, Gallis* fidejubere; *noſtris, ſed & Latinis,* ſatisfacere: *Hebræis non voce tantùm, ſed reipſâ* aſſentiri, annuere, præſtare. *Chriſtus* ἔγγυος, ſponſor *noſter; debiti noſtri ſolutionem, & ſuſcepit in ſe, & præſtitit.*

QUantam vim habeant res adverſæ, ad ingenii humani impetus coercendos, hominéſqe etiam pro perditiſſimis habitos ad frugem meliorem adigendos, ſcriptorum cum exterorum, tum & noſtrorum calamis freqentiſſimè prædicatur. Xenophon *Cyri inſtitut. l.*8. Δοκεῖ μοι χαλεπώτερον εἶναι, εὐτυχεῖν ἀνδρὶ τὰ πάντα καλῶς φέροντι, ἢ τὰ κακὰ τὰ μὲν φέρειν τοῖς πολλοῖς τὰ δὲ σωφρονεῖν τοῖς πᾶσιν ἐμπιπτεῖ. *Difficiliùs, ut mihi quidem videtur, hominem reperias qi bona, qàm qi mala probè ferat. iſta enim multis inſolentiam, illa qibuſvis modeſtiam ingenerant.* Cato Cenſor. *Origen l.*5. à Gellio *l.*7, *c.*3. laudatus. *Adverſæ res ſe domant, & docent qid opus ſit facto: ſecundæ res lætitiâ tranſvorſum tendere ſolent à rectè conſulendo atqe intelligendo* Iſidorus Peluſ. *l.*3. *ep.*213. Κινδυνεύει ἡ ἀνθρωπότης, ὡς τὰ πολλὰ, ἐν μὲν δυσημερίᾳ σωφρονεῖν, ἐν δὲ εὐημερίᾳ παροινεῖν. *Videtur, ut plurimùm, humana natura, in adverſis qidem rebus moderatè ſe gerere, in ſecundis verò petulanter agere.* Scilicet, qod Gregorius Nazianz.

Σκλη-

Σκληρὰ γὰ μάστιξ παιδαγωγὸν καρδίαν.

i.e. ut Jo. Druſius reddidit,

Durum flagellum pædagogus ingeni.

ut Hadr. Junius,

Duro flagello mens domatur rectiùs.

Et, ut Salvianus *de provident. l. 6. Qi corrumpuntur proſperis, corriguntur adverſis.*

Non poſſum itaqe ſatis mirari, cur Fr. Junio placuerit, à receptâ interpretatione recedere, in verſione commatii 67. Hymni 119. ubi enim Vetus interpres, *Priuſqum humiliarer ego, deliqi:* Græcum ſecutus, qi prior verterat, Πρὸ τοῦ με ταπεινωθῆναι, ἐγὼ ἐπλημμέλησα. & Pagninus, *Priuſqam humiliarer ego, errabam.* & Vatablus, *Priuſqam affligerer, à te ſcil.* Caſtellio, *Priuſqam vexarer*, &c. Leo Judæ, *Antequam in arumnas incidiſſem.* Sed & Chaldæus, עַד לָא אִסְתְּנִיק & David Camius שְׁרִם וְכַנְעִי Et Abraham Eſdraides אֵין צוֹרֶךְ לְעַנּוֹתִי *non eſt neceſſe ut affligar amplius ob delicta diebus prateritis admiſſa: qia nunc obſervo precepta tua.* At Junius maluit, *Qum nondum loqerer, ego erraham.* & exponit; *inde ab ortu meo ſum peccator, & alienus à lege tuâ.* Verſionis variæ ratio ab ambigvâ verbi עָנָה ſignificatione. qod modò *reſpondere, loqi, clamare*; modo *humiliare, affligere, vexare*; & *humiliari* etiam, *affligi, vexari* ſignificat. priore ſenſu cepit Salomon Jajrus; *Priuſqam reſponderem tibi de lege tuâ*, i. *loqerer, meditarer & commentarer de eâ: in ſcholâ & auditorio* בֵּית מִדְרָשׁ *inter ſapientum auditores & diſcipulos conſtitutus*; qò trahit illud v. 172. תַּעַן *reſpondebit lingva mea ſermoni tuo*; vel, *loqetur ſermonem tuum.* & illud item Malach. c. 2. v. 12. עֵר וְעוֹנֶה *vigilantem & reſpondentem*; i. *doctorem & diſcipulum.* interpretationem hanc Vatablus leviter attigit. Sed Calvinus, qi Vulgatam ipſe ſeqitur, ut nimis coactam, meritò rejicit. Senſum verbi priorem amplectitur etiam, ſed aliò à Jajro collimans, Piſcator; *anteqam clamarem*, inqit. præ afflictione ſcil. i. *anteqam affligerer.* prout & Hymno 116. v. 10. accipi vult illa, אֲנִי עָנִיתִי מְאֹד *ego clamavi valdè*, ex Eſajæ c. 13. v. 22. עָנָה אִיִּים *clamabit beſtia inſularis in palatiis eorum.* at Junius ibi, *Ego fatus fueram ſupra modum.* poſteriore cepere, cum aliis pleriſqe, & qos ſuprà re-

cenſui: nec de ſenſu Piſcator ipſe adverſatur, licet in vocabuli explicatione grammaticâ diſſentiat. Junianam enim interpretationem qod attinet, nec ducem is ad eam, nec comitem, nec aſſeclam hactenùs nactus videtur, vel ex eis etiam, qos de verbi ſignificatione primâ propriâqe habet ſibi conſentientes. Senſum alterum evincit planè, qod in eodem Hymno poſt pavlò commatio 71. ſubjungitur, טוֹב לִי כִּי עֻנִּיתִי *Bono mihi fuit, qòd humiliatus*, ſive *afflictus ſum, ut diſcerem ſtatuta tua.* qis enim non videt reſpondere huic ἐν ἀγγελίᾳ, qod tribus tantùm commatiis interjectis dixerat, *Antequam humiliarer*, five *afflingerer, errabam; nunc autem ſermonem tuum obſervo.* Neqe verò opus eſt, ut per tropicæ locutionis ambages illas ſenſum hunc avt extundamus avt eliciamus, qum ſponte promptéqe ex vocis ipſius notione ſimplici ille nobis ſeſe offerat, & oggerat etiam. obſtare duntaxat videatur, verùm obſtat nihil, qòd activam formam iſtic verbum עָנָה habeat. eſt enim medii, vel communis potiùs, ſignificatus, tam in activâ, qàm & in paſſivâ formâ verbum iſtud. Et qidni tam in formâ activâ paſſivè in ſignificatione *affligendi* & *humiliandi*, qàm in paſſivâ activè, in *loqendi* & *reſpondendi* ſignificatione ſumatur? nec deſunt clara ſatis utriuſqe exempla. עָנָה paſſim pro *affligi* five *humiliari*. ita locum illum Hymno 116.v.10. tam Hebræi, qàm noſtri plerique interpretantur. עֻנִּיתִי *afflictus, humiliatus ſum valdè*. nam Jajrum hîc nihil moror, qi, *aſperè locutus ſum*, interpretatur, & de *reſponſo* intelligit à Davide Mephiboſheti dato, qum is Zibæ calumniam diluere & amoliri à ſe niteretur. ſed & alterum locum, qi eſt extra omnem controverſiam, ſuppeditat nobis Camius in hunc ipſum, de qo agimus, Hymnum, ex Eſajæ c.21.v.10. ubi vates de leone valido cum prædâ, qam jam ceperit, paſtores adverſus conſiſtente, לֹא יֵעָמֵה *non humiliabitur*, non demittet ſe, non animum abjiciet, ad illorum ſtrepitum. tertium etiam Eſdræ filius in Hymnum 116. ex Eſajæ c.25.v.9. וְיָקִיר עָרִיצִים יֵעָמֵה *propago*, ſive *palmes potentium, prævalidorum, humiliabitur, deprimetur.* ut optimè Mercerus. rurſus vice verſâ נֶעֱנָה qod paſſivum eſt, activè, pro *reſpondere.* Ezekiel.c.14.v.4. וְנֶעֱנֵיתִי לוֹ ego reſpondebo illi, iterúmqe v.7. וְנֶעֱנֵיתִי *ego reſpondens ero*, vel, *reſponſurus ſum illi.*

Eodem

Eodem ferè modo ſumi poſtulat V.Cl. D. Ludovicus Cappellus in illo Eſaiæ c.53.v.7. נִגַּשׂ וְהוּא נֶעְנָה ubi Græcus, καὶ αὐτὸς διὰ τὸ κακωθῆναι, *et ipſe quia affligebatur.* ut alterum vocabulum ſaltem inſuper habuerit. Latinus Vetus & Hieronymus ipſe, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit. oblatus eſt*, quod dicunt, נִגַּשׂ legiſſe videntur. Sit *ipſe voluit*, cur adjecerint, Muſculus ſe neſcium fatetur, niſi ſi יָאֹבֶה pro נֶעְנָה legerint. ego verò exiſtimo נֶעְנָה in *reſpondendi* ſenſu cepiſſe. qia *reſpondendo velle* nos aliqid ſignificamus, ſicut contrà, *non reſpondendo, nolle.* inde *reſpondere* pro *annuere, exaudire, exorari,* in ſacris creberrimè. et apud Maronem *Georg.l.*1.

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ. ——

h. e. inqit Servius, *ſatisfaciet, conſentiet.* Pagnin. *Oppreſſus eſt & afflictus eſt.* Muſculus & Leo Judæ: *Mulctatus & afflictus eſt.* et Caſtellio, *Multatus ipſe, oppreſſuſque.* forſan Camium hi ſecuti, qi נִגַּשׂ de *mulctâ pecuniariâ*, נֶעְנָה de *ſupplicio corporali* exponit. quanquam Jajrus illud de *violentis preſſuris*, iſtud de *verborum opprobriis* interpretatur. Verùm verborum ipſorum ſeries, qæ perſonas hîc clarè diſtingvit, vel potiùs provocabulo verbo poſteriori præfixo, anterius impersonaliter ſumendum indicat, interpretationes alteras iſtas nevtiqam admittit. Chald. נְעֵי וְהוּא מִתְחַנַּב. *Orans*, (ſive, *Exigens*; nam utrumqe vox ea Chaldæis, Syris, Talmudicis ſonat: ſed illud hîc potiùs, ob id qod ſeqitur) fuit, ſcil. *& reſponſum ipſe tulit*, ſive, *exauditus eſt.* Ita idem fuerit qod Verſ.13. pòſt dicitur, *interpellaſſe pro defectoribus*, & cum iuterpellaret pro eis, exavditum fuiſſe. Verùm hoc interceſſioni tribuit, qod ad ſatisfactionem potiùs pertinet. nec ſenſum hunc verba ipſa ullo modo admittunt. neqe enim avt נִגַּשׂ in *orandi* notione uſqam reperitur; nec נֶעְנָה pro *reſponſum ferre*, ſive *exavdiri* uſpiam uſurpatum deprehenditur. Rem propiùs acceſſit Junius, qum vertit; *Exigitur*, (pœna ſcil. de qâ proximè dictum eſt, *& Jovas facit ut incurrat in eum pœna noſtri omnium*) *& ipſe affligitur.* Sed & Piſcator illius veſtigiis inſiſtens; *Exacta fuit, & ipſe afflictus fuit:* ſive, *qum illa exigebatur, ipſe affligebatur.* i.e. qum Deus à nobis exigebat pœnam iniqitati noſtræ debitam, tum Chriſtus ut ſponſor noſter, illam luit

pro-

pro nobis. Verùm rem acu, quod ajunt, planè tetigit D. Cappellus in *privatis ad D. Gvil. Bradſhavum literis*: *Exigitur* ſcil. *debitum noſtrum ex rigore juſtitiæ divinæ; ipſe verò ſpondet*, ſive *ſponſor, fidejuſſor conſtituitur. nam ut Latinis reſpondere eſt à ſpondere, & Galli reſpondere pro fidejubere dicunt, qidni pari ratione* עָנָה *quod propriè reſpondere ſignificat, pro ſpondere & fidejubere uſurpetur? licet alibi in hac ſignificatione non occurrat.* Hæc ille: cujus ego in ſententiam pedibus promptiſſimus eo: Chriſtúmqe cum Apoſtolo ad Hebr. c. 7. v. 22. ἔγγυον i. ſponſorem noſtrum ex hoc ipſo loco libentiſſimus agnoſco. hoc etiam adjecto, *reſpondendi* vocabulum, prout noſtris in *præſtandi*, ſive *ſatisfaciendi* (qomodo apud Maronem Servius eſt interpretatus) notione uſurpatur, cum dicimus, **to anſwer a debt**; (neqe enim verba de debito invicem commutata, ſed nummis repræſentatis ſolutionem factam, formulâ illâ intelligimus) ita in Vatis loco ſuperiùs adducto, vice alterâ, vocabulum iſtud, non *reſponſionem vocalem*, ſed *realem* planè deſignare, qâ Deus verſipellibus illis pœnas, pro ſimulatione ſuâ commeritas debitáſqe ſit repenſurus. In Chriſtum Dominum itaqe dictio prophetica cumprimis qadrat, qi & pro pœnis, delictorum ac defectionum ratione nobis debitis, ſatisfaciendi onus, pacto cum Patre eâ de re inito, in ſe ſuſcepit; & qod ſuſceperat, etiam facto, ubi id exigebatur, præſtitit. Hebr. c. 1. v. 3. & c. 10. v. 5 — 12. Petr. ep. 1. c. 1. v. 18--20. & c. 2. v. 24. & c. 3. v. 18.

Cap. XV.

Locus 4.*Reg*.5.13. *expenditur. Tranſitus à numero ad numerum; nunc ſingulari ad pluralem, nunc plurali ad ſingularem. Pavli* 1. *ad Tim*.2.15. *verba diſcutiuntur.* διὰ τῆς τεκνογονίας *qid velit. qid item,* ἐὰν μείνωσιν. *Marci Imp. locus fruſtrà ſolicitatus. Terentius explicatus. Nonius emendatus.* Plures mali. *Pluralium ſingularibus junctorum uſus Hebræis varius; nunc diſcretivus, nunc diſtributivus. De Gen*.23.6. *ambigitur. De Jud*.12.7. *rejectis Judæorum figmentis, nec admiſſâ Martyris ſuſpicione, ſtatuitur. Hymni* 1.3. *duplex interpretatio. De Jon*.1.5. *Zac*.9.9. *Matth*. 4.3. *Joan*.6.45. *Act*.13.40. *De latronibus apud Evangeliſtas τὸ ἐναντιοφανὲς non uno modo ſolvitur. Dictioni vehementiam addere pluralia, rhetoricæ magiſtris obſervatum. Varia hujus formulæ ſpecimina. Sophocles ex conjecturâ ſolicitatus, emendatus. De ſexu ſeqiore forma maſculea. Pluralia ad emphaſin majorem adhibita Judic*.7.10. 2.*Annal*. 24. 25. *&* 28. 3. *Hymn*.74. 4,7. *qo loco & hypallage adnotata. In ſuo genere eminentia plurali enunciata.* בְּהֵמוֹת elephas. *de hoc commentum Talmudicum.* אֱלֹהִים Deus: *qod & de ſingulis perſonis uſurpatum.* אֲדֹנִים *de* Deo. *Ellipſis in eis formulis nonnullis aſſerta. Ad res attollendas pluralia adhiberi: prout Thren*. 3.22. *Hymn*. 51. 17. 2.*Reg*.22.51. *ubi varia lectio; uti & ibid. v*.28. *qo loco ex Hymnorum Hebræis ac Græcis conſentientibus lectionem reſtitui qidam poſtulant: ſed & è Græcâ Hebraicam Hymn*. 20. 9. Jod & Vav *Scribis crebrò invicem permutata. Reciproca in* agendi ſimulandive *notione. Pluralia etiam ad res deprimendas Hebræis uſurpata, Dan*.9.18. *Eſaj*.26. 18. *&* 27. 11. *&* 40.29. *Indicativa in notione potentiali. Pluralium in propriis uſus peculiaris. Ad locum* 4.*Reg*. 5.13. *denuò reditum. Eum vel diſcretivè ſumi poſſe, qod de Matth*.26.8. *cenſent nonnulli; vel diſtributivè; prout ejuſdem notæ illa, Gen*. 49.22. *Exod*. 17. 12. *&* 31. 14. *Hymn*.73.7. *Paræm*.3.18. *&* 14 1. *Iob*.12.7. *Joel*. 1.20. *Joſh*.2.4. *de qo diſcutiuntur placita Rabbinica. Eidem ge-*

 minum

minum planè è Corn. Severo. de qo Porcelli reprehenſioni oppoſita M. Senecæ cenſura. Hic dies meus eſt, *formula Proverbialis.*

DUM inter ſacra obeunda, è Regum hiſtoriæ libro 4. caput 5. de Naamo à lepræ morbo liberato recitatur, ſyntaxin in textu Hebraico animadverti, qæ varios explicationis modos admittat. ea verſu 13. in hæc verba reperitur: *Et acceſſerunt illum ſervi ejus, & allocuti ſunt eum, dicendo, Pater mi,* &c. Occurrit freqens, tam apud ſacros, qàm & apud profanos ſcriptores, *tranſitus à numero ad numerum*, qi interpretibus non obſervatus, modò vitii ſuſpectos immeritò codices facit; modò in ſenſus parùm conſentaneos inducit. *Tranſitus* autem, nunc *à ſingulari ad pluralem* fit. Parœmiarum c.24.v.24. *Dicentem improbo, Juſtus es, execrabitur populus: — corripientibus verò illum pulchrè erit.* Hymno 140.v.9. *Ne concedas improbo deſiderium ipſius; cogitationem ſceleratam ejus ne provehas: alioqi efferent illi ſeſe.* Paulus ad Timoth.ep.1.c.2.v.15. σωθήσεται δὲ διὰ τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. *Servabitur autem prolem gignendo; ſi in fide ac charitate permanſerint.* ubi fruſtra eſt Hieronymus, qi membrum poſterius, *in epiſt. ad Salvin.* & *adv. Jovin.l.1.* ad *liberos* referendum contendit; cum mulieres ipſas ſpectare, & contextus ipſe clarè ſatis evincat. & ſcriptores plerique, cum recentiores, tum & antiqiores agnoſcant. Sed nec τεκνογονίαν, per qam in membro priore ſalutem conſecutura mulier prædicatur, ad partum virgineum reſtringere qod cogat qicqam ſuppetit: qod tamen feciſſe nonnullos refert Theophylactus. è qibus eſt Origenes in *ad Rom. comment. lib.4.* (qem etiam de hac periochâ nugas miſerè agentem, *in Matth. orat.29.* adire poterit, cui temporis impenſa vili conſtiterit:) & Pſevdo-Chryſoſtomus (cum aliò ipſe in *commentariis* ὁ χρυσορρήμων concedat) *de Sacr. Paſch. orat.3.* in *Edit, Savil. tom.5.* Nec cum Scholiaſte erudito ita ſumere neceſſe eſt, acſi diceretur, *ſalvam futuram mulierem, ſi tantum vis liberos gignere & educare cogatur cum moleſtiâ; qa res iræ divinæ argumentum poſſit videri.* qæ mihi ſyntaxis inſolens, & analyſis coactior videtur. Optimè Calvinus; *hanc* vult eſſe

viam,

viam, quam ſexum illum *ad ſalutem incedentem inſiſtere* ex uſu communi Deus velit; *liberos* utique *parienda enutriendoque:* uti Apoſtolus ibidem haud multo poſt cap. 5. v. 14. utrumque enim iſtud utroque loco ϒ τεκνογονίαν nomine continetur. Proinde rectè expoſuit Beza, διὰ τεκνογονίας. i. ἐν τῇ τεκνογονίᾳ, *ſicut* διὰ ἀκροβυσίας, *pro* ἐν ἀκροβυσίᾳ, Rom. c. 4. v. 11. & διὰ ἡμέρας, *interdiu*, διὰ βίου, διὰ αἰῶνος, *per vitam, per ætatem totam*, dici confvevit. Nec abſcedit longè Caſavbonus, qi διὰ τεκνογονίας, τεκνογονοῦσα interpretatur; qo modo Plutarchus in *Cæſare*, διὰ ἀῤῥωστίας, *per morbum.* i. ἀῤῥωστῶν. Ita enim vult legi, qod in evulgatis διὰ ἀῤῥωστίαν editur. qanqam *nihil* profitetur *mutaturum*, cum apud Homerum *Iliad* C. pariter habeatur, ἀμβρσίλω διὰ νύκτα, *per noctem*; qod & Beza prior ſubmonuerat. Cæterùm parùm ſolidè de loco hoc diſſerit Avguſtinus *de Trinit. l.* 12. *c.* 7. nec perſpicuè ſatis Chryſoſtomus ipſe, in *orat.* ad Apoſtoli verba iſta. Sed hæc obiter: in viam inſtitutam regredimur. Marcus Imper. *comment. l.* 2. § 4. Μίμνησο ἐν πόσῳ χρόνῳ ἀναβάλῃ, καὶ ὑπερόψεται παρέρχεται καιρὸν, ὃν χρὴ ἀντιῶσι. *Memento, quamdiu iſta diſtuleris, & quoties, opportunitatem cum acceperis, neglexeris eas.* vel etiam, *tempus certum* (vitæ ſcil. corrigendæ) *tibi præfixeris, eis nevtiqam utaris.* ubi citra cavſſam dictionem mutilatam Xylander, vitiatam Annotator Lugdunenſis cavſatur. Dio, an Xiphilinus, *in Severo:* Δανδὶς ποτε χειρίων, ὡς ὁ λίμνη μεγάλως ἐκπρέπει. *Cum mugilem aliqando deſideraret, qos lacus is inſignes alit.* Sophocles *Antigon.*

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
Ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
Οὗτοι διαπτυχθέντες ἄρθμιον κακοί.
Nam qiſqis ille eſt, ſapere qi ſeſe unicè,
Mentem linguámve ſibi aliam quàm aliis putat,
Hos ſi explices, vaniſſimos deprehenderis.

Terent. *Eunuch. prolog.*

Si qiſqam eſt, qi placere ſe ſtudeat bonis,
Quàm plurimis, & minimè multos lædere;
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.

ubi (in tranſitu id ut moneam) non ſunt aſſecuti poetæ mentem, qi *bonis quàm plurimis* de eiſdem dictum accipiunt; cum

ellipſis familiari, de qâ alibi diximus, *bonis* magis vel potiùs, quàm *plurimis*, (πλείονες γὰρ οἱ κακοὶ, ut ille olim) voluit. expreſſit nimirum qod Accius ἐν ταυτῷ μάχῃ,

Probis probatum potiùs, quàm multis fore.

& Lucilius *Satyr.* 14.

Pavcis ſe malle ac ſapientibus eſſe probatum,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Veterum, inqit Nonius, *memorabilis ſcientia* (*ſententia*, forſan) *pavcorum numerum pro bonis ponebat; multos contra malos appellabat.* Maro *Æn.* l. 8.

Fulmen erat, toto genitor qæ plurima cœlo
Dejicit in terras. ——

Cicero *pro Milone*; *Si tempus ullum hominis necandi, qæ multa ſunt.*

A plurali pariter *ad ſingularem tranſitur.* Jobi c. 12. v. 7. *Interroga jumenta, & docebit te.* Et c. 34. v. 18. *Qi regi dicit, ô nequam; qi principibus, ô improbe.* Apoſtolus ad Corinth. ep. 1. c. 4. v. 1. Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιστός τις ἐυρεθῇ. *A diſpenſatoribus exigitur, ut fidelis qis ſit.* Et ad Galat. c. 6. v. 1. Ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ, καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον, σκοπῶν σεαυτὸν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. *Vos ſpirituales qi eſtis, hunc reſtaurate, temet attendens, ne & ipſe tenteris.* Saluſt. *Catilin. Interea ſervitia repudiabat; cujus rei initio ad eum magna copia concurrebant.* Terent. *Evnuch.* 2. 1.

——*Adeone homines immutarier*
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe:

Idémqe hoc in loco deprehenditur, *Servi dixere, Patermi*, &c.

Uſus avtem Syntaxis iſtiuſmodi apud Hebræos duplex eſt. aliqando enim *diſcretivè*, aliqando *diſtributivè* uſurpatur. *Diſcretivè*, ubi plurali nomine è pluribus unus aliqis deſignatur: de qo videri poterit Cl. Jo. Druſius *qæſt. l.* 1. *c.* 5. & *l.* 2. *c.* 4. Sic Abrahæ dictum volunt ab Hethi filiis; Geneſ. c. 23. v. 6. *In electis ſepulcris noſtris ſepeli mortuam tuam.* i. in præcipuorum aliqo, vel præcipuo qovis. verùm id nihil eſt neceſſe. ſingulariter enim dictum eſt. בִּמְבְחַר *in delectu*, ſive *in lectiſſimo ſepulcrorum noſtrorum*; ut rectè Junius. Sed ſic Judic. c. 12. v. 7. de Jephtâ, *Sepultus eſt in urbibus Gileaditicis*, i. in

i. in harum unâ aliquâ, ut Abraham Eſdraides in Hymn. 1. quam interpretationem cum dediſſet & Gerſomides, maluit tamen ad fabulas Talmudicas declinare; Jephtam ſcil. qia ſine prole, qâ nomen ipſi propagaretur, deceſſurus eſſet, ideò præcepiſſe ut oſſa ſua per ſingulas Gileaditarum urbes diſtracta ſepulturæ mandarentur; qò nominis ſui memoriale aliqod obtinerent ſingulæ. alii, in qibus Camius, Jephtam ob filiam mactatam & immolatam, morbo peſſimo correptum fabulantur, cujus vi cum membra tabida diffluerent, in eis locis, qibus deciderant, ſepulta ſint, hoc in urbe iſtâ, illud in alterâ. alii, in qibus avtor *Scholiorum in Ben Syræ adagia* eum, ob Ephraitarum cædes ab ipſo factas, non adeptum ſepulturam, ſed membratim diſcerptum, oſſaqe per urbes Gileaditarum diſperſa fuiſſe. Verùm hæc ſunt hominum nugacium commenta putida. Petrus Martyr, poſt interpretationem ſimplicem, qæ & genuina planè, ſubjecit ſuſpicionem ſuam, (ſed eam qoqe minus probabilem) עָרִי ſive עָרִים proprium eſſe nomen civitatis unius cujuſdam, licet plurale ſit, ſicut *Syracuſæ*, *Athenæ*, *Quingeccleſiæ* dicitur. qibus & קְרִיוֹת urbs Moabitica Jer. c. 48. v. 24. adjici poterat. Hymno 1. v. 3. *ad rivos aqarum.* i. *ad rivum aliqem*, Eſdraides; qanqam Druſius *ad divortia aqarum* mavult, qaſi ſit ad rivorum confluentiam. Jonæ c. 1. v. 1. *deſcenderat Jonas ad latera navis.* i. *ad latus alterum*: Eſdræ filius. Zachar. c. 9. v. 9. *pullus aſinarum.* i. alterius ſubjugalis, Eſdraides idem. Apud Matth. c. 4. v. 3. Diabolus Chriſto, Εἰπὲ, ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται. *Jube, ut lapides iſti panes fiant.* h. e. ut lapidum iſtorum aliqis in panem convertatur. qum enim lapides grandiuſculos fuiſſe probabile ſit, ſufficiebat tam ad alimentum, qàm ad miraculum lapis unus aliqis μεταμορφώσθαι. atqe ita Lucas c. 4. v. 3. εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ, ἵνα γένηται ἄρτος. *Lapidi iſti præcipe, ut panis fiat.* Joan. c. 6. v. 45. *Scriptum eſt in prophetis.* & Act. c. 13. v. 40. *dictum eſt in prophetis.* i. in uno aliqo prophetarum. Eſajam alter, alter Habakkukum, innuebat. Matth. c. 27. v. 44. *Id ipſum latrones etiam, qi crucifigebantur cum illo, exprobrabant ei.* ubi qæritur, qî id verum eſſe poſſit, cum alterum Chriſto exprobraſſe, alterum eidem, ſocio reprehenſo, patrocinatum Lucas referat c. 23. v. 40. Hoc ut ſol-

vant, qidam, juxta illud Avgustini. *Dist ingue tempora, & concardabit Scriptura*; utrumqe volunt primò exprobrasse, sed alterum posteà conversum ab incepto destitisse. huc concedunt Hieronymus *in Matth.* & *epist. ad Marcell.* Theophylactus *in Lucam.* Evthym. *in Matth.* alii *latrones* dictum accipiunt; pro altero è latronibus. utrumqe refert Ambros. *in Luc. l.*10. *c.*22. & Avgustin. *de consens. Evang. l.*3. *c.*16. qi cum ad posteriorem hunc inclinat sensum, tum & vehementiam aliqam dictioni istiusmodi inesse observat. optimè. ut sit dictum, *Latrones etiam exprobrabant illi*, qo modo dici vulgò solet, *Et rustici insultant mihi*, etiamsi unus tantùm sit, qi insultet. Nec prætermisit istud, licet strictim tantùm tetigerit, Aristoteles *rhetoric. l.*3. *c.*6. Εἰς ὄγκον, inqit, ἡ λέξεως συμβάλλεσθαι τὸ ἐν πολλὰ πιεῖν. *Ad elocutionis amplificationem conducit &, ex uno multa facere.* qod pluribus explicavit Dionys. Longinus in *libello* illo περὶ ὕψους insigni. Ἀλλ' ὀκεῖνα, inqit, μᾶλλον θαυμάσιος ἄξια. ὅπ τὰ ὅτε ἀκριβῶς τὰ πληθωπικὰ μεγαλορρημονήσαντα, καὶ αὐτῷ διεξοδευσάμενα τῷ ὄχλῳ ἢ ἀριθμῷ. *Est autem illud observatione cumprimis dignum, qòd pluralia gandeqe magniloqentiùs avribus accidunt, & ipsò qasi numeri strepitu pompam qandam præ se ferunt.* Ejusmodi occurrunt in Sophoclis *Oedipo Rege* non pavca, è qibus ista Longinus lavdat.

——ὦ γάμοι, γάμοι, (qo loco tamen, γάμοι ἄγαμοι, reponi postulat ad *Apostolii Adagia* Pantinus an Shottus, prout Chorus ibidem ἄγαμον γάμων, & *innuptas nuptias* Tragicus apud Ciceronem *de Orat. l.*3.)

Ἐφύσατ' ἡμᾶς, καὶ φυτεύσαντες πάλιν
Ἀνεῖτε αὐτὸν (ταυτὸν f.) σπέρμα, κἀπιδείξατε
Πατέρας, ἀδελφὰς, παῖδας, αἷμ' ἐμῷ γάλον,
Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας τε, κ' ὡπόσα
Αἴσχιστ' ἐν ἀνθρώποισιν ἔργα γίγνεται.

——*connubia, ô connubia,*
Nos seminastis vos, satisqe denuò
Idem repetitis semen, inde proditis
Patres, fratresqe, filios, consangvines,
Sponsas, vxores, matres, & tumpissima
Qecunqe apud mortales agitari assolent.

qa

qæ omnia, inqit rhetor, *Oedipum unum, matremque Jocastæ designant*, ἀλλ' ὅμως χυθεῖς εἰς τὸ πληθυντικὸν ὁ ἀριθμὸς, Συνεπλήθυνε καὶ τὰς ἀνυχίας, *Sed numerus in pluralia diffusus, infortunia etiam simul multiplicasse videtur.* In eodem dramate Tiresias Oedipo,

Λελῆθέναι σὲ φημι σὺν τοῖς φιλτάτοις
Αἰσχρῶς ὁμιλοῦντ', οὐδ' ὁρᾷν ἵν' εἶ κακοῦ.
Latere te, te, dico, cum carissimis
Consuesse fœde, & in malis quantis agas.

ubi Scholiastes τὸ σὲ εἰ μητρὸς, *consuetudinem cum matre* innui monet. Et Oedipus ipse;

——— ξὺν οἷς τ'
Οὐ χρῆν μ' ὁμιλεῖν, οὕς τε μ' οὐκ ἔδει κτανεῖν.
——— *quis non oportuit,*
Congressus; & quos minimè oportebat, necans.

cum de matre solâ illud, de patre solo istud diceretur. ubi obiter observes de sexu seqiore formam masculeam adhiberi. cnjusmodi alia plura exhibuit Grotius in *notis ad Matth. c.26.v.72.* Idémque rursus; ——— οὐδὲ νυμφίῳ

Βεγτοῖς ἐελήθω ὧν ἔφην ἄπο.
Nec sponsus eis nunc dicerer, qeis sum edictus.

ubi Triclinii *scholia*; εἰ τὸ μὲ βεγτοῖς πρὸς τὸ ἐελήθω Συνάπτεις, ἀντὶ τοῦ πᾶσι τοῖς βεγτοῖς νοήσεις· εἰ δὲ πρὸς τὸ νυμφίῳ, ἀντὶ τῆ μητρί. cæterùm utrovis modo τὸ βεγτοῖς sumere libuerit, τὸ ὧν ἔφην ἄπο, matrem solam denotabit. Sed & chorus ibidem,

Τί γὰ ἢ Λαβδακίδαις,
Ἢ τῷ Πολύβε νεῖκος ἔκειτο;
Qæ enim aut Labdacidis,
Aut Polybidæ lis fuerat?

Λαβδακίδαις, τῷ Λαΐῳ. Schol. i. e. *qæ aut Lajo cum Oedipode, aut Oedipodi cum Lajo lis intercesserat?* Triclin. Rursus de Oedipò, qi exposuerat, famulus,

——κτανεῖν νιν τοὺ τεκόντας ὧδ' λόγος.
Necaturum hunc parentes sermo erat suos.

ubi Scholion hoc κατὰ σύλλυσιν dictum monet: alterum enim tantùm, patrem nempe, non & matrem, interfecturum prædixerat oraculum. Homerus *Iliad. γ.v.397.* de Venere unâ,

ἀγκαλίδ' ἀμφὶ, Στήθεσσιν ἐμφέρεσθαι——

--col-

— collum ſpecioſum, & Pectora amabilia.—

ἀντὶ τ στῆθ. i. *pectus*. Plutarchus, an Favorinus, an Apollonius Alex. an alius qis, *de dictione Homericâ*. Cui finitimum Naſonianum illud *fabul. lib.* 11.

Pectora percuſſit : pectus quoque robora fiunt.

ubi *pectora* pro *pectus*, *robora* pro robur, habetur. Apud Sophoclem in *Ajace* Tevcer,

Ὀϐ' οἱ δοκοῦντες εὐγενεῖς πεφυκέναι
Τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσι.——
Cum qi videntur eſſe natu nobiles,
Talia delinqant.——

qi nobiles natu videntur, vel *exiſtunt* etiam ; (de qâ formulâ alibi vidimus) cum de Menelao uno loqeretur. Flaccus epod. 3.

Edat cicutis allium nocentius.

Et Drepanus in *Panegyrico*, *Qi deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere.* De Mutium agente Martialis, l. 10. ep. 25. *Mutius, impoſuit qi ſua membra focis.* cum is manum alteram duntaxat foco accenſo immiſiſſe tradatur. Liv. *lib.* 2. Ita in ſacrâ hiſtoriâ Judic. c. 7. v. 10. (qod & Galatinus obſervat *de arcan. relig. Chriſt. l.* 8. *c.* 19.) *Iſraelitæ* dicuntur *tranſgreſſi*, *anathema furati*, *mentiti*, &c. cum Achan unus id perpetraſſet. Et Annal. l. 2. c. 24. v. 25. de Joramo Rege, in graviſſima ipſum mala incidiſſe, *propter cædem filiorum Jojadæ Pontificis* ; cum unus tantùm Zacharias cæſus ſit. verſ. 20, 21. nec eſt opus ut cum Camio ſuſpicemur, alios etiam Jojadæ liberos à Joramo fuiſſe interfectos; nam & ipſe fatetur poſſe ſumi, qomodo dictum eſt, Geneſ. c. 46. v. 23. *Filii Dan, cum unus tantùm Huſhim ſubjiciatur.* Verùm iſtic ad facinus exaggerandum dictio pluralis adhibetur. De Achazo Rege pariter dictum eſt Annal. l. 2. c. 28. v. 3. *Etiam filios ſuos per ignem traduxit*, ſive *igne cremavit* ; (de qâ duplici lectione alibi diximus) cum tamen in Reg. hiſt. l. 2. c. 28. v. 3. in *filium* duntaxat, ſive è filiis unum, immanitatis id genus exercuiſſe feratur. Nec ſecus *pro Cluentio* Cicero, *Fratris liberos vitâ privavit. cum de filio uno loqeretur.* Et Terent. *Hecyr.* 2. 1.

Qi illum decrerunt dignum, ſuos cui liberos committerent.

Ad

Ad qem locum Donatus: *Multum ſonanter & accuſatorio ſtrepitu, nec maſculinum genus nec fœmininum poſuit, nec unam, ſed liberos.* Sic Cicero, *En cui tuos liberos committas.* et, *Habemus enim liberos omnes*; de puellâ. Gellius itidem *Noct. Attic. l. 2. c. 13. Antiqi oratores hiſtoriæqe avt carminum ſcriptores etiam unum filium filiámve* liberos *multitudinis numero appellabant.* id confirmat ex Sempr. Aſellionis lib. 5. ubi de Tib. Graccho, *Orare cepit, ut ſe defenderent liberóſqe ſuos.* cum unum tantummodò haberet. Hymno 74 v. 4. *Rugiunt hoſtes in medio* מוֹעֲדֶיךָ *conventuum tuorum.* h. e. *Templi*, de qo Exod. c. 25. v. 22. וְנוֹעַדְתִּי *ibi conveniam te.* Jajrus. *de Templo in plurali loqitur*; *qia omnis Iſraelis conventus ibi habebantur.* Eſdraides. et verſ. 7. *Miſerunt in ignem* מִקְדָּשֶׁךָ *ſanctuaria tua. Miſerunt in ignem.* pro, *Ignem immiſerunt,* הִפּוּךְ Camius. *hypallage.* Junius. qalis Judic. c. 1. v. 8. *Sanctuaria* avtem, *Templum*: uti Doctores Hebræi. etiamſi Junius, *loca ſacra, ſynagogas, ſcholas,* &c. ex Verſ. 8. Huc pertinet τὸ παθωλικῶν uſus, qo numerus pluralis κατ' ἐξοχὴν ſive per excellentiam atqe eminentiam Hebræis uſurpatur, ſingulari rei alicui deſignandæ qæ in eo genere eximia ſit. Sic *Elephas* בְּהֵמוֹת dicitur Jobi c. 40. v. 15. cum vox ea non *beſtiam*, ſed *beſtias*, vel etiam *pecora* ſignificet Hymn. 50. v. 10. qo loco Pſaltes, *Et* בְּהֵמוֹת *in mille montibus.* unde Talmudiſtæ deliri belluam neſcio qam portentoſam molis prodigioſiſſimæ procuderunt, qæ montes mille qot diebus depaſcat, per noctes ſingulas gramine ſuccreſcente denuò reparandos. Sic חָכְמוֹת *Sapientiæ clamat.* Parœm. c. 1. v. 20. i. e. *ſumma Sapientia.* Jun. *divina ſcil. qæ omnem in ſe continet ſapientiam.* Riber. in Mic. c. 5. v. 2. ita eqidem malim, qàm cum Mercero diſtributivè, *ſapientiarum qæqe.* Nec aliter, puto, אֱלֹהִים cum plurale ſit, de Deo unicè uno uſurpatur. falluntur enim, qi de perſonis ſingulis, avt unâ aliqâ diſtinctim conſideratâ negant enunciari. Qum de *Filio*, (Spiritu ſancto ipſo interprete) adhibeatur, Hymn. 45. v. 6. & de *Patre* ipſo verſu proximo. de qo loco videſis Apoſtolum ad Hebr. c. 1. v. 8, 9. Sed & אֲדֹנִים pariter Mal. c. 1. v. 6. אִם אֲדֹנִים אֲנִי *Si domini ego.* pro *Domino ſummo* adhibetur; qi *omnem in ſe continet dominatum.* Ribera. qi & idem μόνος δυνάστης, ὁ χύριος τῶν κυριευόντων, *ſolus dynaſtes,*

 domi-

dominúſque dominantium, Pavlo dicitur, ad Timoth. ep. 1. c. 6. v 15. Hiſce avtem in formulis *ellipſin* ſubeſſe vult V. Cl. Grotius in *Explic. Decalog.* ut ſit אֵל אֱלֹהִים *Deus Deorum*; prout Hymn. 50. v. 1. Et אֲדֹנֵי pro אֲדֹנִים vel אָדוֹן אֲדֹנִים *Dominus Dominorum*. uti κύριος κυρίων, Joanni Apoc. c. 19. v. 16. & κύριος τῶν κυριευόντων, pavlo ſuprà. Qin & בְּהֵמַת בְּהֵמוֹת ratione pari, pro בְּהֵמַת בְּהֵמוֹת *beſtia beſtiarum*. nec aliter Junius Parœm. c. 9. v. 1. חָכְמוֹת *Sapientiæ*. i. *Sapientia Sapientiarum*.

Verùm de *Ellipſi* viderint alii. Per *excellentiam* uſurpari *pluralia* conſtat ſatis. Sic enim Thren. c. 3. v. 22. חַסְדֵי יְ *Benignitates Jovæ*, (i. *benignitas benignitatum*, ſi Grotium ſequimur; vel etiam, *ſumma benignitas*, ut Junius) eſt, *quod abſumpti penitùs non ſumus*. Hymn. 51. v. 17. זִבְחֵי *Sacrificia Dei* (h e. *Sacrificium Sacrificiorum*, ſive Sacrificium Deo omnium acceptiſſimum; *quod unum inſtar omnium eſt, imò omnia longè ſuperat*, Jun.) eſt *ſpiritus fractus*. Cui affine eſt & illud Reg. l. 2. c. 22. v. 1. מִגְדּוֹל יְשׁוּעוֹת *Turris ſalutum*. i. *ſalutis omnimodæ*. Jun. Cujus loco tamen in Hymnorum ſacrorum codice מַגְדִּיל יְשׁוּעוֹת legitur. qod Junius vertit, *Magnificam præſtat ſalutem omnimodam*. at, *Magnificat ſalutem multiplicem*, Piſcator. ad verbum, *Magnificans ſalutes*. Ea interim lectionis varietas, utrum ab avtore ipſo profecta, an per Scribarum incuriam invecta ſit, ambigi poteſt non immeritò: cum literula unica leviuſculè immutata punctationi, (qæ ſcripto primo poſterior longè viris ſummis jam cenſetur) diverſæ anſam locúmqe dare potuerit. Certè qod in Hymnorum volumine Hymni ejuſdem commatio 27. legitur, עִם עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל et, Græc. μὴ σκαβλοῦ διαστρέψεις. Lat. *cum perverſo perverteris*. ego malim, *cum perverſo perverſum*, ſive *contortum te exhibebis*; (de vocabuli ratione videndus Piſcator) vel etiam, *perverſum ac tortuoſum ages*. (eam enim notionem freqenter continent formulæ iſtiuſmodi; uti videre eſt Reg. l. 1. c. 21 v. 13. & l. 2 c. 13. v. 5. & c. 14. v. 2. & l. 3 c. 14. v. 2.) id in Hiſtorico codice תִּתַּל exhibetur. qòd ſi literam ſequimur, *inſulſum te exhibebis*, vel, *inſulſum ages*, reddi poſtulat. at Græc. redè, opinor, σκαβλωθήσῃ. et Lat. pariter, *perverſus eris*. Ut non deſint, qi ex Hymnorum li-

bro

bro Hiſtoricum refingendum ac reſtituendum cenſuerint. qod in priore qoqe periochâ Piſcatori placuiſſe video. qi & idem de verbis illis Hymn. 20. v. 10. ubi Hebræa ſic habent, יְהוָה הוֹשִׁיעָה הַמֶּלֶךְ יַעֲנֵנוּ בְיוֹם קָרְאֵנוּ qod eſſet, *Jova ſervato; rex avdiat nos, qando clamamus*, ſive, *invocamus*; ſententiam eandem protulit; qum genuinam eſſe cenſeret Græcorum verſionem, qi וְעַנֵּנוּ legentes reddiderunt, Κύριε σῶσον τὸν βασιλέα, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ὀνηγλιτόμεθά σε. Et Latinus Interpres; *Domine ſalvum fac Regem*; *& exavdi nos in die qâ invocaverimus te.* Certè à ו in י & vice verſâ, calami lapſus proclivis eſt, atqe in locis havd pavcis à Iudæorum Criticis, *Maſſoretas* qos appellant, extat deprehenſus. Sed de iſtis aliorum eſto judicium.

Cæterùm ad pluralium uſum iſtum, qo ad rem ſubjectam attollendam dilatandâmqe adhibentur, qem animadverterunt jamdudum adnotaruntqe eruditi, alterum iſtic adjicere nevtiqam abs re fuerit, havd perinde hactenùs, pleriſqe obſervatum, qo in *depreſſionis* ac *diminutionis* notione ex lingvæ ſacræ idiomate, eodémqe havd infreqenter, uſurpantur. Ita Dan. c. 9. v. 18. Supplices te deprecamur לֹא עַל־צִדְקוֹתֵינוּ *non propter juſtitias noſtras.* i. *propter ullam juſtitiam noſtram*, ut rectè Iunius. οὐ γὰρ ἐποιήσαμεν, *nullas enim fecimus.* inqit Gregorius Naz. *adv. Evnom. orat.* 4. Eſajæ c. 27. v. 11. לֹא עַם־בִּינוֹת *Non eſt populus intelligentiarum.* qâ formulâ non intelligentia exacta & omnibus numeris abſoluta populo illi detrahitur, ſed omni omninò potiùs inanis planè prædicatur. Nec ſecùs ſumi videtur apud Vatem eundem c. 40. v. 14. ubi qærit, *ecqis* Deum *edocuerit*, דֶּרֶךְ תְּבוּנוֹת *viam intelligentiarum.* i. rationem, ſive methodùm prudentem ullam. Apud eundem Cap. 26. v. 18. יְשׁוּעוֹת בַּל־נַעֲשֶׂה *ſalutes non faciemus. faciemus*, pro facere, efficere, præſtare poteramus. indicativum in notione potentiali; qomodò Hymn. 56. v. 4, 11. Ier. c. 2. v. 11, 23. & c. 11. v. 12. Matth. c. 12. v. 23. collat. cum Marc. c. 3. v. 24. *ſalutes* avtem, etiamſi aliis in locis, pro ſalute omnimodâ, ſive ampliſſimâ firmiſſimâqe creberrimè uſurpetur, uti præter ſuperiùs adducta, Hymn. 28. v. 8. & 42. v. 5, 11. & 44. v. 4. & 74. v. 12. at iſtic ullam omninò vel leviſſimam, nedum ut eximiam & prædicandam meritò aliqam,

deſignat. Qin & Vatis ejuſdem eodem in Capite, 40. nempe, vox eadem אונים & Verſu 36. ubi de Deo uſurpatur, per eminentiam, qo modo & Hymn. 78. v. 51. *vires ampliſſimas* ſonat; & contrà planè Verſu 29. ubi de populo imbelli ac imbecilli verba habentur; *vires ullas vel tenuiſſimas* deſignat verbis illis, *Ei cui non ſunt vires*, (ullæ ſcil. vel minimæ) *robur ampliter ſuppeditat.*

Aliud eſt interim, qod M. Antoninus Imp. *comment. l. 7. §. 19.* Πόσους ἤδη ὁ αἰὼν Χρυσίππους; πόσους Σωκράτεις; πόσους Ἐπικτήτους, καταπέπωκεν; *Qot Chryſippos? qot Socrates? qot Epictetos ævum jam abſorpſit?* Cum nominum iſtorum cujuſqe unus duntaxat philoſophus illuſtris extiterit. Sed *Chryſippos, Socrates, Epictetos* dixit, pro Chryſippo, Socrati, Epicteto ſimilibus. qo modo Florus in *carmine florido*,

Unum ego malim Catonem, qam trecentos Socrates.

Et apud Plutarchum in *Catone min.* Romani nobilis illius aſſeclæ peregrè agentem parum comiter habentibus, cum is placidè ſuſtineret, ὑ πάντες ὑμῶν ἀφίξονθ' Κάτωνες. *Non futuri ſunt Catones omnes, qi ad vos appulerint.* Et Catoni ipſi Uticenſes, Εἰ Κάτωνες οὐκ εἰσίν, ἀλλὰ τὸ Κάτωνος φρόνημα χωρῶσιν, εἰκλείπειν ἀνδρείαν αὐτῶν. *Ignoſcendum imbecillitati ſuæ, ſi Catones non ſunt, nec Catonis ſpiritus capiunt.* De Catone Val. Maximus. *memorabil. l. 2. c. 10. Omnibus numeris perfecta Viri ejuſdem virtus effecit, ut qiſqis ſanctum & egregium civem ſignificare vellet, ſub Catonis nomine definiret.* Hinc Seneca *epiſt. 97. Omne tempus Clodios, non omne Catones feret.* Idémqe *epiſt. 120. Qidam alternis Vatinii, alternis Catones ſunt.* Qin &, qod Plutarchus qoqe monet, Τὰς φάυλους μὲ κ' ἀκολάστους, τοῖς λόγοις ὅ Ῥωμαῖοι κ' αὐτηρούς, χλευάζοντες ἐνάλιν Κάτωνας. *Homines improbos perditóſqe, ſermone interim gravi ac ſevero utentes, per ludibrium Catones vocare ſolebant.* Inde Iuvenalis *ſat. 2.*

Tertius è cœlis cecidit Cato.

Et Auguſto familiare illud, *Contenti ſimus hoc Catone.* Sveton. lib. 2. c. 75.

Verùm, ut ad locum primitùs propoſitum, à diverticulis iſtis revertamur; poterit *diſcretivè* ſumi, qod dicitur, *Naamani ſervi dicebant.* i. unus aliqis ex ſervis. qo modo Matth. c. 26.

c.26.v.8. *indignabantur diſcipuli.* i. unus aliqis è diſcipulis; Iudas nempe. Ioan.c.12.v 4. niſi ſi, cum Calvino & Ianſenio, cæteros etiam Iudâ avtore, ejúſqe verbis commotos idem feciſſe, ſtatuamus.

Atqe hæc de *pluralium uſu diſcretivo.* ſeqitur *diſtributivus.* ubi *à plurali numero ad ſingularem tranſitur*, ut ad ſingulos qoſqe referatur, id qod dicitur. de qo Druſius itidem *qæſt.l.3.c.33.* & *obſerv.l.1.c.3.* Sic Geneſ. c 49.v.22. *Palmites incedit juxta murum.* i.e. palmitum uterqe. nam duo deſignantur. Exod.c.17.v.12. *& fuit manus ambæ* (i. manuum utraqe) *firma.* Hymn.73.v.7. *præ pingvedine oculi eorum* (i. oculus eorum uterqe) *extat.* Exod.c.31.v.14. *prophanantes illud* (i. prophanantium qiſqe) *morte morietur.* Parœm. c.3.v.18. *apprehendentes eam* (i. apprehendentium qivis) *beatus erit.* Et c.14.v.1. *ſapientes mulieres* (i. ſapientum mulierum unaqæqe) *ædificat domum ſuam.* Ioel.c.1.v.20. *beſtiæ* (i.e. beſtiarum unaqæqe) *clamat ad te.* qo modo ſuprà, Jobi c.12.v.7. *interroga jumenta, & docebit te.* i. unumqodqe eorum docebit te. cum nihil ſit in creaturis, etiam viliſſimum & contemptiſſimum qodqe, qod non vim ſapientiámqe avtoris ſui prædicet. De duobus illis à Jeſu terram Cananæam ac Ierichuntem exploratum miſſis, Joſh.c.2.v.4. *Cepit duos illos viros mulier, & abſcondit eum.* i.e. illorum utrumqe. eſt enim putidum planè figmentum, qod ex Rabbinulis ſuis referunt Iajrus & Camius. duos hos Phineazum & Calebum fuiſſe: hunc avtem à mulierculâ abſconditum, cum alter ille Angeli inſtar, coram regiis miniſtris inconſpectus conſiſteret. Sed nec opus eſt, ut cum aliis, qos & iidem lavdant, dicamus, ſeorſum à ſe, ſub acervo privo, delituiſſe hunc & illum, qanqam probabile ſatis id exiſtat. qo modo, inqit Iajrus, dictum eſt, Parœm.c.27.v.9. *Unguentum & ſuffitus cor exhilarat.* Cæterùm eo fine factum id, qod Gerſomidæ placet, ut ſi alter repertus fuiſſet, alter evaderet, iſtud certè nec probabilitatis ſpeciem præfert; cum eodem in loco abſconditi haberentur utriqe, & deprehenſus alter alterius inveſtigandi anſam præberet, reperiendi etiam rationem ultrò commonſtraret. Ita deniqe illud ego ſumpſerim de Syri famulis; *Dixerunt ei ſervi.* i.e. ſervorum unuſqiſqe, ſive ſervi ſinguli,

Patermi, &c. Cui affinem deprehendas ſyntaxin apud Poetarum principem Iliad. π. v. 265.

——— οἱ δ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες,
Πρόσσω πᾶς πέτεται ——
— *cor illi ſtrenuum habentes,*
Prorſum omnis volitat. —

ſive, *Prorſum qiſque volat.* nam πᾶς, ἀντὶ τοῦ ἕκαστος, *unuſquiſque.* χαυνοπρεπὲς δέ, ὡς ἀσύνηθες δή. Evſtathius. Sed geminam planè obſervat exhibétque M. Seneca *ſvaſor.* 2. in Corn. Severi ſcriptis, qi de militibus Romanis ante prælium ineundum epulantibus,

— *ſtratíqe per herbam,*
Hic meus eſt, dixere, dies.

ubi Porcellus Grammaticus (nomine ſuo havd indignus) illud, tanqam *Solœciſmum*, argvebat; qòd, *cum plures induxiſſet, diceret, Hic meus eſt dies, non, Dies hic eſt noſter.* Verùm emunctioris naris pectoríſqe acrioris rhetor, *id*, inqit, *accuſabat, qod optimum erat. nam qaſi proverbii loco eſt*, Hic dies meus eſt. ita certè uſus eſt Seneca Tragicus, ſive Marcus hic, ſive Lucius filius, apud qem Medea,

Meus dies eſt; *tempore accepto utimur.*

Sed pergit rhetor; *Et cum ad ſenſum retuleris, ne Grammaticorum qidem calumnia habebit locum. dixerunt enim, non omnes ſimul, ſed ſinguli ex eis*, Hic meus eſt dies.

Cap. XVI.

Cor pane, *ſive cibo*, fulcire; *formula Hebræis familiaris. Jud.* 19. 5. *Gen.* 18. 5. *Hymn.* 104. 15. *nos dicimus*, **tap the ſtomack**. *Nec Latinis, poetis maximè, inſveta. Græci*, στηρίζειν, & ἐπιστηρίζειν, fulcire, & ſuffulcire, *reddidere. inde cibus* fultura, ἔρεισμα; & *ſtabilimentum*, στήριγμα. *qòd τὸ στηρίζον τοῦ σώματος ſuſtineat. fulturæ iſtiuſmodi neceſſitas unde. ea ab ædificio ſumptâ imagine eleganter delineata.* Ἔδητὸς ἔρως, amor edendi. vino venas fulcire, *Seneca.* καρδία, *Græcis medicis*, ſtomachus, *ſive τὸ τῆς κοιλίας στόμα, inde* καρδιαλγία, & καρδιαγμὸς, & *noſtris* **heart-burning**; *ventriculi*

triculi non cordis affectiones. Uſus vocabuli hac notione ratio.

IN Iudicum hiſtoriâ cap.19. v. 5. Levitam generum ſuum abiturientem ſocer ſenex, apud qem divertebatur, ſic alloqitur; סְעַד לִבְּךָ פַּת־לָחֶם hoc eſt, verbum verbo ſi reddere libuerit, *fulci cor tuum fruſto panis.* nos Angli appoſitiſſimè diceremus, **ſtap thy ſtomack with a bit**, or, **a mo;ſell of bread.** nec incommodè Græcus interpres, Στήριον τὴν καρδίαν σου ψωμῷ ἄρτου. Latinus verò longiùs ab Hebraicis receſſit, dum ſic confortabitur, *Guſta prius puſillum panis, & conforta ſtomachum.* Neqe verò ego formulam iſtam, qâ *cor*, vel *ſtomachum cibo, panéve, fulcire* monemur, avt Græcis avt Latinis etiam adeò opinor fuiſſe familiarem, etiamſi tam noſtris freqens ſit, qàm & Hebræis fuiſſe videatur; qum vice alterâ rurſus eodem loci hoſpes ille uſurpaſſe perhibeatur; et Abraham hoſpitibus ſuis cœlo advenis, Geneſ.c.18.v.5. *Et accipiam* (i.e. acceptum afferam) *fruſtum panis,* וְסַעֲדוּ לִבְּכֶם *et fulcite corda veſtra.* Eôdem reſpexiſſe Pſaltem nullus ambigo, cum Hymno 104. v. 15. dixit, וְלֶחֶם לְבַב־אֱנוֹשׁ יִסְעָד *et panem, qod cor hominis fulciat.* Græcus; καὶ ἄρτος καρδίαν ἀνθρώπου στηρίζει. rectè. nam στήριγμα *fulcrum.* dilutiùs pavlò Latinus; *et panis cor hominis confirmat.* qod *ſuffulciat*, potiùs. unde & Chald. סְעַד *comedere.* Reg. l. 3. c.13. v.7. & סְעוּדָא *cibus.* Ruth.c.2.v.14. Sic tamen Latini poetæ qandoqe. Flaccus *ſermon.*l.2.*ſatyr.*3.

Deficient inopem venæ te, nî cibus atqe
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

Apud Comicum *Curcul.act.*2.*ſc.*3. ſervus ludibundus;

Atqe aliqid priùs obtrudamus, pernam, ſumen, glandium:
Hæc ſunt ventris ſtabilimenta, pane, & aſſa bubula,
Poculum grande, & avla magna. —

fultura, Ἔρεισμα, *ſtabilimenta*, στηρίγματα. Qo modo Gregorius Nyſſen. *orat. catechet* c 37. Διὰ τῆς τροφῆς καὶ ἀνθιστάντα δεῖ τὸ σπαρτὸν τῷ σώματι ἐκτοπίζουσι. *Per alimentum ſolidum corporis ſoliditatem*, ſive id qod in corpore eſt ſolidum, *ſuffulcimus.* Nec aliter Columella *de re ruſtic.l.6.c.23. Forda, qæ jam peperit, niſi cibis fulta eſt, qamvis bona nutrix, labore fatigata,*

nato

nato ſubtrahit alimentum. Sed omnium clariſſimè ac elegantiſſimè Lucretius, qi *de rerum naturâ l.4.* cibi paniſque neceſſitatem uſumque iſtum verſibus hiſce proſecutus eſt.

Illud item non eſt mirandum, corporis ipſa
Qòd natura cibum qærit qojuſque animantis.
Dippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui : ſed plurima debent
Ex animalibus eis, qæ ſunt exercita motu :
Multâque per ſudorem ex alto preſſa feruntur :
Multa per os exhalantur, qom langvida anhelant.
His igitur rebus rareſcit corpus, & omnis
Subruitur natura, dolor qam conſeqitur rem.

Et pòſt.

Et qoniam non eſt, qaſi qod ſuffulciat artus,
Debile ſit corpus, langveſcunt omnia membra ;
Brachia palpebræque cadunt, poplitéſque procumbunt.

Et ab illis continuò :

Propterea capitur cibus, ut ſuffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atqe patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.

amorem edendi, pro fame dixit, Homerum imitatus, apud qem occurrit toties,

Αὖταρ ἐπὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἵξεν ἔρυτο.

qod Maro,

Poſtqam exempta fames epulis. ——

Qin & Vincentius Victor *libr. de animæ origine : Nunqid, qia anima avt cibum qærit avt potum, ad ipſam tranſire credimus paſtum ? non ad animam pertinent ciborum ſuſtentacula, ſed ad corpus ; cui etiam prater cibum procuratur ſimili ratione veſtitus : ut illi neceſſarius videatur paſtura ſuggeſtus, cui competit & ipſos habere veſtitus. an non enim putamus inqilinum qemqe ſuæ habitationi proſpicere ? nonne ſi eam ſenſerit, avt tecto tremere, avt nutare pariete, avt labare fundamine, deſtinat qærit, qibus imminentem poſſit ruinam ſedulò diligentérqe fulcire, ne ſub periculo manſionis diſcrimen videatur impendere remanſori ? ita & anima carni ſuum deſiderat cibum, ex qâ ipſum concipit ſine dubio deſiderium.* Hæc ille ; *Aſſerens* (inqit Avguſtinus *adeundem de eodem argumento*

l.2.

l.2.c.4.) *non animæ reqiri alimenta, ſed corpori, curâ qidem illius, ſed tanqam in domo habitantis, & moribundæ carnis imminentes ruinas providâ refectione fulcientis.* ita rei ipſius rationem reddidit Lucretius, phraſeos Vincentius, dum corpus domicilii inſtar labantis habere ſuggerit, qod cibo potúqe tanqam deſtinis ac tibicinibus qibuſdam ſuffulciri & ſuſtentari neceſſe ſit. cibo, inqam, potúqe. nam & de iſto Seneca (licet avdaciùs forſan pavlò videatur) *epiſt.95. Vino fulcire venas cadentes.* qod idem *de benefic. l.3.c.9. cadentes venas vino reficere*, dixit.

Qod avtem *ſtomachum* Latinus reddidit, qod Hebraicum textum ſecuti Græci καρδίαν dixere, nec illud incommodè prorſus, ſiqidem Græci veteres τὸ στόμα ἢ κοιλίας ſive ἡ γαςὴρ, i.e. *ſtomachum*, καρδίαν dixere: uti pluribus in locis monuit Galenus, *de aliment. facult.l.2.c.24. de locis affect.l.5.c.8. comment. in Hippocr. de humoribus l.3.§.30.* idémqe variis, ex avtoribus primæ notæ, exemplis confirmat. *de Hippocr. ac Platon. dogmat.l.2.c.9.* inde καρδιαλγία & καρδιωγμὸς, non *cordis*, ſed *ventriculi* ἀλγήματα καὶ λύπας, *dolores morſúſqe*: uti idem docet *ad aphoriſm. l 4. aph. 65. & in prognoſt.comment.3.§.36.* Idem καρδιαλγεῖν exponit τὸ στόμα ἢ κοιλίας ὀδυνᾶσθαι, *in Epidem.l.1. comment.3.§.22.* clariſſimè verò Erotianus *in lexic. Hippocrat.* Καρδίαν ἐπάλλειν οἱ παλαιοὶ καὶ τὸ ἢ γαςὴρ στόμα, ὃν καὶ ἢ στόμαχον κοινῶς καλοῦμεν. καρδιώττειν οὖν καὶ καρδιαλγεῖν λέγεται, τὸ μὴ ναυτίας καὶ ὀδύνης ἀνιᾶσθαι ἢ στόμαχον· καὶ καρδιωγμὸς ἐστιν οὗτος, ἀντὶ ἢ ὁ τοῦ στομάχου δηγμός. Hoc eſt qod Heſychius; Καρδιώττειν, ἢ καρδίαν ἀλγεῖν. πινὲς δὲ διάκενσιν στόμαχον ὑπὸ λιμοῦ. πάντες καὶ ὅτι τοῦ ναυτιᾶν. nec noſtri ſecùs ventriculi affectum iſtiuſmodi dicimus, **the heartburning**. Nicander ab aconiti eſu φῶτ' ὀπικαρδιώοντα deſcribens *in Alexipharm.v.19.*

——δύη δ' ὀπιδάκνει ἄκρον
Νειάτεης ἄκλαστον ἀειρόμενον στόμα γαςρὸς,
Τεύχει δ' ὧν κραδίην ὀπιδόρπιον, οἱ δ' ὀχαλίην
Κλείσι στομάχοιο. πύλη δ' ὀπικάκλει ἀρχαῖς
Πρῶτα κόλων, ὅθι πᾶσι βροτῶν ἄλις ἐμφύεται διαῖς.

ubi Schol. στόμα γαςρὸς, ὁ στόμαχος. cujus & nomen & ſedem & uſum Nicander verbis illis nobis exhibet. Aliud avtem

longè eſt, qod Thucydides (Galeno etiam non ſemel, ſed in codicibus impreſſis vitiatum, referente) *lib.*2. dixit, ὡς ἀ καρδίαν σπεῖξαι, ab eo qod Græci in contextu ſacro, σπεῖξαι ἀ καρδίαν. iſtic enim τὸ σπεῖξαι paſſivè, vel etiam reciprocè ſumitur, & ſignificat morbum, qo de verba facit eo loci hiſtoricus, ventriculo incubuiſſe, ſive in eodem ſeſe fixiſſe. ad qem locum etiam Scholiaſtes: Οἱ παλαιοὶ ἰατροὶ ἀ στόμαχον καρδίαν ἐκάλουν, ἀ καρδιωσμὸν ἀ πόνον τῦ στομάχυ. *Stomachum* autem illi *cordis* nomine inſigniverunt, ἀφ' ὧν ὀπτῆρες Συμπαθημάτων, ut Galenus *de locis affect. l.*5.*c.*8. ſive ὅτι Συμπάσχει καρδία στομάχῳ, ut Alexander *problem. l.*2.*q.*35. qia ſympathia qædam inter *cor* atqe *ſtomachum* intercedit, & communes qædam ſunt partis utriuſqe affectiones inſigniores. Itaqe vocabuli καρδίας uſus iſte in re medicâ maximâ ex parte reperitur, avt ubi de partis illius affectibus agitur.

Cap. XVII.

*Scala, qâ ad numen aſcenditur, creatura. Rom.*1.20. *Deus inconſpicabilis, ex operibus ſit conſpicuus.* Luce amictum eſſe, *Hymn.*104.1. *qi dictum.* λαῖνον χιτῶνα, γλῶ, ὕδωρ, φῶς ἀμφιέσαδ. χιτῶνα, *ſive* ὑμένα, *mundo obductum, cœlum dixere philoſophi qidam.* λαῖνον χιτῶνα φορεῖν, *item* φῶς ἀ ζέλας ἔνδαδ, *dici poſſe gemmis fulgidis undiqe amictum.* decore ac majeſtate amictus *Deus qâ ratione dicatur.* Panis *qis, & qatenus* fulcire cor *dicitur, ibid. v.*15. Oleo *an* vino, *nitoris vultui conciliandi facultas à Lyrico tribuatur. in utramqe partem ſententia, rationúmqe momenta. Olei uſus ad unctionem, ad eſum, ad lumina. facies dictionis, in poeſi, Lyricâ cumprimis ſæpius immutata.* לְהוֹצִיא *qò referatur:* לְשַׁבְּרוֹת *qid velit. receptæ hîc, ſyntaxis gemina* Job.5.10, 11. יְצַהֵל *oleum unde.* צָהַל *iſtic in* ſplendoris *notione; alibi nuſqam.* ἐλαίῳ, oleum, *ſive,* ungventum, *Homero dictum. Verſio loci nova ex conjecturâ exhibita.* צָהַל exultare, hilaria agere *ungventorum in his uſus.* סְךְ *cavſſale. Hymni ejuſdem v.*17. בְּרוֹשׁ *arbor qæ.* חֲסִידָה *qis ales.* ciconia *in arboribus an agat.* domus *avium, utrum* nidi; *ut* nidi, *pro domibus*

domibus de homine dicuntur; an ſtirpes arboréſque *ipſa. iſtæ domicilia potius, illi in iſtis cubilia. Origenes ex conjecturâ emendatus. Druſii ſyntaxis rejecta. Lambino Lucretius parum rite explicatus. avium* κατασκωάσις, *rami, non nidi.* σκιὰν *unde.* κατασκωᾶν nidificare, *haud rectè redditur. in aviariis* cellæ *à nidis diverſæ. ſpeluncæ* nidi *Oppiano dictæ. Hymni ejuſdem* ℣.25. יָם *mare quodnam deſignet.* manus, *pro ſpatiis.* ambabus, *fruſtra Piſcator.* brachia, *Naſoni, quod* manus, *noſtro.* maris lingva, *Hebræis, pro ſinu. ut telluris Latinis, pro promontorio. Pacuvii fragmentum reſtitutum. Vocabula à corporis membris ad terras, montes, fluvios tranſlata. In ſacrâ paginâ,* maris labium : &, montis ſupercilium. Naves ambulare, *etiam Latinis dictum.* Maris tranſgreſſus, *an dici queat.* νῆες πολυπόδες. *naves* ἀλὸς ἵπποι, eqi marini; currus, *itidem. gubernator* avriga *dictus.* πῶς, & πεῖν, *de itinere pedeſtri uſurpata.* Maria ambulaſſe, terram navigaſſe *Xerxem, Cicero.* Amnes ambulare, ire, incedere, currere, *dicuntur.*

Κλίμαξ δ' ἐστὶν ἀνάβασις διὰ τ κτίσεως πρὸς τ θεόν. *Per creaturas, tanqam per ſcalam, ad Deum aſcenditur.* inqit Baſilius Seleuc. *orat.*1. Siquidem, ut Apoſtolus ad Rom.c.1. v.20. Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμε, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται. *inviſibilia ipſius, vis utique aterna majeſtáſque divina, à mundo condito in operibus penſitata ſpectantur.* Qod Avtor libri *de mundo*, qi Ariſtotelis nomen præfert, *c.6.* Πάσῃ θνητῇ φύσει ἀμυδρὸς & ἀπερίληπτος, ἀπ' ἀυτῶν τ ἔργων θεωρεῖται ὁ θεός. *Deus cum ſit natura mortali omni inconſpicabilis, ex operibus ſuis tamen conſpicuus ſit.* Itaqe Hymnum celeberrimum illum, ordine 104. qo Dei potentiam, ſapientiam, majeſtatem, providentiam in mundi fabricâ, creaturiſqe qibuſqe clariſſimè elucentem, ac ſplendidiſſimè effulgentem, prædicans Lyricus facer, ab his verbis orditur; *Amiciens ſe luce, tanqam veſte.* Hoc explicans Calvinus *Inſtitut.l.*1.*c.*5. §.1. *Ac ſi dicat,* inqit, *tum cepiſſe Deum viſibili ornatu inſignem prodire, ex qo in mundi creatione inſignia ſua protulit; qibus, qoties oculos huc vel illuc circumferimus, decorus apparet.* Alludit enim, qod & Abraham Eſdræ monuit, ad lucem primi-

tùs creatam. Geneſ.c.1.v.3. licet Theodoretus ad φῶς ἀπρόσιτον, lucem illam inacceſſam referat, de qâ Apoſtolus ad Timoth.ep.1. c.6. v.16. Et eſt ſanè phraſis ἀμφιλικωτάτη, qâ Deus *luce amictus* perhibetur. de qâ formulâ & alibi diximus. Obſervavit hoc Evſtathius ad Iliad.γ. v.57. ubi λαΐνον ἔσσο χιτῶνα, *lapideam indueres tunicam*, ἀντὶ τ λιθαδίνης, pro, *lapidibus obruereris*, dictum eſt. ὁ γὰρ λιθαδίνητα, inqit, ὥσπερ τι ἱμάτιον, ἀμπέχει ὁ τ λίθων σωρός. *lapidatus enim, tanquam veſte quadam, lapidum acervo amicitur.* pariqe modo dictum eſt Heſiodo, Ἠέρα ἕσσαδες. *aere indutos, heroas* nempe defunctos. et dici poſſet, γλῶ ἐνδύτες τ παφίντα, *terram indutum*, qi ſepultus eſt: et ὕδωρ ἀμφίεσαδες, τ χυόμενον ὅλον ἔνθ' ἀυτῦ, *aquam indutum*, qi eâ totus eſt immerſus; καὶ φῶς ἀναβαλόδες, ἱματίοις λίκλω, & *luce amictum, veſtis inſtar.* qo modo LXX. iſtic, ἀναβαλλόμενος φῶς, ὡς ἱμάτιον. De Levcippo & Democrito Stobæus *tom.1.l.1. c.21. §.2.* χιτῶνα κύκλῳ καὶ ὑμένα περιτείνεσι τῷ κόσμῳ διὰ τ ἀγκιστροειδῶν ἄτρων ἐμπλεγμένον. *tunicam ſive membranam quandam mundo undiqe circumjiciunt, ex aſtris hamorum in modum ſibi invicem implexis contextam.* talem ex luce ipſâ conflatum numen amictum induiſſe ſe Lyricus noſter inſinuat. Sive, ut Evſtathius ait, λαΐνον χιτῶνα φορεῖν, *tunicâ lapideâ indutum* feſtivè dici poſſe, τ λίθοις τιμίοις κατασκεύ, *qi gemmis lapidibúſqe pretioſis inſtructus undiqe incedit*; ita & φῶς καὶ Ζέλας ἕσσαδες, *luce ac fulgore amictum eſſe*, qi eiſdem lucem fulgorémqe emittentibus, ita totus eſt obſitus, ut totus ipſe lucere ac fulgere videatur, & aſtantium oculi exadverſum intueri nevtiqam ſuſtineant. ita Eſdraides ad priora illa, verſ.1. הוֹד וְהָדָר *decore & majeſtate amictus es: tantus eſt majeſtatis tuæ ſplendor & fulgor, ut eam intueri ſpiritus etiam ſapientiſſimi obtutum prohibeat; qemadmodum corporis veſtiti aſpectu prohibet veſtis eidem induta.* cæterùm qaſi veſtis aſpectabilis qædam majeſtatis divinæ lux eſt iſta, taliſqe iſtic prædicatur.

Sed ex Hymno eodem alia pavca delibabimus, qibus & ab exteris forſan lux aliqa dabitur. Attigimus capite proximè antegreſſo, qod de *pane* dictum eſt commatio 15. *fulcire* eum *cor* hominis. qòd de *pane* cumprimis dici monet Camius, qia nullus cibus tam inſigniter hoc præſtat. fruſtra ſunt enim,

qi

qi ad *panem mysticum* trahunt. Verùm de *oleo* qod adjectum eſt, magis habetur controverſum. Siqidem qod de *oleo* à pleriſqe ſumitur, de *vino* interpretantur, Druſius *obſerv.l.3.c.10.* Druſiíqe veſtigia premens, *Piſcator.* Itaqe ſic vertunt, *Et vinum, qod lætificat cor hominis, ut nitidam reddat faciem præ oleo,* ſive *oleo nitidiorem faciat. Senſus eſt,* inqit Druſius, *vinum cor exhilarando, faciem hominis nitidiorem reddere qàm eſt oleum, avt qàm oleum reddere ſoleat.* Præiverunt avtem his Vatablus. *Hebr.* inqit, *ad faciendum nitere faciem ab oleo. i. ſplendere facit, vel nitidiorem reddit vultum, qàm ullum ungventum.* Et Mollerus, *Vinum, non immodicè ſumptum, ita exhilarat cor hominis, ut facies etiam fiat nitidior & ſplendeſcat magis qàm ſi oleo eſſet perunctа.* Et ſanè cordis hilaritatem in vultu ſe prodere; vinóqe ſumpto frontem ſolvi; juxta illud Naſonis *art.l.1. rugáqe frontis abit*; nemo eſt qi neſciat. favet etiam interpretationi huic dictionis facies immutata. neqe enim dixit, *et oleum, qod hominis faciem nitere faciat,* ſicut de *vino, & vinum qod cor hominis exhilaret*; de *pane, & panem, qi cor fulciat*; ſed, ἀυτολιξεὶ, prout Vatablus poſuit, *ad nitere faciendum faciem ab oleo,* vel *præ oleo.* Aliò tamen abſcedunt, qod dixi, interpretes plerique, qi ad *olei* uſum referunt. Ita Hebræi doctores, Jajrus, Eſdraides, Camius; qi de facie oleo ungendâ, unde nitidior fiat vultus, unanimiter exponunt. qo ſpectant illa Hymn.23.v.5. & 92.v.10. Eccleſ.c.9. v.8. Matth.c.6. v.17. qanqam Camius etiam de olei eſu exponit, acſi oleo veſcentibus facies nitidior redderetur; qin & de lucernis adjecit, qibus accenſis, facies noctu qoqe illuſtratur. Græci pariter LXX. Ἵ ἱλαρύναι πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ. Symmachus: χίλβιν προσώπου ἐν ἐλαίῳ. *ut illuſtret faciem oleo.* Unde Theodoretus; Ἐλαίῳ δὲ οὐ μόνον ἔνδοθεν διαφθέγγεται, ἀλλὰ καὶ ἔξωθεν λαμπρύνει τὰ σώματα. *Oleum, non ſolùm qod intus nutriat corpora, ſed qod exterius etiam illuſtret.* Et Evſebius *demonſtrat. Evangel.l.4.c.15.* in oleo prædicat, his ipſis Lyrici verbis adductis, τὸ πίσης ἀμιγὲς ὑγρᾶς ὕλης, φωλὸς ἀυξητικὸν, πόνων διεξαπτικὸν, καμάτων ἀπαλλακτικὸν, τὸ ἔμπλεον ἀμύνων φαυλοσπιὸν, φωλὸς πίνων ἀποσίλβον ἢ μαρμαρυγαῖς, διαυγῆ τι καὶ λαμπρὸν ἢ αὐτῷ χρωμένων ἀποτελεῖν ἢ ὄψιν. Baſilius Cæſar. in *Hexamer. orat.5.* Ἀμπελος μὲν οἶνον γεννῶσα.

γυνᾶικα ἱυφραίνειν μέλλουσα καρδίαν ἀνθρώπου· ἐλαία δ χαρπὸν παρεχομένη ἱλαρύνειν δυνάμενον πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ. Latinus, qi Græcæ ſeniorum dictæ veſtigiis inhæret, *Ut exhilaret faciem in oleo.* eodémqe concedunt, vulgatam qotqot ſequntur. Sed & Calvinus, Bucerus, Muſculus, Junius, Tigurinus, Genevenſes, noſtrates. Nec ſanè neceſſarium videtur, ut à receptiore interpretatione diſcedatur. Siqidem 1. non videtur Vates ſacer, cum creaturas præcipuas ad hominis uſum conditas inſtituiſſet recenſere, *olei*, qod tam varios, tam eximios, apud ſuum populum potiſſimum, uſus ſui præbuiſſe cognoſcitur, mentionem omiſſurus; præſertim, cum nec herbam ipſam ſilentio prætermiſſam ſuſtinuerit. 2. in poeſi, lyricâ cumprimis, dictionis faciem ſubinde mutari nihil eſt novi. hoc ipſo in hymno qoties variatur? A perſonâ ſecundâ exorſus, mox ad tertiam tranſit: à participiorum uſu ad verbi formam primigeniam delabitur, verſ. 5. & cum de Deo pavca habuerit, mox v. 6. ad Deum dirigitur oratio. Sed & perſonæ partéſqe denuò deinceps non ſemel immutantur. Iſtic avtem immutatio minùs peregrina videbitur, ſi Junium avdimus, qi reliqa commatii hujus ſic vertit, *Qi vino lætificat cor mortalis,——& cibo cor mortalis fulcit.* et minùs adhuc, ſi geminam ferè in commatio proximè antegreſſo adverterimus; ſed Junium ibi repudiando; Is enim cum Muſculo Camium ſecutus לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן־הָאָרֶץ vertit, *ut depromant* (homines ſcil.) *cibum è terrâ. qia ea*, inqiunt illi, *qæ humanis uſibus inſerviunt, non ſine hominis labore ac operâ è terrâ educuntur, cum qæ beſtiis ſunt eſui, ſuâ ſponte proveniant.* qò trahunt & qod præceſſerat, לַעֲבֹדַת *ad opus ſervile hominis*, h. e. *culturâ hominis interveniente*, ſive, *operam ſuam impendente homine*, ut poſt Camium & Eſdraidem, Campenſis & Bucerus. qod alii rectiùs, *ad ſervitium*, ſive *ſervitutem*, Vulgata; *uſum*, Tigurina; *obſeqium*, Pagninus; *eſum*, etiam Camius, licet alterum illud adjiciat. neqe enim cavſſa inſtrumentalis, ſed finalis, qod & Mollerus monuit, eâ formulâ illic deſignari videtur. nec eis tamen accedo, qod & Camius ſubindicare videtur, qi illud *ad hominis ſervitium* de jumentis ſumunt, ut tam עֵשֶׂב *herba*, qàm & חָצִיר *gramen* jumentis producti dicantur, qò ea iſtis paſta & corroborata uſibus humanis

nis inſervire valeant. Verùm ad Deum pleriqe aptiùs referunt, qi *panem è terrâ producere* ibi dicitur, qo modo hoc loco *hominis vultum olei beneficio nitidum reddere.* ut *panis*, ſive *frumentum*, unde panis conficitur, ab herbis aliis, qæ uſibus humanis qoqe inſerviunt, diſtingvatur; prout & iſtæ à *gramine*, ſive *fano*, qod jumentis in pabulum cedit. phraſis certè utrobiqe eadem eſt, dictioniſqe facies pariter utrobiqe immutata, *Qi germinare facit pro jumentis gramen*; *herbámqe ad uſum hominis*; *ad depromendum*, ſive *depromendo*, i.e. *depromens*, (ſicut iſtic Junius, *nitidum efficiendo.* i. *qi nitidum efficit*) panem è terrâ. Origenes certè totam periocham ſerie continuatâ ſic protulit, *adv. Celſum l.*4. Ὁ ἐξαποστέλλων χόρτον τοῖς κλίνοσι, καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τοῦ ἀνθρώπου, ἐξαγαγεῖν (f. ἐξαγαγῶν· qanqam Hæſchelius τοῦ interſerit) ἄρτον ἐκ τῆς γῆς· καὶ ἵν' οἶνος εὐφραίνῃ καρδίαν ἀνθρώπου, καὶ ἱλαρύνῃ πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ, καὶ ἄρτος στηρίζῃ καρδίαν ἀνθρώπου. Idémqe *l.*8. Ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ αὐτοῦ προνοίας λαμβάνομεν, ἡμέρας καιροὺς, καὶ ἄρδον σταλίζουσα καρδίαν ἀνθρώπου· ἀλλὰ καὶ ποῦ τὸ ἱλαίας καρπὸς, τοῦ ἱλαρύνοντος πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ. Parilem certè ſyntaxeos immutationem obſervat Piſcator in Eliphazi verbis Jobi c.5.v.10,11. *Qi dat pluviam in faciem terræ, & mittit aqas in faciem fundorum.* לָשׂוּם *ad ponendum* (h.e. *qi ponere comparatus, ſive talis eſt ut ponas.* Piſc.) *depreſſos in excelſo*; *& pullati attolluntur ſalute.* ſive, *ut pullati attollantur* (ut Joſh.c.24.v.9. & Mal.c.1.v.9.) *ſalute donati*, ut Eſajæ c.38.v.17,21. fruſtra enim ſunt, qi commation utrunqe eôdem trahunt. Accedit, qòd oleum יִצְהָר paſſim nuncupatur, à צָהַר radice, inſolente qidem illâ, ſed qam lucis ac ſplendoris ſignificaturam habere, docent clariſſimè *feneſtrarum*, qæ lumen admittunt, & *meridiei*, qæ diei eſt pars lætiſſima ac lucidiſſima, nomina inde promanantia. cui finitimum & צָהַל qod hoc loco uſurpatur, nec in hac vel formulâ vel mente etiam, alibi uſpiam reperitur. itaqe Mercerus monet, qoſdam exponere, acſi לְהַצְהִיר ſcriptum eſſet. atqe ita ſanè Eſdraides, לְהָאִיר *ad illuſtrandum*; ſive, *ut illuſtret*; uti, & φαίνειν Symmachus. Accedit & qod καλὸν qandoqe oleum, ſive ungventum, Græcis nuncupari, Athenæus *dipnoſoph. l.*1. ex Criticorum qorundam ſententiâ vult, in Homeri illis ex *Iliad.*γ. *v.*392. de Paride,

Κάλλει

Κάλλει τι ςίλβων καὶ εἵματον.——

nitore, ſive *decore*. i. ungvento, *veſtibúſque fulgens*. Et alibi,

Ὡς καὶ Ἀφροδίτη κάλλεϊ τὰ πρῶτα κεδάιρει.

Sic Venus ungvento faciem illinit, atqe repurgat.

qem verſum reſpexiſſe opinor Heſychium: Κάλλει, τῷ μύρῳ, τῶν δ' Ἀφροδίτης. Κάλλει, *ungvento, Veneris* ſcil. ſive qo Venus eſt abuſa. ut *oleum* ſive *ungventum* ideo κάλλος ſit dictum, qòd decorem nitorémqe eo utentibus conciliet. certè, ςίλβοντας ἐλαίῳ, *oleo*, ſive *ungvento, ſplendentes*, ſèv *nitentes*, dixit poeta idem *Iliad. ς. v.596.* et, ἀποςίλβοντες ἀλείφατι, *ungvine reſplendentes. Odyſſ. γ. v.* 408. verùm de veſtibus illud, de poſtibus iſtud. Nec reticebo tamen, qod modò ſuggerit animus, exponi poſſe havd incommodè inciſum iſtud, *Vinum* ſcil. *ita cor hominis lætum reddere, ut oleo etiam ſimul faciem hilareſcere*, (qod ἱλαρύνει LXX) *ſive hilarem vultum etiam oleo adhibito, qo id effici ſolet, induere faciat*. hoc eſt, *facere* ut *hilaria agitent homines*, in qibus facies oleo inungi ſolet. צָהַל enim *exultare, hilaria agere*. Eſter.c.8.v.15. Certè in hilariis celebrandis apud Orientales illos utrumqe hoc ſimul conjungi paſſim deprehendas. Sic Salomon Eccleſiaſt.c.9.v.7,8. *Comede cum lætitiâ panem tuum; & bibe corde hilari vinum tuum. Omni tempore nitida ſint veſtimenta tua; ungventúmqe capiti tuo ne deſit.* nam מִשְׁחָה tam *ab oleo*, ſive *oleo* ſimpliciter, qàm *præ oleo*, (ut ſit מִן הַפְלָגָה וְיִתְרוֹן exceſſus & excellentiæ) poteſt ſignificare. neqe neceſſarium eſt, qod exigunt illi, ut hoc ſenſu, בְּשֶׁמֶן non מִשְׁחָה diceretur. Siqidem מִן præpoſitio cavſſam efficientem, ſive principalem, ſive & inſtrumentalem, freqentiſſimè deſignat. nec LXX malè, ἐν ἐλαίῳ. ſic adhibetur Geneſ. c.49. v.24,25. Hymn.6.v.8. & 38.v.3. & 119. v.161.

Hymni ejuſdem v.17. *In qibus* (arboribus ſcil.) *aves nidificant*: חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ *ciconiæ domicilium abietes.* nolo avt de arbore, avt de alite diſputationem inſtituere. qanqam בְּרוֹשׁ Aqila, *abietem*; Sexta editio, (Hieronymo teſte) *cupreſſum*. חֲסִידָה alii *ciconiam*; alii ἐρώδιον, *ardeam*, ut LXX. & Aqila. alii ἰξίνον, *milvum*, ut Symmachus, & Sexta, *qia is in excelſis arduiſqe arboribus nidum facere conſvevit.* Hieron. *ad Sun. & Fretel.* Hinc itaqe de *ciconiâ* ſcrupulus

inji-

injicitur: qod ea in turribus, ædiúmqe culminibus, non abietum arborúmve aliarum cacuminibus, nidificare plurimùm deprehendatur. Verùm de hoc alii viderint. Qod verò *Abietes domum* dixit, ſive *domicilia*, ut Junius, נוה *habitaculum*, Abraham Eſdraides, duplici ratione ſumi poſſe monet Druſius *obſerv. l. 6. c. 24.* Prima eſt, ut *domus* pro *nido* ponatur. qo modo Pſalm. 84. v. 4. *Etiam paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi, in qo ponat pullos ſuos.* atqe ita Camius בֵּיתָהּ קִנָּהּ *domus ejus, nidus ejus.* Cui concinit poetæ ignoti illud à Lycurgo *orat. adv. Leocratem* lavdatum,

Οὐδ' ἀγελὶα γὸ ὄρνις, ἰῶ πάσα πλόμον,
Ἄλλᾳ νεοσσὲς ἠξίωσεν ἐκλεκαῖν.

ita enim reſtituit Grotius, qod in editis ἐκλεκαῖν ἠξίωσιν, perperam editur.

Nam vaga nec ales propriam ubi ſibi domum
Extruxit, alibi parere pullitiem volet.

Sed &vice verſâ, καλία *nidus* pro *domo.* Jobi c. 29. v. 18. *Moriturus ſum in nido meo.* i. domi meæ; avt etiam *in nido.* i. in lecto, qo modo de eo dicimus, qi morte defungitur naturali, *in cubili ſuo defunctus eſt,* **he died in his bed.** Verùm ſic Heſiodus *l. 1. v. 305.*

Ὡς κέ τοι ὠρεῖα βίοτα πλήθωσι καλίαι.
Sint tempeſtivo ut victu nidi tibi pleni.

i. domus, horrea. Et *v. 299.*

——βίοτα δ' τίλω πίμπλησι καλίλω.
——*Ceres victu ſtipet tibi nidum.* i. domum, caſam. Et *v. 372.*

——τίλω διερῶσα καλίλω.
Nidum perſcrutata tuum.——

Epictetus *diſſertat. l. 1. c. 28.* Τί διαφέρ οἰκία ἀνθρώπε, καὶ νεοσσιὰ πελαργῦ, ὡς οἴκησις; *Habitationem qod attinet, qid intereſt inter hominis domum, & ciconiæ nidum?* Altera, qam poſuit Vir. Cl. explicandi ratio eſt, ut *abietes* dicatur pro, *in abietibus,* ut *novalis,* pro, *in novali,* Prov. c. 13. v. 23. *nidi enim in arboribus, non arbores nidi.* Imò *arbores* ipſæ *domus, nidi* in arboribus, qaſi in domiciliis vel cubiculis etiam *cubilia.* Maro *Georg. l. 2.*

Antiqáſqe domos avium cum ſtirpibus imis

Ernit.—— & Marone prior, à qo ipſe acceperat, Lucretius *l.1.*

Frundiferáſque domos avium.——

non *nidos*, ut Lambinus exponit, (pullos enim ii, non frondes ferunt.) ſed ſtirpes arboreſque, in qibus aves ſtabulantur nidulantúrqe. firmátqe hunc dicti Lyrici ſenſum, qòd *abietes* in plurali dixit. Nec aliorſum abit, qod apud Matth.c.8.v.20. & Luc.c.9.v.58. Chriſtus, Αἱ ἀλώπεκες φωλεὸς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις. *Habent vulpes foveas*, ſive, *latibula*, & *volucres aeriæ tabernacula*, ſive *umbracula*; arbores ac ſtirpes utiqe, in qibus ſtabulantur iſtæ, ſicut in luſtris illæ. κατασκήνωσις *tabernaculum*, ut οἴκησις *domicilium*. σκήνη ἀπὸ τῆς σκιᾶς. de ſylvâ, ſive nemore eandem uſurpavit poeſeos Latinæ princeps *Æn.l.1.*

——— *tum ſylvis ſcena coruſcis*
Deſuper, horrentíqe atrum nemus imminet umbrâ.

niſi forſan fuerit Hebræorum שְׁכִינָה qod Hejnſio placet, *ad Nonnum c.31.* & ante Hejnſium Fullero noſtro *Miſcell.l.2. c.4.* De Aſſyrio, qem cedro ingenti, ſed bipennibus ſuccíſo, confert, Ezekiel Vates c.31.v.13. *Super cadivum truncum ejus* יִשְׁכְּנוּ *habitaverunt* (ut rectè Hieron. & Jun.) *volucres aeriæ qæqe.* malè enim, *nidificabant*, Piſcat. contra qàm & ipſe Hymni hujuſce Verſ.12. nec commodè ſatis, avt Græci ἀναπαύεσθαι, *requieſcebant*, Tigurin. avt noſtri, remanned. malim ego, made abode, avt dwelt. Sed nec probare poſſum, avt Veteris, avt recentiorum verſionem, qi καταπετάσματα in Hiſtoriâ Evangelicâ *nidos* reddunt. Certè *aves cubilia ſibi nidóſqe conſtruunt*; ut Cicero *de natur. Deor.l.2. cubicula* & *domicilia* in arboribus ſtirpibúſque à naturâ ipſâ comparata ſibi offendunt; qarum in frondibus ramíſque cantillant, ut Verſ.12. Lyrodus noſter. Siqidem & citra nidos volucres etiam ἐν τοῖς κλάδοις κατασκηνοῦν h.e. *ſtabulantur*. malè enim vertunt, *nidulantur*. Ità apud Danielem c.4.v.12. ὑπεσκίαζον αὐτῇ κατασκήνωσις τῶν θηρίων τοῦ ἀγροῦ, καὶ ἐν τοῖς κλάδοις αὐτῆς κατῴκουν τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. *Subter eam ſtabulabantur* (Heb. *umbram captabant*) *beſtiæ agreſtes*, & *in ramis ejus habitabant volucres aeriæ.* Qin & avibus domeſticis in aviariis, à *cellis*, qæ cubiculorum inſtar habent, *cubilia nidóſqe* diſparatos repe-

rias

rias apud rei ruſticæ Magiſtros. Vide ſis Columellam *l.8.c.2.*

Cæterùm *vulpium* mentio Oppiani memoriam refricat mihi, qi harum luſtra ſive ſpeluncas etiam *nidos* appellat *venat.l.3.* verſibus illis,

Καὶ πυῶλὴ νάμα πυμαλοῖς ὅτι φωλεύσασα,
Ἔπλα πόλυς οἴξασα δόμυς, ζητάς τε τεκέσσι.
Vulpes cavta ſagáxqe extremis degit in antris,
Nidos ſeptiforéſqe domos ſibi qando paravit.

Hymni ejuſdem verſ.25. יָם נָרוֹל וּרְחַב יְדָיִם *Mare iſtud* dixit, ut *mare mediterraneum*, qod Judæam alluit, deſignaret, & à *mari rubro*, ſive *Edomæo*, diſtingveret; de qo Hymno 114.v.3. הַיָּם רָאָה *mare illud vidit.* itaqe melius Piſcator, *Iſtud mare magnum* qod attinet, qàm Junius, *In ipſo mari magno.* eſt enim διαφορικὸν, hoc qidem loco τὸ יָם At qod *ſpatioſum*, ſive *latum ſpatiis* Junius, Hebr. eſt *latum manibus*; (prout & de fluminibus ſpatioſis idem uſurpavit Eſajas c.33. v.21. nec eſt opus, ut cum Piſcatore, *ambabus* dicatur. qod avtem *manus* illi, *brachia* Naſo dixit. *fabul.l.1.*

——*neqe brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Qin & qod ſcriptores ſacri לְשׁוֹן יָם *maris lingvam* dicunt pro ſinu, ad lingvæ inſtar exertæ, in terras utrinqe poſitas ſemet inſinuante, Joſh. c.15. v.2. & Eſajæ c.11.v.15. idem de promontoriis, vel promontoriorum mucronibus, (nam diſtingvi hæc qandoqe ſolent) in mare projectis & procurrentibus uſurpant pariter avtores exteri, Cæſar *de bell.Gallic.l.3. Erant ejuſmodi fenè ſitus opidorum, ut poſita in extremis lingulis promontoriiſqe, neqe pedibus aditum haberent, neqe navibus.* Livius *l.37. Inde in altum lingva mille paſſuum excurrens, medium fere ſinum veluti notâ diſtingvit.* Et *l.45. Eminet in altum lingva, in qâ ſita eſt Caſſandrea. nec minùs, qàm in altum Athos mons, excurrit.* De Italiâ Solinus *c.8. ubi longiùs proceſſit, in cornua duo ſcinditur, qorum alterum Ionium ſpectat æqor, alterum Siculum: inter qæ prominentias, non uno margine acceſſum inſinuati freti recipit, ſed lingvis projectis ſæpiùs, ac procurrentibus diſtinctum promontoriis pelagus admittit.* Pacuvius *Anchiſâ*, citante Gellio *l.4.c.17.*

Id promontorium, cujus lingva in altum projicit.

Poetæ locus, vitio havd immunis videtur. Voſſius pro *Id*, *Ide* legendum avtumat, pro *lingva*, *ligna*. ego ſic reſtitui poſſe exiſtimo;

Ida, cujus promontorjum lingvam in altum projicit.

promontorjum, qadriſyllabos dixit, qomodo, *orjundi* πρισυλλάβως *l.*2. Lucretius. De Sicilià Naſo *fabul.l.*13.

—— *tribus hæc excurrit in æqora lingvis.*

qod *Faſt.l.*4. idem,

—— *tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æqor.*

Ammianus deniqe l.14. *Regiones hæ velut in prominenti terrarum lingvâ poſitæ.* Mitto reliqa. Lectorémqe ad Evſtathium amitto, qi ad Poetarum Principis *Iliad.β.* qàm plurima recenſet ex Avtoribus variis vocabula de montibus, terris, fluminibus uſurpata, qæ ab animantium membris traducta ſint: in qibus, ποταμοῦ χείλη, *fluviorum labia*: ſicut Geneſ.c.22. v.17. שְׂפַת הַיָּם & ad Hebr.c.11.v.12. τὸ χεῖλος τ θαλάσσης. *maris labium*, pro litore: Et ὀφρύς, ὀρειναί τινες ὀξυχαί. unde ὑπερφρύς ᾗ ὄρυς. Luc.c.4.v.29. qod *ſupercilium montis*, ſive *clivoſi tramitis*, Maro *Georg.l.*1. qæ eò libentiùs commemoro, qia in ſacris qoqe reperiuntur codicibus.

Hymni ejuſdem v.26. *Illic naves ambulant.* qod & Eſajas c.33. v.21. de naviculis remigio actis uſurpavit. pari planè modo uterqe, qo Cato *de re ruſtic. c.*1. (qod & Druſius advertit *qæſit. l.*3.*c.*59.) *Mare, avt amnis, qà naves ambulent.* qem locum adducit Gellius *l.*10.*c.*26. qo Saluſtium ab Aſinii Pollionis cenſurà tueatur, qod *hiſtor. l.*1. maris tranſitum navibus factum, *tranſgreſſum* dixit, eóſqe qi transfretaverant, *fretum tranſgreſſos*. nihil enim obſtare, qo minùs tam *greſſus*, qam *curſus*, avt *ambulatio* etiam, navibus tribuatur. Sed & Homerus νῆας πολυπόρους, i. *pontigradas naves*, non ſemel dixit. unde & inſularum incolæ οἱ νησῶν antiqis ναυσίποδες dicti; ὡς ναυσὶ χρώμενοι, ὅτι κ̀ ποσί. qod *navibus pedum inſtar ad itinera conficienda utantur*. Qin & idem *Odyſſ.θ.* ἀλὸς ἵππους, *æqos marinos*, naves appellat.

Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵ θ' ἁλὸς ἵπποι
Ἀνδρῶσι γίνονται, φέρουσι θ πολὺν ἐφ' ὑγρήν.
Ingreſſus celeres naves, qæ homini inſtar equorum
Sunt maris, eíſqe brevi multum æqoris emetitur.

Et

Et *Odyſſ. v.* navem à Phæacibus Ulyſſi vehendo aſſignatam πεζούρῳ ſive *quadrigæ* confert. Sed & νηὸς ἡνίοχον, *navis avrigam*, poetis pro gubernatore dictum monet Pollux, *l.1.c.9.* §.7. & Muretus qidem *Var.lect.l.1.c.11.* tanqam Homericum lavdat verſum hunc,

Φθίγξαῖο δ' ἡνίοχῳ νηὸς κυανοπρῴρου.

qem in poetæ ſcriptis tamen nondum deprehendi. Cæterùm Naſo *avrigam* pro gubernatore poſuit, *triſtium L.1. eleg.3.* verbis illis,

Sic non qò voluit; ſed qò rapit impetus unda,
Avrigam video vela dediſſe rati.

Ab Homero avtem Evſtathius Evripidem ſumpſiſſe opinatur, qod navigium ναῦν ἀπήνην, *carpentum laticeum* dixit in *Medea*; & alius, neſcio qis, ἅρμα, *currum* pro rati poſuit. qo pertinet & qod Æſchylus, in *Prometheo Vincto*;

Λευόπωρ' ὗρε ναυτίλων ὀχήματα.
Vehicula reperit lineâ alâ nautica.

Et Catullus *nupt. Pel. & Thetid.*

Ipſa levi fecit volitantem flamine currum.

Qin & ſicut πορεία ἀπὸ ἵππου; ſic & vice verſâ πλοῦς, ſive *navigatio* de pedeſtri qoqe itinere uſurpatur. Sic enim de Hæmorrhoo Nicander, *Theriac.*

Δοχμὰ δ' ὀπιπεύζων ὀλίγον δίεμαι, οἷα καρήτης,
Μίσσα ὅγ' ἐπ νάτα βαιὸν πλόον αἶψα ἑκέλλῃ,
Γαίῃ ἐπιθλίβων νηδύν.——

ubi Scholiaſtes; πλόον λέγει ἢ ὁδὸν ἢ πίζαν, ἢ πορείαν. πλόον *pro itinere pedeſtri* uſurpavit. adductis aliorum poetarum dictis geminis. Antimachi,

Τοῖσι δ' ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισιν.

Et Ariſtophanis in Γήρᾳ, de muliere junctis aſinis vectâ,

——ἀπέπλευς πρὸν ὀπὶ ἢ γυμφίον.

Aliud eſt qod de Xerxe Cicero ſtylo ῥητεικωτάτῳ dixit, *de Finib.l.2. Qum Helleſponto junctio Athóqe perfoſſo, maria ambulaviſſet, terram navigaſſet.* unde Juvenalis *ſat.10.*

Velificatus Athos;——
Suppoſitúmqe rotis ſolidum mare.——

Illud deniqe adjectum ſit, qo modo *naves* hîc Pſaltæ per ἄqor *ambulare*, ſive *incedere*; pari pacto in Hymni hujus

ejuſdem verſ.10. etiam *amnes*, ſive *fluvios* per valles *collibus* ac *montibus* interjectas *ambulare* ſive *incedere* (idem enim utrobiqe occurrit vocabulum) eidem perhibentur: qo modo & Gen.c.2.v.14. de *Chiddekel*, ſive *Tigride* fluvio dicitur, הוא הלך *is eſt qi ambulat*, ſive *vadit*. ὁ διαπορευόμενος, Græcus. h.e. qi proficiſcitur. Latinus; *qi fluit*. qod noſtri *currendi* vocabuli exprimunt. Nec Latini ſecùs qàm avt nos, avt ille. Maro ipſe Æneid.l.1. utrumqe exhibet,

--per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum.—
Et, *In freta dum fluvii current.*---

Cap. XVIII.

Turba imbellis, in bello inutilis, damnoſa. Lepores galeati, *de meticuloſis. talibus reliqorum cor emollitur. Cavtio hac in parte Moſaica Devt.20.8. Gedeoni eadem repetita, Jud.* 7.3. יצפר *ibi, qid velit.* צפר ἐξεπίζειν, manicare. *item* cingere, circumire. evolare *etiam, avis inſtar.* מהר גלעד *ibidem, qid ſit. Montis hujus ſitus.* מן poſt, ultra. *ut* à, & ab *Latinis.* verſus *item. Diſcrimen geſtus, inter bibendum, vel ore prono, vel manu cavâ, aqâ havrientium, in partes qàm diverſas trahatur. Imaginis ſuæ umbram in profluente adorantes.* geniculatio *idololatricæ impuritatis qibuſdam indicium habitum. ſtrenuitatis aliis; aliis ſocordiæ, avt intemperantiæ.* Lambendo havrire *aliis puritatis & temperantiæ; aliis ſolertiæ; aliis formidinis; contemptus aliis. Pradenſis novum aliqid proferre profeſſus, novi nihil profert. Cyrillus mendo non uno ſublato reſtituntus.* Canis in Nilo; *proverbiale. de Antonio uſurpatum. Ælianus à Pradenſi perperam expreſſus. Joſephi ad hiſtoriam ſacram aſſumenta. Pradenſis itidem.* הרחאר ἐξυπαπάτης. Libera *de conjectaneis dictis cenſura. Examinis inſtituti finis* τέλος.

Recte Vegetius *de re milit.l.1. c.8. In omni conflictu non tam prodeſt multitudo, qàm virtus.* Veriſſimúmqe Svetonii illud apud Tacitum *annal.l.14. Etiam in multis legionibus pavco*

pavcos esse qi prælia profligent. Cæterùm, *turba iners & imbellis, in bello, impedimentum magis quàm auxilium,* ut Livius *l.9.* multúmqe *ab exercitu turba distat.* Seneca *de benefic.l.6. c.31.* Proinde de Xerxis copiis ingentibus interrogatum, cordatè pronunciasse Demaratum, *multitudinem indigestam & gravem, metuendam esse ducenti: pondus enim non virei, habere.* Et de Darii turmis immensis, Aristides *in Panathenaic.* ὡς ἀληθῶς ὄχλον ὄντας, πλῆθος στρατιώτας ἰδιώτας, *turba mera cum verè essent, maximum sibi ipsos ad victoriam obstaculum fuisse.* Prudentérqe Belisarius, experientiâ id edoctus, apud Procopium *Vandalic.l.4.* ἐν τῷ πλήθει τῶν μαχομένων, ἀλλὰ τάξει τε καὶ ἀνδρείᾳ φιλεῖ διαμαχεῖσθαι τὸ τῶν πολέμιον κράτος. *Non ex bellatorum multitudine, sed ex disciplinâ & fortitudine, belli robur pensandum.* Optimo proinde consilio Moses, vel per Mosen potiùs Deus ipse, populo Israelitico præcepit, Devter. c.20. v.8. ut ad prælium profecturi, per præconem edicerent; *Si qis esset meticulosus & mollis, missâ militiâ domum reverteretur; ne reliqorum cor liqefaciendo emolliret.* qorsum enim in acie *lepores galeati?* qin & usu compertum est, cum timidum unum aliqem aliqando exercitui integro fugæ occasionem dedisse; tum & strenuum unum aliqem aciem ferè integram fugam meditantem & molientem jam, continuisse: qod & Lavaterus istic monuit. Hoc idem verò & Gedeoni in mandatis à Deo datum, qò copiarum numerus imminueretur, ut publicè proclamatum procuraret; *Si qis timidus trepidúsve, facesseret illicò, avicula instar evolando, versus,* an *ultra montem Gileadem, domúmqe se reciperet.* hoc est enim, uti ego existimo, qod locutione illâ signatissimâ dicitur, יָשׁוּב וְיִצְפֹּר מֵהַר הַגִּלְעָד Judic. c.7. v.3. Qanqam verbum צָפַר hìc alii aliter sumunt. Jajrus & Levi יַשְׁכִּים בַּבֹּקֶר *manè consurgat,* ut צָפַר sit, qod Græci ὀρθρίζειν, Vetus interpres, barbaro vocabulo, *manicare* dixit, Luc.c.21. v.38. *& omnis populus manicabant ad illum*; à צְפִירָה qod Hebræis, Ezek.c.7. v.7,10. sicut & צַפְרָא Syris, Job 7.18. *tempus matutinum* significat. Vel, inqit Camius. יִסֹּב *circundet,* montem scilicet Gilead, atqe ita ad suos redeat. ut sit צָפַר *cingere, ambire, circumdare*: unde צְפִירָה *cidaris, corona.* Esajæ c.28. v.5. qia cingit caput. Jajrum seqitur Pagninus, Tigurinus, Angli,

Angli, Genevenſes, noviſſimi. at Junius & Tremellius, *evolato.* ut ſit à צִפּוֹר *avicula*; idémque exiſtat, cum illo Hymni 11. v.1. נוֹדִי צִפּוֹר *avicula inſtar ad montem avolato.* Piſcator, *accelerato.* i.e. celeriter diſcedito. qò facit & qod Chaldæus, יִתְבַּרַח (qod vitioſum eſſe pro יִתְבָּרַח Schindlerus monuit *in Pentaglo∫∫o*) *fugiat*; qàm celerrimè poteſt, conferat ſe. Græci, qi (qod & Pagnino, ſed perperam, puto, pavſis repugnantibus, placuit) ab imperatoris edicto revulſum ad populi factum tranſtulere; ἐξωμόσαντο. hos itaqe ſecutus Latinus, ſed dilutiùs pavlò exprimendo, *receſſerunt.* mihi Junii notatio, Piſcatoris verſio, præ reliqis arrident. nam *avis inſtar avolare*, eſt fugam accelerare, feſtinè, velociter aliò ſe conferre; nec id ſine trepidationis alicujus inſinuatione tacitâ.

Ut fugit accipitrem pennâ trepidante columba:
Hoſtes qiſqe ſuos.——

Naſo *fabul. l.*1. Vide Hymn. 55. v.7--9.

Sed qid fiet verbis illis, מֵהַר הַגִּלְעָד *à monte*, ſive, *è monte*; uti ad verbum ſonat, & pleriqe vertunt. num ergò in monte Gilead copias ſuas Gedeon habebat? non, opinor. fons enim Charodi, ad qem caſtra metatus dicitur, à monte Gileadis longè diſtabat. itaqe Junius, *verſus montem Gileadis*, vertit: Vatablus, *citra*: præ qo ego, *ultra*, cum Piſcatore malim. Sic enim מִן qandoqe uſurpatur; qo modo, *à* & *ab*, Latinis, cum dicunt *à meridie*, *à ſomno*, *à prandio*, *à cœnâ*. Sic Hoſh. c.6.v.3. מִיּוֹמָיִם *à biduo*, poſt biduum. *Ultra montem Gileadis ſe conferat. eâ viâ, qæ à monte Gileadis incipit*; Piſcator. *qod peculiariter Manaſſitas Gedeonis populares attinebat*; *ſed Synecdochicè reliqos comprehendebat*: prout idem obſervavit. Qanqam non diſplicet prorſus verſio Juniana. qæ & loco parili non uno firmari poſſe videtur. ita ſiqidem idem havd ſine ratione redditur, מִקֶּדֶם *orientem verſus*, Gen.c.13.v.11. Et מִבַּעְלִי *Baalima ſude verſus.* Reg.l.2.c.6. v.2. de qo videri poterit & Fullerus noſter *miſcell.l.*1.*c.*4. Verùm Piſcator ellipſin eſſe cenſet, cum Gen.c.13. ad regionem *ob oriente* ſitam; & iſtic, prout eſt ſuprà indicatum. qod ad noſtram verſionem accedit propiùs. qi & ad illud Reg.l.2.c.2. v.9. cum Annal.l.1.c.13. v.6. videri poterit.

Porrò

Porrò ex hoc de meticulosis edicto, secessione benè magnâ consecutâ, cum ampliùs adhuc imminui bellatorum numerum Deo visum esset, Gideoni mandat, ad aqam profluentem eos omnes qi subsititerant, producat; ibi facto experimento, qonam inter bibendum gestu uterentur, eos qi aqam manu hausstam, canis instar, lambebant, sisti jubet; eis qi in genua procumbentes, bovis instar, havriebant, dimissis.

Hoc indicio qid voluerit Deus, ab interpretibus anxiè ac curiosè nimis disceptatur. Qidam ergò lambentium, canis instar, hausstam manu aqam, gestum, in partem meliorem trahunt, & vel pietati ac puritati, vel strenuitati, vel solertiæ, vel temperantiæ deputant. Jajrus, cui & Camius suffragatur, *puritati* adscribit, cum gestum alterum idololatricis impuritatibus addictorum faciat indicium. *Justos solos*, inqit Camius, *Deus voluit in hanc militiam proficisci, itaqe pollicetur se disparaturum, sive defæcaturum eos,* אצרוף *qo modo scoria à metallo disparatur*, Hymn. 66. v. 10. et Esajæ c. 1. v. 25. *ex hoc autem procumbendi gestu innotuit, qinam essent, qi Baali genua incurvaverant.* addit idem ex commentariis Rabbinicis, fuisse & hoc seculo עוברין לבבואה ex eis *qi imaginem sive umbram suam, qam in aqâ contuebantur, colerent, cidémqe se incurvarent.* Borrhaus, & Piscator *strenuitatis* signum esse volunt, qòd erecti consistentes bibant, cum procumbendi gestus *ignaviæ* deputetur. Accedit qod Liranus, & *magistralem* esse *expositionem* ait, *signum fuisse, qòd non multum sitibundi avt fatigati essent, qòd satis habebant qasi in transitu aqæ modicum manu accipere, qo refrigerationis gratiâ ora sibi colluerent. alteros contrà, qum curvatis in terram genibus super profluentem se projicerent, qò aqam copiosiùs havrirent; valdè sitibundos & fatigatos fuisse; & ab exercitu hac de causâ separatos.* Ita & Ferus: *Signum erat fessos esse, & sitim agrè tolerantes. ad bellum autem requiruntur non strenui tantùm, sed laborum sitísqe tolerantes.* Levi Gersomides *solertiæ* tribuit eorum ritum, qi è manu lingvâ suâ aqam excipiebant; vel manu etiam, ut Avgustinus vult, in os projiciebant. *Duplex*, inqit, *Deus examen institui jussit. ac priore qidem peccatores semovit. peccati enim conscientia est, qæ timidos faciat. posteriore verò ignavos & pigros. tales enim fu-*

erunt, qi procumbendo bibebant. cum geſtus alter ſolertiæ & agilitatis indicium ſit. accedit qod Avguſtinus idem *in Judic. qæſt.37. illud facilius & minore cum labore fieri* obſervat. Eôdem concedit Lavaterus; *voluit alacres habere, & laboriosos, non pigros. pigritiæ autem indicium eſt, ſi qis in terram deſidet, cum aliqid eſt colligendum; ita qi bibiturus ſe in torrentem projicit.* Et Bucerus, *videtur hominis ignavi procumbere ad bibendum; et ſolertis, havrire manu.* Alii, Procopio autore, *temperantiæ* hoc tribuunt, qòd *aqam manu cavâ parcè excipiunt, non autem corpore provoluto, bonm inſtar, os profluenti immergunt.* qod Nicander in *alexipharmacis* v. 496. dixit,

Ἐκ πολλαμοῦ ταυηδὸν ὀπιπρηστῶν πολὺν ἰχῆ.

Nec abhorret ab iſtâ ratione Bucerus. et omninò probat Brentius.

Ex alterâ parte ſunt, qi geſtum hunc, *canis inſtar lambendi* in adverſam mentem rapiant. Avguſtinus itaqe *contemptus* indicium facit, qia *canis nomen in contemptus* ſignificatu ſolet adhiberi. Matth. c.15. v.26. & Reg l.1. c.24. v.15. ita contemptibiles Deum & ignobiles eligere, qorum miniſterio opera magnifica edat, in majorem ſui gloriam. Cor.ep.1. c.1.v.26. Theodoretus *in Judic.qæſt.16. ignaviæ & ſocordiæ* aſſcribit. Græca, qò emaculem, exhibebo. Ἅπ πλεῖσον εἰς γόνυ καθίσαι καὶ πιεῖν δόλον (leg. πεπωκότων) ζωὴ δόμως· ἅπ δὲ τριακοσίων ἅπ τὸ μὲν δι' ὅλου ἐ πεπωκότων, τῇ δὲ χερὶ ἅψα (leg. τὸ νᾶμα) προσενεγκάντων τῷ στόματι, τούτους μόνους ἐκέλευσεν ὡς ἀργὰς καὶ νωθεῖς καὶ ἅπ ἀκριβῶν ὁρμῆσαι· ἵνα γένηται δῆλα πᾶσιν ἡ θεία ῥοπή. *Cum plures eſſent qi in genua demittendo ſe biberent; trecenti tantùm ſupereſſent, qi per ignaviam id non facerent, ſed manu laticem ori admoverent; hos ſolos tanqam ignavos & ſocordes in aciem adverſus hoſtes procedere jnſſit: qò momenti divini vis magis pateſceret.* Eôdem ferè concedunt, qi Procopio lavdante, factum hoc aqam lambentium temeréqe havrientium de eorum *imbecillitate* interpretantur, qaſi *ſegnes* Deus *laborumqe impatientes* delegerit; utpote *qos genua inflectere, ac brevem ſiti finem imponere pigunerit, qíqe timidè ac tumultuariè qaſi rapuerint.* qò videlicet totum opus divinæ gratiæ eſſe videretur.

Hos

Hos ergò si legisset Lavrentius Ramirez, non aliter longè historiam factúmqe hoc accipere ac interpretari profiteretur, in *Pentecontarcho c.*33. qàm explicatum invenisset. *Volebat*, inqit, *seclusis fortissimis, periculosum & maximum bellum, non exercitatis militibus, conficere. qum igitur Madianitæ ab oriâ flumen considerent, qi cum Gedeone cis flumen erant, sitibundi, ad flumen accurrerunt: ex qibus, qi ex hoste proximo timorem conceperant, partim incurvi & penè stantes manu aqam in os ingerebant; cæteri verò nihil hostem proximum timentes, genibus in ripâ flexis, ipso ore aqam hauriebant. Canum autem similitudinem timidis militibus mirificè qadrare. canes enim è fluvio bibituros, si in fluvio senserint esse animalia, à qibus timere possint, raptim & currentes lambitare consveviſſe, ne deprehendantur. unde natum proverbium, Tanqam canis in Nilo.* Ælianus *Var. hist. l.*1. *c.*4. Καὶ ἐκεῖνο ἡ κυὼς Αἰγυπτία τὸ σοφὸν. ὡς ἀβρόως, ὡδὲ ἀνέδην, ὡδὲ ἐλαθέως ἐκ τοῦ ποταμοῦ πίνουσιν, ὀπωπότες ἅμα, καὶ ὅσον διαφῶσιν λάπτοντες. φοβοῦνται γὰρ τὰ ἐν αὐτῷ θηρία. Φοβοῦνται δὲ ὄχθας, καὶ Φαλλόμενοι πίνουσιν, ὅσον ὁρπάσαι, καὶ πάλιν εἶτα ὕστερον ἐκ διαλειμμάτων ἐκορέσθησε, ἢ μὴ ἀπόλοντο, καὶ νῦν καὶ ἠκήσασιο τὸ λάθρον. *Et illud Canis Ægyptii sapientiam refert; qòd non confertim, non affatim, non liberè bibunt; proni simul incumbentes, & qantum sitiunt hauvientes: metuunt enim* (φοβοῦσι, malè Pradensis, *vident*) *qæ in fluvio sunt bestiæ. (feras* enim hîc nullus dixerim) *prætercurrunt itaqe ripam & furtim raptimqe per intervalla bibunt. ita per interstitia satiati, nec pereunt, & sitim nihilominùs restinguunt.* Plinius *l.*8. *c.*40. *Certum est juxta Nilum currentes lambere, ne Crocodilorum aviditati occasionem præbeant.* Qibus adjici poterit illud ex Macrobii *Saturnal. l.*2. *c.*2. *Post Mutinensem fugam qærentibus qid ageret Antonius, respondisse familiarem ejus qendam, Qod Canis in Ægypto; bibit & fugit.* Josephum demùm advocat, à qo istud havsit, *antiq. l.*5. *c.*8. cujus hæc sunt verba. "Ινα μάθωσιν ἑκάστας ἡ αὐτῶν τὸ ἔργον, ζωσεβόλδα πρὸς μισθὸν ἡ ἡμέραν, ἐν ἀκμῇ ἡ κύυμα ὅλον, ἄγειν ἡ σφπὰν ὅση ἡ ποτιμὸν, καὶ πρὸ μὲ καταχλιθῆναι καὶ ὕπνου πίνοσας, ἐυφύχως, ὑπολαμβάνειν· ὅσοι δ' ἂν ἐπαδσμένως, καὶ μὴ δορύβω πίνοντες τύχοιεν, τύτες νομίζειν ὑπὸ λειτίας ἡ πάχειν καὶ καλαπλησθῆας πρὸ πολεμίου. *Ὁ opis divina rem esse*

addiſcerent; Gedeonem juſſit Deus die medio, cum æſtus vigeret maximè, ad fluvium exercitum adducere; eóſque qi procumbentes biberent, pro viris ſtrenuis habere; qi verò feſtinè ac tumultuariè potum ſumerent, eos exiſtimare per ignaviam metu hoſtium hoc facere. Subdit deniqe Gedeonem experimento hoc ex Dei mandato facto, trecentos deprehendiſſe, Ἅ χερσὶ μὴ φόβῳ προσενεγκάμενος τὸ ὕδωρ πιπασγμένως. *qi aqam præ metu manibus ſuis tumultuariè ſibi admoverent.* Hæc Joſephus: qæ, ſi ea demas qæ de *æſtu diei, militum ſiti, hoſtium metu, indicio ſtrenuitatis vel ignaviæ divinitùs dato*, hiſtoriæ ſacræ de ſuo ſolens inferſit, eadem ſunt planè cum eis qæ tum Theodoretus, tum Græci illi qos lavdat Procopius, de his geſtibus ſtatuerunt. eodem avtem cum illis loco habendum, qod de *hoſtium vicinitate* Pradenſis *ex adverſâ fluminis orâ caſtra metantium.* cum inter Iſraelitarum & Madianitarum caſtra fluvium interceſſiſſe, fiat minùs probabile, à Gedeonis ad Caſtrorum hoſtilium extremitatem deſcenſione factâ. verſ. 11. Sed nec veriſimile eſt, non ſummo potiùs mane, qàm ipſo meridie, ad aqas, periculum facturum, ſuos eduxiſſe Gedeonem, cum tot millium luſtratio horarum non pavcarum negotium neceſſariò extiterit.

Verùm ſi ſententias has, qæ adverſâ fronte arietant, de *ſtrenuitatis* & *ignaviæ* indiciis, committere & ſecum invicem componere voluerimus, favebit poſteriori, qòd Deo hoc medio uti placuerit, qò populi ſui arrogantiam ſolennem compeſceret, ne ſibi tribuendo, operi divino derogaret. פֶּן־יִתְפָּאַר עָלַי inqit. Græcè μή πολε καυχήσηται ἐπ' ἐμέ. elegantiùs poterat dixiſſe, μή πολε καταφρυάξηται μου. qo verbo uſus legitur Epicurus apud Marcum Imper. *commentar. l. 9.* §. 39. meliúſqe Vetus interpres, *ne glorietur contra me*; qàm Junius, *ne gloriam aſſumat ſuper me*: & meliùs forſan adhuc poſſet, *ne adverſus me ſeſe efferat.* qod Jajrus ex Gallicâ lingvâ **Vaunter**, nos diceremus, **Vaunt themſelves over me, or againſt me.**

Meam interim ſi qis de his tam variis conjectamentis ſententiam exqirat; Jajri & Camii illa de ritibus idololatricis commentum putidiſſimum exiſtimo; reliqa omnia arguta & curioſa nimis. Dei conſilium ſimpliciter fuit, qàm pavciſſimis

ſimis avxiliis, atqe adminiculis humanis negotium iſtud tam grande, tam glorioſum conficere; ut ad ſeſe honorem ſolidum rei geſtæ traheret. ejuſmodi itaqe examen inſtituendum mandavit, ex qo adhibito portio præ reliqis minuta admodùm ad opus hoc exeqendum deligeretur.

Cap. XIX.

Hymni 60. & 108. *commatii* 10. *membra duo diſcuſſa & explicata. De Moabitis prius.* סִיר רַחְצִי olla lotionis mea; *non*, meæ. **my washing-pot**; *non*, **washpot**. ἰλπόδ& *Græci, qâ ratione. Chaldæus qid voluerit, incertum. Ad paludes Moabiticas alluſum qibuſdam videri. De terrâ ſanguine tingendâ, interpretati nonnulli. de âbſtergendo, olla inſtar, alii; de ſervili ad pedes lavandos miniſterio, alii. Vaſa potiùs qàm ſervitia ſpectari. In vilitatis & contemptus notione* matula, pelluvium, πλυνὸς. *inde* πλύνειν, convitiis inceſſere; &, πλυνὸν ποιεῖν, pro pelluvio habere. exitium *unâ cum* ſervitio *deſignari, minùs placet: qâ tamen ratione admitti id poſſit. Senſus ſimpliciſſimus qis. Numinis cujuſpiam ſimulacrum ex pelluvio ſordibus excipiendis priùs adhibito, Amaſidi, commento ſcito confectum. Simulacrorum ſorores, germanaqe materiæ, vaſcula qelibet. Minutius ex conjecturâ reſtitutus. Materia ea è ſimulacris & ſtatuis, in vaſcula ejuſmodi nonnunqam redire denùo. et Lyrodo imagine illâ huc forſan alluſum.* ex eiſdem, matulam calicémqe confieri, poculum pelluviúmqe conſtare: *Græcis diverbia. Ad alterum de Edomæis membrum tranſitur.* Super Idumæam calceum projicere; *ſubjectionem, ſive poſſeſſionem deſignare qidam volunt.* poſſeſſionis *ratio juriſtis nonnullis data, inepta. Tractationem ignominioſam pleriſqe videri. corporis, cervicis maximè conculcationem, nonnulli. à qâ diverſum videri,* hoſtium cervices dare, *Hymn.* 18. 40. *Pontificem Romanorum hac in parte exceſſiſſe, Caligulæ faſtu faſtuoſior.* Epigri, & epiuri, *qi, & unde.* ὀπίκωσι, & ὄπισθι, clavi, compages. *Seneca & Auguſtinus pariter emendati.* Calceum in os projicere; calceo ex-

dore; ſoleâ objurgare, Sandalio commitigare, *contemptus, Indibrii, contumelia res.* βλωτῦν, *eâ notione, unde.* Sculponeæ, *qæ, & unde dicta. Fulgentii error ridiculus. Ea Græcis* κρηπίζια. *Charitæ facinus. ad* calceum ori impactum, *à Pſalte alluſum qi ſentiant. ad locum obſcurum ſordidúmqe alii, in qem calcei luto conſpurcati conjiciantur. alii ad miniſteria* ſoleis induendis, demendis, deferendis, *geſtandis aſſignata. qibus inſuper* detergendis *adjici poterit; qod eſt illis vilius etiam miniſterium. Ita Moabitis pro pelluvio, Idumæis pro peniculo, eis ſaltem qi à peniculo, abuſurus ſignificetur. Petr. Ciaconii lapſus in Flaminii nomine; Feſti & Iſidori in* Cernui *ſignificatu.* cernuus *qid velit.* ποδόνιπτρα *qænam. id vocabuli ex Æſchylo, ejuſdémqe ſcholiaſte Lexicis Gloſſariiſqe donandum.*

HYmno 60. verſ. 10. qod & Hymn. 108. v. 10. Moab סִיר רַחְצִי *pelvis mea,* ſive *pelluvium meum.* Aqila, λέβης ἀπορίας μου. Syrus apud Theodoretum, ﻣﺮﺣﻀﺘﻲ ﺩ ﻣﻮﺑﻴﻮﺱ ﻣﻮ. apud Scholiaſten, λεκάνη. Hieronymus loco altero, *lebes pelvis meæ*; altero, *olla lavacri mei.* ad verbum eſt, *olla lotionis mea.* ita malim, qàm cum Junio, Piſcatore, aliiſqe *meæ.* Sic Hymn. 15. v. 1. *in monte ſanctitatis.* i. e. *ſancto*; *meo*, non, *meæ.* et Hymn. 59. v. 10, 17. *Deus benignitatis.* i. e. benignus; *meus*, non, *meæ.* Mitto Symmachum, qi longiùs pavlò abſcedens, reddidit, λέβης ἀμεριμνίας μου, *lebes*, ſive *olla, ſecuritatis meæ.* Sed & LXX. qos nuncupant, & hos ſecutum Vulgatum interpretem, qi vertunt, λέβης ἐλπίδος μου, *olla ſpei meæ.* qaſi סִחִי legerint, inqit Brentius, qod ſignificat *ſpem meam.* Sed potiùs, qod Schindlerus opinatur, qaſi eſſet à Chaldaico סְחָא *ſperavit.* Chaldæus; *Ex conſilio Moabitarum tingentur pedes mei in Edom fortes ipſorum erunt inſtar ollæ lotionis mihi.* Et in altero loco, *Conculcavi Moabitas tanqam ollas lotionum.* Ut qid voluerit, havd ita liqidò pareat. Hinc tamen traxiſſe videntur, qod de copioſâ ſangvinis effuſione deſignatâ intelligunt Genebrardus & Lorinus. ut ſit geminum illi Hymn 68. v. 24. *ut immergas pedes tuos in cæſorum ſangvine.* Et Hymn. 58. v. 11. *pedes ſuos lavabit in ſangvine improbi.* Abraham Eſdræ; *Abluam terram illo-*

illorum, tanqam ollam. Cui convenit, qod urbi Hieroſolymitanæ comminatur Dominus, Annal.l.2.c.21.v.13. *Abſterſurus ſum Hieroſolyma, in modum lancem abſtergentis, qi ubi abſterſerit, in os ſubvertit eam.*

At pleriqe aliô eunt. Brentius; *Utar ipſis ad ſerviliſſima opera; qale eſt lavare pedes è pelvi.* Mollerus itidem: *Ad viliſſima qæqe officia abutar horum operâ. lotiones enim pedum in uſu communi erant Orientalibus: & ad hanc rem utebantur operâ miniſtrorum & ſervulorum.* Hinc Abigajil, Davidi Regi in uxorem poſcenti, Reg.l.1.c.25.v.41. *Ecce ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes ſervorum Domini mei.* Et Chriſto Domino, Petrus, Joan.c.13.v.6. *Domine, tu mihi pedes lavas?* te tam vili & abjecto adverſus me fungi miniſterio à Nec abſcedit longè, qod noſtri vertunt; **Moab is my wash-pot.** qod nos vocabulum de ſervis mediaſtinis uſurpamus; qorum ad ollas & paropſides in culinâ proluendas & abſtergendas operâ abuti conſvevimus. Plavtus *Curcul.act.4.ſc.4.*

Non pluris facio qàm ancillam meam, qæ latrinam lavat.
vel etiam, *qæ in latrinâ lavat.*

Verùm vaſa potiùs qàm ſervitia Vates videtur alluſiſſe. Meliùs itaqe Ajnſvorthus noſter reddidit, **My washing-pot.** olla in qâ loturus ſum. Nec deſunt, qi ad paludes Moabiticas, qæ in eâ regione freqentes, reſpectum habitum exiſtiment. qod & Mollerus avtumat. Nec aliter Strigelius; *Vocat ollam lavacri, propter loca irrigua.* Salomon Jajrus, *Abutar eorum miniſterio, tanqam vaſe ahneo, qod lotioni deſtinatur. Nec dicit,* inqit David Camius, *ollam in qâ coqunt & alimenta parant; ſed ollam in qam aqam mittunt, qâ Vaſa proluant, qàmqe ad corporis ſui uſum adhibeant.* Rectéqe obſervat Druſius *proverb.claſſ.2. lib.3. adag.65. ollam lotionis. h.e. pelluvium, labrum, eluacrum, vas in qo ſordes eluuntur & deponuntur, pro re vili & abjectâ uſurpari.* qo modo *matula* eſt Plavto uſurpata, *Perſ.act.4.ſc.3.*

— nunqam ego te tam eſſe matulam credidi.

pro homine contemptiſſimo, dignóqe qi pro matulâ habeatur. qod idem & Græcis μαγειροδαῖς in eandem mentem uſurpatum, argumento eſt Luciani illud, in *lib. de mercede*

con-

conductis ſtudioſis; οὐδὲν ἦν ὅτ' αὐτοὶ δεινὸν πάσχοιεν ἄν, ὅτ' ἐκεῖνοι ὑβρισταὶ λοιδοῦν, ὡς τὸ ἀμίδα, φασὶν, ὀνομάζοντες. *Nihil ergò aut ipſi grave perpeſſi ſunt, aut iſti contumelioſum perpetrarunt, in matulam, quod dici ſolet, immejentes.* Certè, quod ad Vatis ſacri vocabulum accedit propiùs, πλωὸν, h.e. *ſolium*, ſive *eluacrum*, in opprobrii ac contumeliæ ſignificatu uſurpant Græci. Pollux *l.7.c.11.* Ἀπὸ δὲ πλωοῦ καὶ τὸ λοιδορεῖν πλύνειν. καὶ πλωόν με ποιεῖς, ἢ κωμῳδία φησὶν, ἤγουν ὑζονειδίζεις, ἢ αἰσχύνεις. πλωὸν ποιεῖν (nam diverſum quiddam eſt τὸ πλύνειν) idem prorſus ſonat, quod Lyrodo noſtro, *pelluvium facere*. Comici locus, qem Grammaticus, puto, in mente habuit, eſt Ariſtophanis *Plut* 4. 5. ubi Anus ab adoleſcente contumelioſè habita,

Ταλάντατ' ἀνδρῶν, οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς,
Πλωόν με ποιῶν ἐν τοσούτοις ἀνδράσιν.

h.e. vertente havd incommodè Friſchlino;

Satin' ſanus es, homo infortunatiſſime,
Qi præſentibus adeo multis ex me labrum
Facis, in qo ſordes & maledicta tua eluas.

Junio, & *exitium*, & *ſervitium*. etiam *ſordidiſſimum*, ſimul deſignari, placet. *Adeò*, inqit, *deſpectus & abjectus eſt mihi, ut eum liberè defringam, qaſi teſtam; & ſi qos voluero ſervare, ad ſordidiſſima miniſteria cogam.* digitúmqe intendit ad hiſtoriam, qæ habetur Regum l.2. c.8. v.2. qo loco David Moabitas legitur, qoſdam neci deſtinaſſe, reliqos ſuperſtites dimiſiſſe, qi ſervi illi facti ſint, & munera eidem adduxerint. Favere poſſit videri, qod Hymn.2.v.10. dicitur, *Sceptro ferreo confringes eos, & ſicut vas teſtaceum diſſipabis.* Sed coactior eſt pavlò hæc interpretatio, cum olla teſtacea, ubi confracta fuerit, nulli ampliùs ſit uſui. Eſajæ c.30. v.14. *Franget eam, prout frangitur lagena teſtacea, ex qâ contuſâ non habetur teſta, qâ ignis è foco ſumatur*, avt *aqa è lacunâ hauriatur.* et multò minùs olla teſtacea in particulas comminuta, pedum lotioni inſervire poterit. feſtivè Dunelmenſis noſter: (metro, ſpero, venia dabitur)

Lapſa feneſtra luit. Scyphus, urna luunt: nihil illa,
Qo teneat; nihil hic, qo teneatur, habet.

Sed nec admittere videtur formula ipſa de Moabo indefinitè uſur-

uſurpata, ut hac ratione de Moabitarum aliis, illâ de aliis accipiatur. Quanquam nec abnuerim, tam diffringendi, quàm & diffingendi mentem aliquam ſubeſſe poſſe: verùm ut diffingi idem illud innuatur, quod eo fine utique quo diffingeretur, diffringi inſinuatum ſit; eo, quem mox indicabimus, modo. Senſus ſimpliciſſimus, et, ut mihi videtur, genuinus planè, eſt iſte; Moab mihi, non χερνίπτρα, ſive *malluvii*, in quo manus lavantur; quod honeſtius eſt pavlò; ſed ποδονίπτρα, ſive *pelluvii* inſtar, futura eſt, in quo pedum ſordes eluuntur. h.e. Moabitis ad viliſſima & ſordidiſſima quæque miniſteria abutar; pro mancipiis abjectiſſimis habebo illos. ecquid eſt enim eluacro illo vilius avt abjectius, in quo pedum ipſorum ſordes deponuntur?

Illuſtrando loco huic facit, quod de Amaſide Ægyptiorum Rege narrat Herodotus lib. 2. Is ad faſtigium regium evectus, cum minùs honorificè à ſuis haberetur, quòd plebejus pavlo antè, ſtirpéque obſcurâ & ignobili oriundus eſſet; technam iſtam, quâ erroris ſuos admoneret, commentus eſt. pelvim avream, in quâ cum ipſe, tum & convivæ ipſius qiqe pedes abluere ſoliti fuerant, in fruſta concidit, atque ex fuſis eiſdem confectum genii alicujus ſimulacrum, in loco publico collocavit. hoc cum religione non exiguâ jam colerent Ægyptii, convocatos monuit, ſimulacrum illud, è pelvi illâ factum, in quam priùs veſiculam, & ventriculum etiam, interdum deonerare conſveverant, idem avtem ſibimet ipſi, quod pelvi illi, contigiſſe. itaque qamvis plebejus & ignobilis ante fuiſſet, regi tamen jam deſignato cultum regium deferendum. Alluſit eô Minucius in *Octavio*. *Deus*, inqit, *æreus vel argenteus de immundo vaſculo, ut ſæpius factum Ægyptio regi, conflatur*. At *avreum* Herodotus, & *avreus* forſan Minucius ſcripſerat. Sed & pro eo quod *ſæpius* exhibetur, fortean *legimus*, vel *ſcimus*, fuerat. etenim ſemel id duntaxat Amaſidi factum memorant hiſtorici. licet aliâs idem non raro uſu venire potuerit, ut ex ſupellectile ſive familiæ inſtructurâ iſtiuſmodi numinum ſimulacra conficerentur. Prudentius de *coron. hymn.* 10. ſub Romani perſonâ deridens Ethnicorum Deos conflatiles:

Quos trulla, pelvis, cantharus, ſartagines,

Fracta & liqata contulerunt Vaſcula.

Proinde nec inſcitè Septimius; *Apologet. c. 12. Deorum ſimulacra* nihil eſſe aliud, qàm *materias ſorores vaſculorum inſtrumentorúmque, qaſi fatum conſecratione mutantes, licentiâ artis transfigurante.* Et Septimio prior Philo *de vit. contemplat.* Τῶν ξοάνων καὶ ἀγαλμάτων αἱ ὑσίαι, λίθοι καὶ ξύλα, τὰ μὲν ἐχει ἐκ μικρῶν πελίους ὄμορφα, λιθοτόμων καὶ ἀρυστόμων ἢ ζυμφυλας ἀυτὰ διακοφάντων, ὧν τὰ ἀδιλφὰ μέρη καὶ ζυγγενῆ λατεχάρεσι χαλκέων καὶ ποδονιπτῆρα, καὶ ἄλλα ἄπλα ἢ ἀπιμοτέρων, ἃ ἐκεῖς τὰς ἐν σκότῳ χρείας ὑπηρετεῖ μᾶλλον, ἢ τὰς ἐν φωλῖ. *Sculptilium ac ſimulacrorum ſubſtantiæ ſunt lapides & ligna, donec à congenitâ materiâ cæſorum ſculptorúmque operâ reciſa fuerint, informia prorſus, qorum germanæ cognataque partes in labra, pelluvia, aliáque notæ ignobilioris concedunt, qæ tenebrarum potiùs qàm lucis uſibus inſerviant.* Et vice verſâ de Sejani ſtatuis Aquinas *ſat. 1.*

——*deſcendunt ſtatuæ, reſtímque ſequuntur.*
Jam ſtrident ignes, jam follibus atqe caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe ſecundâ
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patella.

h.e. vaſa viliſſimo ac ſordidiſſimo uſui cuivis deputata. Nec abſcedit longè Græcorum recentiorum diverbium illud, qod reperitur apud Theodorum Metochit. *hiſt. l. 2.* & apud Conſtantinum Manaſſem *in ſynopſi hiſtoricâ*;

Ἀμὶς καὶ πυπτίων ἐκ τ' ἀυτῆς ὕλης.
Matulaque calicéſque eodem confiunt vitro.

Cui & iſtud attexit Manaſſes ille;

Ποδονιπτῆρ καὶ κύπελλον ἐκ τ' ἀυτῶν χεημάτων.
Pelluviúmque poculúmque eiſdem conſtant uiraqe.

Iſta ergò planè Regis Lyrodi mens fuerit, ſe regnum Moabiticum, qod ſtatuæ magnificentiſſimæ, ex auro æreve Corinthiaco confectæ, aut vaſis pretioſiſſimi atqe honoratiſſimi, inſtar jam habeat, confractum in fornacem miſſurum, ut in matulam aut pelvim refingat denuò, qæ uſibus qam ſordidiſſimis qibuſvis adhibeatur.

Sequitur de Edomo עַל־אֱדוֹם אַשְׁלִיךְ נַעֲלִי qod Græci LXX. vertere, ἐπὶ τ' Ἰδυμαίαν ἐκτενῶ τὸ ὑπόδημά μου. Latinus Vetus;

Vetus; *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Hieronymus loco altero, *Super Idumæam incedam calceamento meo.* altero, (quod alii plerique ſequuntur) Hebraicam originem propius: *Super Edom projiciam calceamentum meum,* ſive *ſandalium meum,* ut Chaldæus loco altero. Hoc avtem ad ſubjectionem alii, alii & ad contumeliam pariter, prout & de Moabo prius illud, trahunt; ſed ratione diverſâ. Alii de ſubjectione tantùm dictum intelligunt. qaſi diceretur, *Edomiticam terram ſubjiciam mihi.* qod & factum legimus Reg.L2.c.8.v.2. Fr. Vatablus: *calceamentum projicere* eſt *pedem immittere. Pedem* avtem *immittendo poſſeſſio acquiritur; ſaltem tanqam ſigno teſſerâqe uſitatâ deſignatur.* Joſuæ c.1.v.3. Deus eidem; *Locus omnis qem calcaverit planta pedis veſtri, in poſſeſſionem vobis ceſſurus eſt.* et Calebo Moſes, ibid.c.14.v.9. *Terra, qam calcarunt pedes tui, in hæreditatem tibi tuiſqe concedet.* qaſi pedem in eâ ponendo, jam occupaſſet, dominúſqe ejuſdem inſtitutus eſſet. unde & Juriſtæ qidam *poſſeſſionem,* qaſi *pedis poſitionem* dictam fingunt. qod eruditiores tamen meritò repudiant ac refellunt. Videantur Andr. Alciatus *de 5 pedum præſcript. de verb. & rer. ſignific. & diſtinct.l.1.c.1.* Jo.Gœddæus, *de ſeqeſtr.poſſeſſ. & fruct.§.23.* & Scip. Gentilis, *origin.c.50.* Favet his qòd Veteres, Græcus & Latinus, *extendam,* non, *projiciam,* ſed minùs commodè, vertunt. et in eandem mentem Brentius: *Super Edom proferam calceamentum meum, ſubjectionis,* inqit, *eſt deſcriptio: proferre enim calceamentum, eſt proferre imperium, & ſubjicere tibi terram, qam pedibus tuis calcaveris.* Alii ulteriùs trahunt, & ad tractationem ignominioſam extendunt. *Subjectionem contumelioſam ſignificat,* inqit Mollerus. Junius itaqe; *avdaciter conculcabo.* Chaldæus: *ſuper junctvram cervicis ſtrenuorum ejus calceum meum injiciam.* qemadmodum Regum Canaaniticorum *cervices* Joſua ſuis *conculcandas* dediſſe legitur cap.10.v.24. qò facit & qod de *hoſtibus* ſuis *conculcandis, luti inſtar,* habet Rex idem ἀνρωπὸς Hymn.18.v.38,42. qanqam aliud eſſe poteſt illud ibid. v.40. *Cervices hoſtium meorum tradidiſti mihi qò oſores meì diſperderem.* fugam enim fuſorum innuere videtur, in qâ cervix obverſa, perſeqentibus

patet, & ad ictum letalem infligendum objicitur. Camius; & ex R. Moſe Eſdraides; *Conculcabit eos pes meus: erúntqe inſtar ſcabelli pedibus meis.* Ut Conculcationem ejuſmodi contumelioſam deſignet, qâ Chriſti hoſtes *in ſcabellum pedibus* ipſius diſpoſitum iri denunciatur. Hymno 110. v. 1. qo modo & Valerianum Imper. Romanum Sapores Perſa, Romanum Diogenem Belphecus, Bajazethem Tamerlanes Scytha, bello captos, ſcamni loco adhibuiſſe, equm inſcenſuri, perhibentur. Narrant Trebell. in *Valer.* Oroſius *hiſt. l.* 7. *c.* 22. Fulgoſ. *memorab. l.* 9. *c.* 5. & Egnat. *de Imperat. Rom. l.* 2.

At Mollerus; *Idumæos non ſubjiciam tantùm, ſed etiam cum contumeliâ qadam, ipſorum miſerias aliis oſtentabo: ut cum qis alicui ſuperbè inſultans, calceum inter feriendum in eum projicit; ſignificans ſe hunc non tantùm contemnere, ſed etiam ludibrio habere, atqe aliis ridendum proſtituere.* Illiuſmodi fuit, qod Alexander 3. Pontifex Romanus Frederici majoris Imperatoris ſuppliciter inclinantis ſe cervicem per ſuperbiæ exceſſum vix credendum, havd ferendum certè, faſtuoſiſſimè calcavit; adjecto ſimul Hymnodi verbis illis, ex Hymno 91. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum incedes; Leonem ac dracontem conculcabis.* Referunt Jacob Bergom. in *ſupplement.* Navcler. *gener.* 20. & Papyr. Maſſon. in *Alex.* 3. Hujus qod Cœleſtinus 3. Henrico Imperatori coronam Imperialem, qam capiti illius, non manuum, ſed pedum uſus operâ impoſuerat, pedibus denuò eiſdem per ludibrium à vertice deturbavit. Id teſtantur Ranulph. *polychron. l.* 1. *c.* 26. & Rog. Hoveden. *annal. part.* 2. in *Richard.* 1. ex qo etiam laudat probatqe Baronius Cardin. *Annal. tom.* 12. *ad Ann. Chr.* 1191. §. 10. De pedis ſoccíqe Pontificii oſculo, qo nihil familiarius, nihil freqentius, Regibus etiam ac Imperatoribus ſummis imperato, non admiſſo tantùm, nihil ipſe dico. qo tamen loco habuerit Seneca, qod Cajus Imperator Pompejo Penno pedem oſculandum porrexerat, docet ipſe *de benefic. l.* 2. *c.* 12. *Qi excuſant*, inqit, *& negant id inſolentiæ cauſſâ factum, ajunt ſoccúlum avratum, imò avreum, margaritis diſtinctum, oſtendere eum voluiſſe. ita prorſus: qid hic contumelioſum eſt, ſi vir conſularis avrum & margaritas, & alioqin nullam partem in corpore ejus electurus, qam puriùs oſculare-*

tur,

tur, oſculatus eſt? homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Perſicâ ſervitute mutaret; parum judicavit, ſi Senator ſenex, ſummis uſus honoribus, in conſpectu Principum ſupplex ſibi, more victorum hoſtium jacuiſſet; invenit aliqid infra genua, qo libertatem detruderet. non hoc eſt Rempublicam calcare? Certè ſi Senatori ſoccum oſculandum præbere Imperatorem, ſit Rempublicam calcare, ab Imperatore idem exigeri Pontificem, qidni Imparium calcare fuerit? ſed pergit avtor noſter: *Parum enim fœdè furioſéqe inſolens fuerat, qi de capite Conſularis viri ſoccatus avdiebat, niſi in os Senatoris impegiſſet Imperator pigros ſuos.* ita vulgati codices. *pedéſqe pigros* dictos avtumat Turnebus *adverſar. l. 9. c. 30.* joculari vocabulo, qo deſidiam principis ſegnitiémqe notaret. Verum Tredigioni noſtro *obtuſum* hîc videtur Turnebi *acumen.* itaqe Pincianum præfert, qi *pictos ſoccos* legit; ſed ut *ſocculos* malit. Joſ. Scaliger *epigros* repoſuit. cui calculum dat ſuum Jo. Mevrſius in *Auctario Philologico, de Gloriâ diſſertationi* ſubjuncto: & *Animadverſ. miſcell. l. 4. c. 11.* ex Iſidori avtoritate, qi *origin. l. 19. c. 19.* & in *Gloſſis*; (qx eadem & Papias habet in *Vocabulario* ſuo) *Epigri, clavi, qibus lignum ligno adhæret.* eámqe vocem Avguſtino inde reſtituendam ſtatuit, *de Civit. Dei. l. 15. c. 27. et Lignum ligno per ſubſcudines,* (*ſubſcudes*, Lipſ.) *epigros* (*epiros*, vulg. ubi Vives, *vel mendoſe legitur, vel qærendum qid ſit*) *clavos & gluten bituminis non poteſt adhærere, ut fabricetur arca? Clavos* ergò intelligunt calceis impactos ſuppactóſve; & Caligulæ qidem, avreos. *Epigri* avtem iſti unde dicantur, docet Jac. Mavſſacus in *diſſertatione criticâ ad Harpocrationem notis* præfixâ. à Græcâ utique voce ἔπιγρος, ablatâ diphthongo ἔπιγρος, & verſo κ in γ, ἔπιχοι. ſic enim Heſychius. Ἐπίκυρσι, βοηδρομοι, ξύμμαχοι, ὁπλῖται· καὶ ἄλοι ξύλινοι. Qin & ὄπιγρος iidem dicti. qod & Dan. Hejnſius *lection. Theoc. c. 11.* monuit. Heſychius, ὄπιγρος, ἄλοι ξύλινοι. et mox; Ἐπίκυρος—ἡ φύλαξ ἀπὸ ξυλίνου ὄπιγρος. In *Gloſſariis* etiam; ὄπιγρ, *compages, ſudis.* Et rurſus, Γόμφος, ὄπιγρ, *ſudis.* Et Palladius *l. 11. c. 8. Oleaſtri epiurum* dixit. Neqe proinde neceſſe eſt, ut vel apud Palladium, ex Mevrſii arbitrio; pro *epiurum, epigrum* legamus; cum *epiurus* probæ notæ vox ſit; & multò minùs, ut in *Gloſſariis*,

ὑπηχῶ, *ſubſcus*; qum & literarum ſeries refragetur, & lectio eadem conſtanter tot locis reperiatur; vel ut apud Iſidorum, ex Mavſſaci conjecturâ alterâ, pro *Epigri*, *Epicuri* ſive *epiuri* reponamus. qum & iſtud apud Papiam pariter legatur, & Avguſtini patrocinio ſe tueri videatur. Hæc obiter; qia non ſunt qibuſqe obvia. Cæterùm, ut criticis hiſce miſſis aliorúmqe cenſuræ permiſſis, ad ſuperiora revertamur. Perinde habet Seneca, *Soccum oſculandum porrigere*; ac ſi *calceum* ei *cum clavis impactis in os impegiſſet*. Proinde calceum oſculandum alicui præbere, tam præbentis faſtum, qàm & ad munus id admiſſi contemptum inſinuat. *Soccum* verò *impingere*, *ſoleâve cædere*, non contemptus tantùm & ludibrii, ſed & contumeliæ res habebatur; nec niſi eis, qos pro abjectiſſimis haberi mancipiis volebant, adhiberi conſveverat. Apud Comicum *Evnucho*, *act.5.ſc.8.* ubi Thaidi ſe dedere ſtatuerat Thraſo, facturum qod jubeat, Herculis exemplo factum iri id prædicans, qi Omphalæ ſe olim in ſervitium dederat; ſubjicit ex ingenio ſuo Gnatho Paraſitus, ſed voce (ne id miles avdiat) ſubmiſſâ;

Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput.

ſandalium ſcil. avt *ſolea* ad manum præſtò ſemper aderat, qo ſervulus neqam, ubi minùs placuerat, vapularet. Inde Turpilius *Lindiâ*, apud Nonium,

Miſero mihi mitigabat ſandalio caput.

Herculem avtem ſub Omphales ſervitio agentem, Lucianus in *de hiſtoriâ conſcribendâ* ita ſolitos docet pictores depingere. ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι ἔνια ξαίνοντα, καὶ παιδισκίον ἀπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ Σανδαλίῳ. idqe Æſculapium inducit idem in diſceptatione qadam illi objicientem: ὅτι ἐδέλδου, ὥσπερ σὺ, ὅτι ἔξαινον ἔνια ἐν Λυδίᾳ, πορφυρίδα ἐνδεδυκώς, καὶ παιδίῳ ἀπὸ τῆς Ὀμφάλης χρυσῷ Σανδάλῳ. Perſius item *ſatyr.5.* amore inſano perdito adoleſcenti,

——*ſoleâ, puer, objurgabere rubrâ.*

i. ſoleâ caſtigaberis, ut pueri aſſolent. puerilis enim caſtigatio iſta, *ſocco cædi*. Apud Lucianum, de Cupidine Lunæ Venus: Ἤδη ἡ καὶ πλησὰς αὐτῷ ἐνέπτυνα εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ. Idémqe in *Philopſevde*; σανδάλῳ γε χρυσῷ εἰς τὰς πυγὰς ὥσπερ τὰ παιδία, παῖδες ἄξιοι ἂν εἶεν, οἱ ἀπεῦντες. qod Juvenalis

Sat.6.

Sat.6. de mulieribus viros ludibrio habentibus, et contumelioſè tractantibus; .

——*Et ſoleâ pulſare nates.*

nam, *ſolea*, σανδάλιον. Gloſſ. et, βλαυτῶν, Σανδαλίου πλάσεων. Heſychius. βλαύτη autem, *crepida*, *ſolea*; et βλαυλίον, *crepidula*, ſive *ſandalium*; qo utebantur, qando ornatiores eſſe volebant, uti ex Platonis *Sympoſio* diſcere eſt. Qin & apud Plavtum *ſoleæ ſculponeæ* opponitur, in *Caſinâ*, an *Caniſâ*, *act.2.ſc.8.* qi locus huc apprimè facit. Ibi ſeni neqiſſimo & libidine ex ungviculis ipſis perpruriſcenti, cum is coqo ad epulas, qas lavtiſſimè inſtructas apparatáſqe volebat, *ſoleas* (piſces nimirum) comparandas, mandaret, aſtans ſervulus, & ambiguo ludens,

Qî, qæſo, potiùs, inqit, *qam ſculponeas,*
Qibus batuatur tibi os?——

ubi, *ſculponeas*, Fulgentius Planciades, *dici volunt*, inqit, *ceſtus plumbo ligatos.* ineptè prorſus. ſunt enim *ſculponeæ*, Catoni *de re ruſtic.c.59.* memoratæ, qæ Græcis ξυλίζια, (de qibus alibi diximus) *calcei lignei*, cujuſmodi in Galliâ tenuioris fortunæ ſortíſqe vilioris plebs induitur; ruſticis vernuliſqe familiares. Unde Triptolemus *ſculponeatus*, i. e. *ſculponeis calceatus*, dum *bigas cornutas ſegitur*, à Varrone in *Serrano* (non *ſeſquiuſſe*, uti memoriâ lapſus Pareus) apud Nonium, viſus fingitur. dictæ ex non à *ſculpo* ſive *ſcolpo*, ſono fictitio qem edunt, dum per lutum craſſiuſculum incedunt ruſtici, ut Turnebus cenſet, *adverſar.l.6.c.23.* Sed à *ſculpendo*, ut rectè Henr. Stephanus; qia è ligno eſolabantur. Huic enim potiùs accedo, qàm Fr. Fernandio, qi Rob. Stephanum, & Ambr. Calepinum, qos tamen cum lectionibus vitioſis tranſcribit, havd immeritò qidem caſtigat, in *didaſcaliâ* multiplic.c.28. qia *calceos* eſſe dicunt *è lanâ confectos*, ipſe *ex corio bovino duriſſimo* vult. qod cum vocabuli notatione minùs convenit. Nec ſeciùs accipere cogit qicqam, apud Nævium, in *Philemporo*, à Fulgentio lavdatum, verbis illis;

Sculponeis batuendæ ſunt huic latera probè.

ecqid enim obſtat, qo minùs tam latera, qàm & ora, ſculponeis, ligneæ cum eſſent, non abſqe moleſtiâ ſatis inſigni, cæderentur? Vult ergò Chalinus Plavtinus, non ſoleâ è corio con-

confectâ, ceventi ſilicernio os obtundi; ſed, qò moleſtiùs ei ſit, ſculponeis id fieri, qæ & ſpurcæ ex luto cœnóqe calcato, & præterqam qod ligneæ, clavis plerumqe etiam ferreis confixæ. Sed è tricis hiſce criticis, in qas denuò imprudentes delapſi ſumus, ut nos extricemus denuò; qàm contumelioſum habebatur, in adultioribus paulò, liberis præſertim, *ſoleâ* ſive *ſandalio caſtigandi objurgandíve* ritus iſte, documentum dabit inſigniſſimum, Charitæ puellæ cujuſdam pavperculæ facinus. ea à Rege ſuo, à qo annonam in fame petebat, ſic excepta, per contumeliæ illius ferendi impotentiam, ſuſpendio ſibi ſpiritum intercluſit. Narrat id his verbis Plutarchus in *Græcis capitibus qæſt.* 12. ἐλθόσης ἡ παιδὸς ἐπ μισθᾶς, ὀρφανῆς γονέων, καὶ σκληπάσης, ἐῤῥάπτιν αὐτὴν ὑποδήμαπ, καὶ τῷ σκυτοτόμῳ τὸ ὑπόδημα σκυτέῤῥιψεν. ἡ δ, [καίτοι forſan] πνιγεὶς πις ἦσυ, καὶ ἔρημος, ἐκ ἀβυσής πε τὸ ἦθος, ἐκπεσὼν ἡυομένη, καὶ λύσασα ἡ ζώνλω, ἀνήρπσεν ἑαυτλώ. *Cum acceſſiſſet illum puella qædam parentibus orba, ſuppléxqe annonam peteret, calceo eam cædebat, calceúmqe ori impegit,* ſive *calceum ei in faciem projiciebat. At illa quoqam pavpercula & orba, ingenio tamen havd degener, è veſtigio, ubi abſceſſerat, zonâ, qam geſtabat, exolutâ, ſe ſuſpendit.* ex qibus patet, qos ſocco cædebant, eiſdem etiam, ubi avt vehementiùs exarſerant, avt conrumelioſiùs etiam adhuc tractare volebant, in os inſuper eundem projicere ſolitos. Hæc itaqe ex horum ſententiâ Hymnodi mens fuerit: Idumæos contumelioſe ac probroſe habiturum, qaſi *calceum* ſive *ſoccum* eis in os, vel *in caput* etiam *impingendo.*

At Mart. Bucerus, ut ad eundem cum prioribus ritum morémqe pertineat, ſic ἀμφέζει; *Moab ſubjecta eſt mihi, ut liber in qo lavem pedes*: *Edom erit, ut locus in qem abjiciam calceamentum meum*, atqe inde colligit per *lotionis libertem pelluvium* deſignari, qia calceamenti ſtatim meminit. Havd inepte; meo quidem judicio. Calceos ſiqidem, vel pulvere conſperſos, vel luto contaminatos, & veteres qàm maximè jam attritos & deformatos, in locum ſordidiſſimum qemvis temerè abjicimus. Lucianus *de mercede conductis*: Τὰ μὲν ἀμφὶ τὴν ἐσθῆπα, ὅπ ἡμῖν ἡ ἐπιμέλεια ὀλίγη ἐπιδεὴς ἡ πᾶσα ἀνάλωσις, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν ἀνεπαίσθητος, ὑπὸ τῇ κλίνῃ ἔῤῥιπται. *Calcei, etiamſi novi dum ſunt, in æſtimatione curáqe ſint aliqâ;*

qâ; at ubi ſæpiùs calcati lutóque deformati fuerint, ſub lectum alicubi projiciuntur. Nec aliorſum abit vir eruditiſſimus Arnoldus Bootius, qi ſententiam ſuam, de hoc loco per epiſtolam ſciſcitanti, in hæc verba reſpondit: *Moabitas cum pollubro (cujus frequentiſſimus ac cotidianus in illis regionibus uſus, uti ex Scripturâ ſacrâ conſtat) in contemptum à Davide comparari exiſtimo; qaſi diceret; Non pluris eos æſtimo, nec majoris eos pretii duco, cum reliqis ſubditis meis, qi Iſraelitici ſanguinis ſunt, collatos, qàm in domo opulentâ æſtimari ſolet podoniptron, qod & è vili materiâ, atqe vili uſui deſtinatum, unum eſt ex contemptiſſimis in totâ ſupellectile, præſertim reſpectu avreorum argenteorúmqe atqe aliorum precioſorum vaſorum, et qia pedes loturi homines, calceos cœno avt pulvere infectos non in medio pavimento deſtituere, ſed in obſcuriorem aliqem ac ſordidiorem angulum conjicere ſolent, ideo proximo loco (cum prior comparatio hanc alteram videretur trahere, ejúſqe mentionem ſuggerere) Edomitas itidem ſibi ſpretos, cum loco ejuſmodi vili comparavit; ſicuti contra* Eſaj. c.22.v.23. *Vir honoratus atqe amplæ dignitatis, paxillo fixo in loco ſelectiore, atqe è qo precioſa qaqe ſuſpenduntur confertur.* Hæc ille; qæ cum hemiſtichio priore aptiſſimè conveniunt.

Subjiciam tamen & Viri Cl. D. Hugonis Grotii ſententiam. Is in *Annotationibus ſuis in libros Evangelii* eruditione genus omne refertiſſimis, *ad Matth.c.3.v.11. David*, inqit, *Idumæo ait ſe objecturum ſoleas, nimirum ut exutas avferat. hoc eſt enim qod* βαστάσαι τὸ ὑπόδημα, *Matthæus dixit. qod idem miniſterium denotat* τὸ λύσαι τὸ ὑπόδημα, Act.c.13.v.25. *ſive* ἆραι ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων. Marc.c.1.v.7. Luc.c.3.16. & Joan.c.1.v.27. *miniſterium ſcil. ſervis viliſſimis mandari ſolitum. qo ſpectant illa in Comœdiis, Date jam ſoleas. & apud Æſchylum Agamemnone;*

——— ὑπαί τις ἀρβύλας
Λύσει τάχος, σφάγιον ἔμβασιν ποδός.
Soleas age, aliqis ocyùs hos ſolvat mihi,
Qeis itinerantis induebantur pedes.

Accubituri utiqe ſoleas ponebant: ne ſtrata eis, pulverulentæ avt lutulentæ cum forent, inqinarentur. Plato in *Sym-*

ραϛ. Ὑπολύσῃ, παῖδες, Ἀλκιβιάδῃ, ἵνα κατακλίνῃ. *Calceos, pueri, Alcibiadæ ſolvite, ut accumbat.* Plavtus *Trucul.*2.4.

Jam rediit animus: deme ſoleas. cedo bibam.

Et *ſc.*5 *Face ut accumbam. accede.*——

Soleas mihi duce.—alii, *deme.*

Martial.*l.*3. *epigr.*50. *Depoſui ſoleas.*——

cœnaturus ſcil. Rurſus, ſurgere volentes poſcebant. In Ariſtophanis *Veſpis*, ad forum à cœnâ properans ſenex,

Εὐθὺς δ' ἀπὸ λοιποῦ, κἀκραξ' ἐμβάδας.

Cœnatus altâ voce poſcit baxeas.

In Plavti *Meſtell.*2.1. adoleſcens inter potandum, nunciato pro foribus adeſſe ſodalis ſui patrem,

Cedò ſoleas mihi, ut arma capiam.——

Apud eundem *Trucul.*2.4. Dinarchus;

——*cedè ſoleas mihi: Properate; avferte menſam.*

Flaccus *ſerm.l.*2.*ſat.*8. *Et ſoleas poſcit.*——

De Manlio Prætore, (inqit Petrus Ciaconius *libello de Trichinio*) *Seneca controv.*25. *Prætor ad occidendum hominem ſoleas propoſcit*—Atqui *Flaminius*, an *Flamininus*, is de qo ibi agitur, non *Manlius*, fuit. Videantur Livius *l.*39. Cicer. *de ſenect.* Val Max.*l.*2.*c.*9. Plut. *in Caton.* & *in Quinctio.* Plinius *l.*9. *epiſt.*17. *Jam multi, qum lector, avt lyriſtes, avt comœdus indutus eſt, calceos poſcunt? calceos,* dixit, qod *ſoleas* illi. Ad hoc igitur miniſterium *ſoleas*, ſive *calceos*, conqirendi, ſiſtendi, induendi, exuendi, portandi, aſſervandi ſervorum famulorúmqe operâ abutebantur. unde & *Pueri ſandaliogeruli*, (ut Dovza legi poſtulat:) Plavto *Avlul.*3.5. & *Ancillæ ſandaliogerulæ*, eidem *Trinum.* 2.1. qi & qæ munere illo apud heros heráſqe defungebantur. Commodúmqe obſervat Vir Cl. ad Marci c.1.v.7. verbis illis, κύψας λύσει τὰ ὑπόδηματα τοῦ ἀνδρός, *deſcribi geſtum famuli calceum domino exuentis.* κύψας, *cernuus.* Lucilius *ſat.l.*3.

Cernuus extemplò plantas conveſtit honeſtas;
Et pedibus lævâ Syciona demit honeſta.

Cernuus pro inclinato. Nonius. h.e. ἀντὶ τοῦ κύψας. rectè. frúſtra ſunt enim Feſtus, qi *Cernuum, calceamenti genus*; et Iſidorus, qi *Orig.l.*19.*c.*34. *ſoccum ſine ſolo*; eſſe hinc avtumarunt. Tibull.*l.*1.*eleg.*6.

Pavper

Pauper erit præstò tibi ſemper, pauper adibit
Primus, & in tenero ſixus erit latere.
Pauper in anguſto fidus comes agmine turbæ,
Subjiciétque manus, efficiétque viam.
Pauper ad occultos furtim deducet amicos;
Vinctáque de niveo detrahet ipſe pede.

h.e. omni ratione, ad infima uſque qævis obſeqia ſe demittens, non expectatâ famulorum ſervulorúmqe, qi hæc exeqi ſolebunt, ope operâve, ipſe tibi famulari non dedignabitur. Terent. *ſe puniente*, 1.1.

Adcurrunt ſervi; ſoccos detrahunt.

Martialis *l.*14. *ep.*65.

Defuerit ſi fortè puer, ſoleáſque libebit
Sumere, pro puero proderis ipſe tibi.

Idem *in Luſcum furem* ludens, *l.*8.*ep.*59.

Si nihil invaſit, puerum tunc arte doloſâ
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Nec *in Cottam* feſtivè minùs, *l.*12. *ep.*89.

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe qeſtus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam;
Ne facere poſſet tale ſæpius damnum,
Excalceatus ire cepit ad cœnam.

Ita ſervulos jugiter præſtò habebant, qi convivium inituris ſoleas demerent, accumbentibus cuſtodirent, deſurgentibus rurſus exhiberent induerentqe, taliúmqe operâ qotidianâ utebantur ditiores & delicatiores qiqe, qoties calceos avt indui avt exui oportebat. Inde Gorgus Cleomenis filiæ, ſimplicitatem tam patriam, qam puellarem redolens, de hoſpite peregrino dictum, qem à famulo calceari conſpicabatur, Πάτερ, ὁ ξένος χαῖρε ὑπ' ἔχει, *Pater, hoſpes noſter manibus deſtituitur.* nam venuſtatem dicti corrumpunt, minuunt ſaltem, qi qærendo enunciatum volunt. Inde & Diogenis ſcomma; ſatis aculeorum, in adoleſcentem, apud qem ſervulus idem miniſterium obibat, Οὔπω μακάριός εἶ, ἂν μὴ ζῇς ἀπομύξῃ. Φησὶ ὑ ἔχει προσθῆναι τοῖς χαῖρε. *Nondum ſat beatus es, niſi & abſtergat iſte*, vel *emungat te: qod futurum eſt, ubi mancus factus fueris.* Ad hujuſmodi ergo operas, prout Joannes Baptiſta Chriſto Domino exhibendas havd ſatis dignum ſe

censebat, cum tamen obseqii infimi esse videretur, eousque se demittere; ita ad easdem usui sibi futuros, ubi sub jugum miserit, Idumæos, interminari verbis illis Regem Tyrodum, Vir doctissimus opinatur. Nec abscedit Jajrus, qi in Hymn. 108. *Ministerium*, inqit, *servile designat, qo Reges Idumæos defungi apud se velit, ut calcei sui corrigiam solvant calceósqe sibi detrahant.* Hoc autem inter servilia viliáqe ministeria, qibus ingenuos admoveri nefas ducebant, apud gentem Judæam habitum, patet ex *Explicatione Præcepti negantis* 176.

Mihi verò etiam ulterius abjectiúsque qiddam eâ formulâ insinuatum videtur. *In magnâ familiâ*, inqit Cicero *Paradoxo* 5. *sunt servi alii lautiores, sed tamen servi, ut atrienses. sunt inferiore loco, ut mediastini.* Et mox; *In familiâ, qi tractant ista*, (supellectilem utiqe familiarem) *qi tergunt, qi ungunt*, qi *verrunt, qi spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent.* Calceos certè, inqam ego, qi tractant tergéntqe, etiam illiberalissimum. Siqidem in nobilium atqe honoratiorum pavlò familiis, honestiore loco habentur, qibus dominorum calceandi excalceandiqe officium demandatur; utpote qeis dominos tam prope adeundi copia sit assiduis concessa. qin & L. Vitellium refert Svetonius in *Vitell. c. 2. pro Maximo honore* à Clavdii Messalina *petiisse, ut pedes sibi excalceandos præberet.* Verùm infimæ prorsus sortis erant, qi ab illis acceptos sive pulvere conspersos, sive luto conspurcatos, emundabant, atqe extergebant. Itaqe senex φιληλιαστὴς apud Aristophanem Vespis, ex judiciis habitis qantum boni sibi obveniat recensendo, inter reliqa denarrat, Theorum existimationis havd exiguæ hominem, qò gratiam ipsius demereatur, promptum esse, τὸ σόγγον ἔχοντα ὀκ τὸ λεχάνης τὰ ἐμβάδια ἐκνιψάτην, hoc est, ut Schol. ἀποψᾶν καὶ ἀλείφειν, *baxeas* sive *calceos sibi spongiâ sumptâ*, qâ id fieri solitum, *detergere, atqe è pelvi inungere.* illud vult, ad sordidissima qæqe obeunda paratum se demittere. Ad hoc igitur cæterorum omnium vilissimum planè abjectissimúmqe ministerium Idumæorum operâ ait abusurum se; ut eis qasi pro *peniculo* habeat, *qo calcei sui extergeantur*, pro eis saltem, ad qos in familiâ operis id, cum honestior pavlò qisqe refugiat, ex usu communi rejici solens siet. Ita scitè admodum cum antegressis

ſio inducta, cui conveniat Chryſoſtomi explicatio, aliis cenſenda relinquitur. Junii ab uſu forenſi edicta ac programmata columnis affixa proponendi explicatio propoſita, exemplíſque variis illuſtrata; ſed rejecta. στῆλαι, *non* στύλοι pilæ *ſive* columnæ *ejuſmodi dicta.* στῆλαι ἔμψυχοι, *martyres. Cameronis rationibus de myſterio fidei intelligendum ſtatuentis, obviam itum.*

URgent plurimùm Pontificii, ad Eccleſiæ ſuæ avtoritatem, & in fidei dogmatibus proponendis ab omni prorſus errore immunitatem, confirmandam, Apoſtoli verba illa ad Timotheum epiſt. 1. c. 3. v. 15. Ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. qæ vulgata verſio ſic reddidit: *Ut ſcias, qo modo oporteat te in domo Dei converſari, qæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Rhemenſes verò noſtri eouſque ſunt progreſſi, ut hinc ſtatuant, non *eccleſiæ* tantùm *in omnibus*, ſed *in eccleſiam* qoqe eſſe *credendum. ideò concilii Niceni Patres dixiſſe*, Πιστεύω εἰς τὴν ἐκκλησίαν. hoc eſt, ut iſti interpretantur, *Credo fidóqe Eccleſiæ in omnibus.*

Qibus opponere licuerit, 1. Auguſtinum, licet de Eccleſiâ verba iſta interpretetur, *in Pſal.* 47. tamen ex hoc ipſo Apoſtoli loco è contrario concludere, *credendum Eccleſiæ, non in Eccleſiam.* In *expoſitione Symboli*, qæ habetur inter *Conciones ſolennes*, ſive, ut loquuntur, *de Tempore*, *Serm.* 131. *ad competentes conc.* 2. *Sciendum eſt*, inqit, *qod Eccleſia credere; non tamen in Eccleſiam credere debeamus: qia Eccleſia, non Deus, ſed domus Dei eſt.* Idémqe *ad Neophytos homil.* 3. *Non qomodò in Deum credimus; ſic in Eccleſiam ſanctam Catholicam, qæ propterea ſancta & Catholica eſt, qia certè credit in Deum. Non ergò diximus, ut in Eccleſiam, qaſi in Deum crederetis; ſed ut in Eccleſiâ ſanctâ converſantes, in Deum crederetis.*

2. In *Concilii Niceni Symbolo* iſta nevtiqam comparere. Nec diffiteor tamen, εἰς ἐκκλησίαν, in *Concilii Conſtantinopolitani Symbolo* reperiri: qod ex Agendis Vulgatis, tam illorum, qàm & noſtris, errore non nuper nato, & jam ubiqe ferè recepto, ſub *Symboli Niceni* nomine paſſim inter ſacra per-

peragenda publicè ſolet recitari. ſed & apud Græcos ſcriptores qoſdam, Epiphanium nominatim in *Ancorato*. §. 121. formulam eandem deprehendi. qam & Hieronymus in *diſceptatione cum Luciferianis* pariter expreſſit. Cæterùm obſervavit rectè (nec primus tamen, qod ipſe gloriatur, ſed ante ipſum Petrus Martyr, in *ad Cor. ep. 1. c. 10. v. 2.* et Bartholomæus Traheron. popularis noſter, *in Joannis Evang. c. 1. v. 12.*) V. Cl. Jo. Druſius *obſervat. l. 3. c. 1.* et *Miſcell. l. 1. c. 21.* πιστεύειν τι, ἢ εἰς τι, πιστὶ ἢ εἰς τινα, pro eodem Græcis, prout & Hebræis qæ ſunt iſtis analoga, havd raro uſurpari. Ita avtem uſurpaſſe Epiphanium, oſtendunt, qæ eâdem planè formulâ ſubjungit ſtatim, καὶ εἰς ἓν βάπτισμα, καὶ εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ κρίσιν δικαίαν ψυχῶν καὶ σωμάτων, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. h. e. *Credimus in unum baptiſma, in reſurrectionem mortuorum, in regnum cœlorum, in vitam æternam.* pro eo qod *Symbolum Conſtantinopol.* habet; Ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα· προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν μέλλοντος αἰῶνος. *Confitemur unum baptiſma; expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi.* h. e. iſta ita credimus, ut futura ſperemus, nóſqe ipſos rerum iſtarum eſſe, vel fore ſaltem participes. qin & in ſeqentibus Epiphanius idem, de eo qod priùs dixerat, πιστεύομεν εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, *credimus in reſurrectionem mortuorum*, anathemati ſubjiciens adverſum ſtatuentes, iſtúdve non agnoſcentes, ἀναθεματίζομεν, inqit, τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν νεκρῶν, *damnamus illos, qi reſurrectionem mortuorum non confitentur.* Nec ſecus Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 18. Ἡ δὲ ἀπαγγελλομένη πίστις ἀκολούθως ἔχουσα τὸ, εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Cum fides propoſita,* ſive *profeſſa, contineat iſtud; In unum baptiſma pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, & in unam catholicam Eccleſiam, & in carnis reſurrectionem, & in vitam æternam.* Ita & Petrus Ravennas, qi & *Chryſologus* dictus, *ſerm. 62. Qi eccleſiam fatetur,* (ὁμολογῶν) *in Eccleſiam,* (εἰς Ἐκκλησίαν) *ſe confeſſus eſt credidiſſe.* Sic ergò qandoqe & Latini. Irenæi interpres l. 5. c. 12. *Qotqot timent Deum, credunt in adventum ejus.* Cyprianus *ad Demetr. In æternam pœnam ſerò credent, qi in vitam æternam credere noluerunt.*

(qan-

qanqam hic, fateor, ſenſus alius eſſe poteſt, ut *in pœnam æternam*, & *in vitam æternam*, finem effectúmve, non objectum deſignet. Hieronymus *in Epheſ.4. Non ita credens in reſurrectionem*, (alii, *reſurrectione*) *mortuorum*, ut *Scripturæ docent*. Ambroſius *epiſt.* 82. *Credere in reſurrectionem Chriſti.*

Hæc, inqam, illi, ubi laxiùs minúſqe ſignatè loquuntur. At ubi notiones à ſe invicem diſcretas formulis iſtis, ne cui, perperam ſumendo, fravdi ſint, diſtinctiùs eloquuntur, negant diſertè, *in homines*, avt *in Eccleſiam credi*, avt in rem ullam, præter Deum. Origenes *in Joan. tom.*32. *ad cap.*13. *v.*20. *Atqe hoc qidem loco*, Qi recipit, *inqit*, ſiqem miſero, me recipit. *at verò non dictum eſt*, Qi credit in vos, credit in me. *ut enim recipiamus ſuos ipſius Apoſtolos, vult qidem ille*; *non tamen ut in illos credamus.* Ita Gregorius Staſimorum, qem Nazianzenum nuncupant, Epiſcopus, *Oratione*, qæ eſt de *Spiritu Sancto*, 37. Εἰ μὲ ἀλίσμα, πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν; ἢ γὰ ταυτὸν ὃτι πιστεύειν εἰς τι, καὶ περὶ αὐτὸ πιστεύειν. τὸ μὲ γὰρ ὃτι θεότητος, τὸ δὲ παντὸς πράγματος. *Si creatura eſt, qomodo credimus in ipſum? neqe enim idem eſt credere in aliqid, & credere de ipſo. Illud enim deitatis eſt, hoc rei cujuſlibet.* Athanaſius *contra Arianos orat.*3. Διὰ τί ἡ πίστις καθ' ὑμᾶς εἰς κτίσιν καὶ εἰς κτίσμα παραδίδοται; *Cur ſecundum vos fides in creatorem, & in creaturam traditur?* Cyrillus item Alexandrin. *de Trinit. dial.*4. Ἆρ' οὐκ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἡ πίστις; οἱ δὲ δὴ τὴν πίστιν ἀκλινῆ καὶ ἀνυπαίτιον διασώσαντες ἀγχιβυμμήτοι, πιστεύσειαν ἂν εἰς τὸ θεῖον ὁμοῦ καὶ κτίσιν; Ἄρρητον ὄν, ὅτι καὶ εἰς υἱὸν ἡ πίστις, ὡς εἰς θεὸν ζῶντα καὶ ἀληθινόν. *Nonne in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſt fides? Qi autem fidem immobilem & inculpatam ſervarunt, crediderúntne in Deum ſimul & Creaturam? Congruit itaqe, qòd & in Filium ſit fides, tanqam in Deum viventem & verum.* Joan.c.14.v.1. Idémqe *ad Reginas*; *de rect à fide l.*1. ex Joan.c.1.v.12. Ὅτι τοίνυν εἰς αὐτὸν ἡ πίστις, πῶς ἂ θεὸς ὁ Χριστός; *Qm in ipſum ſit fides, qomodo non Deus Chriſtus?* Et ex Joan.c.2.v.11. Γεγονὸς ἄρα τ Ϛημείν καὶ φανερώσαντ Ϛ τ Χριστ ϛ δόξαν αὐτ ϛ, ὡς εἰς τίνα πεπίστευκαν οἱ μαθηταί; ἆρα εἰς ἄνθρωπον ἅγιον ἁπλῶς; καί τι πρὸ τ Ϛημείν ἠκολούθησ ἀυτῷ πιθανμαχίτης ὡς ἅγιον. ἀλλὰ πεθίκασι διὰ τ Ϛημείν τ

ὑφ' ἀνθρώπων λύτρωσίν τε καὶ ἐξουσίαν ἔχοντα· ἀλλὰ πεπιστεύκασιν εἰς εἰς θεόν. ἴσιον δ' ὅτι πολλοὶ τὰ ἀρχαῖα πολλὰ πεποιήκασι καὶ παράδοξα· καὶ ἐθαυμάσθησαν μᾶλλον· οὐδέπω δὲ εἰς αὐτοὺς ἐπίστευσε. *Ubi Chriſtus ſignum fecerat, & manifeſtaverat gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli; tanqam in gemnam crediderunt? num in hominem ſanctum ſimpliciter? at enim & ante ſignum illud exhibitum ſecuti ſunt eum, ut ſanctum hominem ſuſpicientes. caterum ex ſigno illo animadverterunt virtutem & poteſtatem habere eum humanâ majorem. Proinde crediderunt in eum tanqam in Deum. Sciendum autem quòd ſanctorum multi, multa & admirabilia fecerunt; & admirationi quidem habiti ſunt; verùm nullus in eos credidit.* Deniqe (cætera ut mittam) ex Joan.c.6.v.29. Εἰ τὸ τῷ θεῷ δοκοῦν ἐπιτελοῦμεν, πιστεύοντες εἰς Χριστὸν, πῶς οὐκ ἂν εἴη θεὸς ἀληθινός; *Si quod Deus probat facimus, ubi credimus in Chriſtum, quomodo non verus Deus eſt Chriſtus?* Auguſtinus præter ſuperiùs allata, *in Pſalm.77. Credere in Deum plus eſt quàm credere Deo. nam & homini cuilibet plerumqe credendum eſt, qamvis in eum non ſit credendum.* Idémqe *in Joan.tract.29. Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum qem ille miſit. Vt credatis in eum; non, ut credatis ei: Sed ſi creditis in eum, creditis ei. non autem continùò, qi credit ei, credit in eum. nam & Dæmones credebant ei, ſed non credebant in eum. rurſus etiam de Apoſtolis ipſis dicere poſſumus; credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum: credimus Petro, ſed non credimus in Petrum.* Qod idem & ex eodem lavdant, Beda & Petrus Lomb. *in Rom.c.4.v.5. Anſelmus* Lavdun. in *Gloſſ.ibid.* & Alex. Alenſis *Sum.part.3.qaſt. 74 membr.5. art.1.* Qin & Gvalterus Mapes noſtras in *Nugis Curial. diſt.1.cap.31.* cum in Concilio ſub Alexandro Pp.4. à Pontifice juſſus adverſus Valdeſios qoſdam, hæreſeos ſuſpectos experiri, *Primo*, inqit, *propoſui leviſſima, qæ nemini licet ignorare: Creditis in Deum Patrem? reſponderunt, credimus. Et in Filium? reſponderunt, credimus. Et in Spiritum Sanctum? reſponderunt, credimus. iteravi, In matrem Chriſti? & illi item, credimus. Et ab omnibus multiplici ſunt clamore deriſi.* Adeò abſurdum à doctis qibuſqe tunc temporis ducebatur, ut in ipſam Dei Matrem credere qiſqam diceretur, imò in eam non credendum inter ea habebatur,

tur, qæ nemini cuiqam ignorare liceret.

Verùm ad *Symbolum* ipſum redeamus. Auguſtino itaqe ὁμόλογος hac in parte Ruffinus, *in expoſitione ſymboli*, Apoſtolici qod dicitur, (qæ & inter Cypriani opera in editionibus pavlò vetuſtioribus habetur) *Vbi non de divinitate, ſed de creaturis ac myſteriis ſermo eſt*, in *præpoſitio non additur, ut dicatur in Eccleſiâ, ſed Eccleſiam credendam eſſe: & remiſſionem peccatorum credant eſſe; non in remiſſione; & reſurrectionem carnis, non in reſurrectione.* Petrus item Raven. *ſerm.60. Credimus in Spiritum Sanctum. Credimus ſanctam Eccleſiam: Credimus remiſſionem peccatorum: Credimus carnis reſurrectionem: Credimus vitam æternam.* Et *ſerm.61. Credo in Spiritum Sanctum: Credo ſanctam Eccleſiam: Credo remiſſ. peccat. carn. reſurr.* Qin & *Tridentinum* Conciliabulum, *ſymbolum Conſtantinopolitanum* illud recitando, *Seſſ. ſub Pavlo 3.* præpoſitionem hanc in Articulo de Eccleſiâ omiſit: et in *Catechiſmo ad Parochos* ex ejuſdem Conventiculi *Decreto, Pii 5. juſſu*, edito, diſertis verbis; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam:* tum in explicatione Articuli: *Vnam igitur Eccleſiam ſanctam & Catholicam eſſe, neceſſariò credendum eſt. Tres enim Trinitatis perſonas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ita credimus, ut in eis fidem noſtram collocemus. nunc autem mutatâ dicendi formâ*, (an non Lutheranum avt Calviniſtam aliqem avdire te avtumas?) *Sanctam, & non, in Sanctam Eccleſiam credere profitemur; ut hâc etiam diverſâ loqendi ratione, Deus omnium effector à creatis rebus diſtinguatur.* Hæc eô loci Pius Papa, pius magis Rhemenſibus noſtris; qocum iſtic ut conveniat illis, videant ipſi.

Qibus & hoc poterat opponi; Eccleſiam, in qâ eo tempore, qo Apoſtolus iſta protulit & præſcripſit, Timotheus verſabatur; non *Romanam*, ſed *Epheſinam* fuiſſe; cui Romanenſes noſtri immunitatem & avtoritatem illam, qam ex Apoſtoli verbis conantur elicere, neqaqam ſunt conceſſuri. Proinde in rem ſuam trahere fruſtra connituntur. Ut nec opus ſit inſuper illud eiſdem regerere, qod in *ad Rom. c. 10. v. 14.* agnoſcunt ipſi, *Patres antiqos in Symbolo* (iſto ſcil. de qo diximus) *indifferenter legiſſe*, Credo in Eccleſiam Catholicam;

licam; &, Credo Eccleſiam Catholicam. Ut utrumqe hoc, Rhemenſibus ipſis inficias ire non avſis, antiqi illi (ſed ubi laxiùs loqebantur) pro eodem habuerint.

Cæterùm de loci ipſius Apoſtolici ſenſu ambigitur. nec inter Interpretes conſtat ſatis; verba illa, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, qonam referantur.

Mitto, qi de *Chriſto* dictum intelligunt, antiqos qoſdam; in qibus eſt Procopius, & qorum is ſcripta compilavit. cujus hæc ſunt verba ex *commentariis in Exod. Interdiu in columnâ nubis oſtendebat ipſis viam, noctu in columnâ ignis. utraqe columna repræſentabant Chriſtum. Eſt enim hic columna & ſtabilimentum veritatis, ſuſtinens nos ſupra terram.* Hos, inqam, mitto, qia nullâ ratione contextus Apoſtolici ſeries ſenſum hunc admittere videtur.

Non deſunt ergò, qi ad *Timotheum* ipſum verba hæc ſentiant referenda: qod & Eraſmus in *Annotationibus* in hunc locum jam olim monuit. Ita vir acutiſſimus Gvilhelmus Chillinſvorthus noſter, in tractatu *de tutâ & ſalutari Proteſtantium Religione*, adverſus Pontificium qendam, *part.* 1. *cap.* 3. §. 76. *Eccleſiam*, inqit, *domicilio confert Apoſtolus; Timotheum columnæ in hoc collocatæ.* Interpretationem hanc deſtinis hiſce ſuffulcit. 1. Cum *eccleſiam domum* antè nuncupaſſet; havd ſatis congruum videri, ut eandem confeſtim *columnam* diceret. 2. Apoſtolum eundem, aliis *Eccleſiæ proceribus*, ſive membris præcipuis, *columnæ* nomen alibi tribuiſſe. Certè ad Galatas c. 2. v. 9. οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, de Petro, Joanne, Jacobo dixit, h.e. *qi columnæ eſſe videbantur*, vel *erant* etiam. de qâ phraſi alibi diximus. Ita Græcus Scholiaſtes: Οἱ ὄντες στῦλοι τῆς πίστεως, καὶ πᾶσι δοκοῦντες. *qi fidei columnæ & erant, & qibuſqe videbantur.* qo modo Plavt. *Epidic.* 2. 2.

——— *Senati qi columen cluent.*

Cui adjici poteſt, qod & per Joannem Chriſtus, unicuiqe pollicetur, qi fidelis perſtiterit, facturum hunc ſe στῦλον ἐν τῷ ναῷ, *columnam in templo Dei.* Apoc. c. 3. v. 12. 3. *Ellipſin ὡς particulæ familiarem eſſe.* Eſtqe reverâ. qod patet ex Geneſ. c. 49. v. 9. *Judas catulus leonis.* i.e. catuli leonis inſtar. Et de Dane pariter. Deut. c. 33. v. 22. Hymn. 11. v. 1. *vola*

paſſer,

paſſer, ſive *avicula*. h.e. ſicut paſſer. Eſajæ c. 21. v.8. *Clamavit leo*. i. *ut leo*, Hieron. Hoſh.c.14.v.8. *Ego abies virens*, i.e. abieti virenti ſimilis ſum. Sic & exteri. Flaccus in Arte,

Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres.——i.e. tanqam fidus interpres. Et Perſius *Sat.*5.

——*Soleâ, puer, objurgabere rubrâ.*

i.e. tanqam puer, ſoleâ verberabere, cædêre. Poetarum princeps de Hectore *Iliad.ω. v.*258.

—— ὃς θεὸς ἴσκε μετ' ἀνθρώποισιν.——

—— *qi homines Deus inter erat.* i. tanqam Deus. ita enim Evſtathius, διὰ καὶ παιδιὰν σχετλιάζειν ζωηδῶς τὸ ὡς, ἵνα λέγῃ, ὡς θεὸς ὤν. qod & ex proximè adjectis illis confirmat,

——οὐδὲ ἐώικει
Ἀνδρὸς γε θνητοῦ πέλεται, ἀλλὰ θεοῖο.
——*ſimiliſque*
Cœleſti fuit, haud mortali ſemine creto.

Longus *Paſtoral.l.*1. Τότε δ', κύκνοι, φασὶν, ἐκ δεσμῶν λυθέντες, ἐσκιρτῶν, ἐσπερχόμενον, ἥδιον, ζωπάλαιον, κύκνοι. i.e. ὥσπερ κύκνοι. *Tunc verò*, velut *canes, qod aiunt, vinculis exoluti, exultim ludebant, fiſtulas inflabant, cantillabant, lucta concertabant.* Et apud eundem *l.*3. Lamon Daphnidi Chloen poſt tempus perbreve nuptum iri datum pollicitus; Νῦν δ', inqit, φιλοῦσιν ἀλλήλους ἀδελφοί. h.e. ὡς ἀδελφοί. *Interim ſicut frater & ſoror invicem ſe diligant.* Joſephus deniqe *Antiqit.l.*12.c.7. Ἠρώτησε δ' εἴπου βίβλῳ διφθέρᾳ ἐν ᾗ νόμος· καὶ παρ' οἷς διφθέροις, καὶ ἔτυχε κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο. *Abolebatur, ſicubi repertum foret, lex aut volumen ſacrum aliqod. Sed & ipſi, apud qos reperiebatur, mali* (i.e. tanqam mali) *malè peribant.* neqe enim *malos* dicere, aut haberi, voluit eos, qicunqe legis divinæ codices apud ſe habebant.

Qanqam poterit & alia ellipſis, nec minùs familiaris ea, dari; ut dicatur, non ὡς φίλῳ, ſed φίλῳ ὤν. *Participii* enim *verbi ſubſtantivi*, qod dicitur, *defectus* havd eſt infreqens. Matth.c.6.v.9. ὁ ἐν οὐρανοῖς, ὤν ſcil. *qi in cœlis es.* Petrus ep.1.c.3.v.21. Ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. pro eo qod eſt, ᾧ ἀντίτυπον ὄν, *cui correſpondens* ſive *analogus typus*

existens baptisma. Pavlus ad Rom.c.1.v.30. Ψιθυριστὰς, καταλάλους, &c. ὕβρεις, scil. *susurrones, detractores, &c. existentes.* et ad Corinth.ep.1.c.10.v.11. Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις· τύποι ὄντες, vel ὄντα, *ista omnia, exempla existentia, contingebant illis.* ita enim malim, qam cum Piscatore, ὡς τύποι. qod & ille frustra interserit. v. 6. ubi Apostolus disertè, τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν· τύποι ἡμῶν, dixit Pavlus; qo modo, τύποι δὲ ποιμνίου, Petrus ep.1.c.5.v.3. de qo alibi. Ita Flaccus *epod. ode 2.*

Neqe excitatur classico miles truci.

i.e. miles existens, militiam professus & secutus. Idémqe *epist.2.lib.1.*

Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

existens scil. sive, canis immundus, vel cœno gavdens porcus, qoad viveret, per vitam totam, extitisset. de hominibus enim sermo est in animantia ejusmodi Circeo poculo demutatis. Martialis *lib.10.epigr.10.*

Sexaginta teras cum limina mane Senator.

Senator existens, scil. sive, cum sis. Svetonii nomine, *de claris Rhetor.c.3. Otacilius servisse dicitur; atqe etiam ostiarius veteri more in catenâ fuisse.* pro eo qod est, ostiarius existens; sive, ostiarius cum esset. utramlibet interpretationis rationem admittunt, alterutram exigunt, Petri verba illa epist. 1.c.2.v.4. Πρὸς ὃν προσερχόμενοι, λίθον ζῶντα. Vetus interpres, *Ad qem accedentes, lapidem vivum.* Verùm supplendum aliqid, qo sensus integer existat. Itaqe Syrus (qem & nostri sequntur plerique) *qi est lapis vivus.* sive, *lapidem vivum existentem.* qanqam & similitudinis nota non minùs aptè qadrabit, ut dicatur, ὡς λίθον ζῶντα, *tanqam ad lapidem vivum*, de Christo capite; qo modo commatio proximo de fidelibus qibusqe, Καὶ αὐτοὶ, ὡς λίθοι ζῶντες, *Ipsi qoqe velut lapides vivi* (lapidi illi vivo) *superstructi domum spiritualem constituitis.* domum scil. eam ipsam, cujus *fundamentum*, sive *lapis angularis* Christus, *columna* post Apostolos, fidi qiqe gregis dominici pastores, verbiqe divini præcones atqe administri.

Hac ratione Apostoli mens fuerit; *Ut noris qo modo gerere te debeas in domo Dei, tanqam columna & columen veritatis;*

tatis; vel, *columna columénque veritatis exiſtens.*

De prole maſculâ in *Iphigen. Taur.* Evripides.

Σπύλοι γὰρ οἴκων, παῖδές εἰσιν ἄρσενες.

Domuum columne namque ſunt gnati mares.

Qod idem, adjectâ & aliâ imagine, à re navali ductâ, Æſchylus in *Agamemnone*,

Σωτῆρα ναὸς, φρόνιον ὑφλαῖς τέγης

Σπύλον πολίτην, μονογλυὲς τίκτον πατρί.

locus ab interpunctione laborat, in codicibus excuſis, qos videre contigit, univerſis. comma poſt φρόνιον interſitum oportuit. ad *navem* enim, non ad *ades* id pertinet. qod & Gvil. Canterum advertiſſe comperio. verto licentiùs pavlò:

Ex qo apta navis eſt ſalus, primarium
Dicam rudentem; an celſæ ſtabilimen domus,
Altam columnam; maſculam prolem unicam.

Idem, ſenſum qod attinet, latiùs extulit Tragicus idem in *Inferiis*:

Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κλῃδόνες σωτήριοι
Θανόντι· φυλλοὶ δ' ὡς ἄγαν δίκλινον
Τὸν ἐν βυθῷ κλωσῆρα σώζοντες λίνον.

Nomen ſuperſtes mortuo ſunt liberi;
Velúteque ſuber, rete qo defendítur,
Submerſa planè fila ne in fundum ruant.

Qæ eadem ferè Sophoclis nomine à Clemente lavdantur, *Stromat. lib. 2.* in hæc verba; prout in impreſſis exhibentur.

——— παῖδες γὰρ ἀνδρὶ
Κατ' αἶαν ὄντι κλῃδόνες γεγᾶσι·
Φυλλὸς δ' ὡς ἄγαν δίκλινον ἐν βυθῷ,
Καὶ κλωσῆρα σώζοντες λίνῳ.

Depravata hæc nemo non ſtatim dignorit. Sylburgius ſic refingit.

Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κατ' αἶαν ὄντι κλῃδόνες
Γεγᾶσι· φυλλοὶ δ' ὡς ἄγαν δίκλινον,
Τὸν ἐν βυθῷ κλωσῆρα σώζοντες λίνῳ.

havd infœliciter forſan. malim tamen in verſu primo, Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ, deleto δὲ. et κατθανόντι. qod in κατ' αἶαν ὄντι facilè deflexerit, ſiquidem κατ' αἶαν, ſive κατὰ γῆν, τὸ, pro eo qod eſt *ſub terram condi.* dici non exiſtimo. in noviſſimo utrobiqe

biqe λίνε. qo modo Evripides, Polluce *l.7.c.10.* referente, λίνε χλωπῆες dixit. nec eſt neceſſe, ut Clementem memoriâ lapſum ſuſpicemur pro Æſchylo Sophoclem ſubſtituiſſe. Notum eſt enim, Clemente ipſo indicante, Tragicos à ſe invicem multa, vel (ut ipſe cenſet) ſuffuratos, vel (ut honeſtiùs loqamur) mutuatos; vocibus ipſis leviuſculè tantùm, imò qandoqe nihil qicqam immutatis; notionibus verò atqe imaginibus eiſdem prorſus conſervatis. Qin & Aſterius Amaſcenſis Epiſcopus, cujus apud Photium excerpta extant, *cod.*271. Jajri filiam unicam, ἑ οἰκίας ἔρεισμα, *domus paterna fulcrum* dixit. utpote, in qam, qod de Turno Virgilius *Æn. l.*12.

—— *patris domus inclinata recumberet.*

prout in *Herc.fur.* Herculem apud Tragicum Amphitruo,

—— *unicum lapſæ domus*
Firmamen.——

Pindarum mirum ni imitatus uterqe, qi Ἑλλάδ' ἔρεισμα, Athenas, (ſicut & πύργας ἔρεισμα. Hectorem, Lycophron, & *Aſiæ columen*, Trojam, Seneca in *Troadibus*) dixit. referunt Ariſtides in *Panathen.* Lucianus in *Demoſth.* Plutarchus in *Apophth. Lacon.* qi nec, qid Spartanus qidam regeſſerit, tacet. Accedit his è *Caſſandrâ* Lycophronis illud de Hectore,

Ὦ δαΐμων, οἵᾳ κίον' αἰςώσις δόμων;
Qalem, hev, rues columnam, Fortuna, ædium?

ſive, *Qale, ô fortuna, domuum* (hev) *columen rues?* qod à Pindaro qoqe is acceperit; qi *Olymp.*3. de Achille,

Ὃς Ἕκτορ' ἴσφαλε, Τρωΐας
πύργον, ἀτραβῆ κίονα.
Hectorem qi evertit, Trojæ
Invictum, erectam columnam.

ubi κίονα appellando, qem ἔρεισμα alibi dixerit, qâ notione *columnæ* nomen in iſtiuſmodi uſurpetur, oſtendit. ſpectant horſum & Artemidori illa *Onirocritic.l.*2.*c.*10. Κίονες δὲ καθαρῷ πυρὶ καιόμενοι, καὶ μὴ διαφθειρόμενοι, τὰ τέκνα σημαίνουσι τῷ ἰδίῳ καὶ ὅλῃ τὸ βελτίον καὶ λαμπρότερον μεταβάλλειν· οἱ δὲ σωτειβόμενοι, ὑπὸν ὄλεθρον σημαίνουσι. *Columnæ igne claro flagrantes, nec abſumptæ, liberos ſignificant in melius ſplendidiuſqe proficientes: at confractæ eadem, filiorum interitum ſignificant.* Pertinet

tinet huc, & qod de Adraſto Statius *Theb.l.*1. (ne proli maſculæ duntaxat imagò iſta competere, avt Aſterius ſolus huic tribuiſſe, videatur)

Hîc ſexus melioris inops; ſed prole virebat
Fœminea, gemino natarum pignore fultus.

Hinc & *domum fundare* ac *fulcire* tam uxor matérqe, qam & vir patérqe, dicitur, prolè nimirum ſuppeditatâ, qâ familia propagetur. Statius *ſylv.l.*4. ad Maximum,

Sed damus lento veniam, qòd ultimâ
Prole fundaſti vacuos penates.

Et Apulejus *Mileſ.l.*1. *Uxor ejus Plotina, decimo partus ſtipendio, viri familiam fundaverat.* Unde & *domus* ea *firmamentum*, h.e. ἔρεισμα dicta.

Afranius in *Privigno*, apud Nonium.

Uxorem quærit firmamentum familiæ.

eóqe nomine ſcortis ac proſtibulis conjux legitima opponitur. ſubdit enim Comicus;

Scias abeſſe ab eis luſtris ingenium procul.

Aliâ interim ratione Joſephus *de Maccab. c.*17. fratrum ſeptem illorum, qi ſub Antiocho egregiè decertarunt, matrem appellat, κίονα δὴ καὶ στύλους τῶν παίδων γενναίους ἱδρυμένην ἀκλινῆ, *immotum liberis, tanqam columnis, ſuffultum tectum.*

Adjici poteſt his &, qod veteribus *ſervi* qoqe, qorum fidei ſua ſuóſqe Patres-familias credebant, *domus*, ſive *familiæ columina*, *columnæ*, & formâ diminuente, *columellæ* dicebantur. Cicero *adverſus Verrem Action.*2.*l.*3. *Timarchides columen familiæ veſtræ, premit fauces defenſionis tuæ.* Apud Terentium *Phorm. Act.*2.*ſc.prim.* Demipho ſenex Getam ſervum ſuum inducitur compellans his verbis:

Oh bone cuſtos, ſalve, columen verò familiæ;
Cui commendavi filium hinc abiens meum.

Ad qem locum Scholiaſtes: ſive Donatus is, ſive alius qis fuerit: *Columen, culmen; an columen columna? unde columella apud veteres dicti ſervi majoris domus. Lucil.*22.

Servus neqe infidus domino, neqe inutilis cuiqam,
Lucilii columella hîc ſitus eſt Tubero.

Hinc in milleſimum annum eorum columine civitas continebitur. Horatius contra pro columine columna.

Injurioſo ne pede proruas ſtantem columnam.

Ennius 10.

*Regni verſatum * ſummam verò columnam.*

Columen verò familiæ, ſuſtentatio, vel decus. unde & columna dicta. Hæc ille. qæ modo non uno vitioſa ſunt. 1. Pro *ſervi majoris domus*, leg. *ſervi majores domûs*. qalis Abrahæ Eleazarus, Geneſ.c.15.v.2. & c.24.v.2. erántqe ferè *veruſtiores*, avt *ſeniores*; prout ille. Tales in Davidis familiâ זקני בית *ſeniores*, ſive *majores, domûs*; qi apud Regem gratiâ plus reliqis pollebant, eúmqe familiarius compellandi libertatem uſurpabant. Hiſtor.Reg.l.2. c.12.v.17. Talis & in Regum Francorum avlâ, *Major domûs* qi dicebatur, qod munus Pipinus Martellúſqe geſſere tam diu, ut Regibus tandem ipſis majores evaſerint, nec alius in Pharaonis Regis Ægyptii domo Joſephus. Hymn.105.v.26. ut de Potipheris familiâ nihil dicam. Geneſ.c.39.v.4.6. Si cui tamen lectionem vulgatam tueri eſt animus, Perſii illud *ſat.3. De majore domo,* poterit huc trahere. verum nec Demiphonis apud Comicum, nec Lucilii etiam, domum exiſtimo ejuſmodi fuiſſe, qalem Satyricus volebat. Et tam minoris & anguſtioris, qàm majoris ſplendidioriſqe familiæ, *columella* ſaltem eſſe qeunt.

2. Pentametron illud,

Lucilii columella, hic ſitus eſt Tubero,

eſt ſpurium planè, peſſimeqe conſarcinatum. genuinum integrúmqe Martialis, ſed ridendo, exhibet, *lib.*11.*epigr.*91.

Lucili columella, hic ſitus Metrophanes.

Metrophanes itaqe nomini fuit Lucilii *ſervo majori*; non *Tubero*, qod ſcriptoris nomen eſt, ex qo ſeqentia depromuntur. Hiſtoricus is fuit, Ciceroni coævus, uti ex illius *ad Quintum fratrem Epiſtolâ* patet; qem lavdant, prout & Grammatici alii, Nonius Marcellus & Soſipater Chariſius *Inſtit.Gram.l.*2. Flacci qem citat, locus habetur, Carm.lib.1. *Ode* 35. Ennii verò verba manca eſſe aſteriſco, qem appellant, affixo innuitur. reſtitui ſic poſſe cenſet Joſ. Scaliger, in *epiſtolâ ad Paul. Merulam* datâ; *Regni verſatam tunc ſummovere columnam.* Ita qemadmodum familiarum columella ſic regnorum qoqe, civitatum ac rerum publicarum *columnæ* & *columina* dicuntur, reges, principes, proceres, magiſtratus, magnates, judices.

ces. Sicut enim *regni columnam* Ennius; ita *reipub. columen* dixit Cicero *orat. pro Sestio.* sed & Catullo *epigr.60. Thessalia columen* Peleus. Qò referunt interpretes havd ignobiles, & qod Hymn.75.v.3. dicitur, *Columnas ejus*, (terræ, regionis, regni, ſtatus politici, atqe eccleſiaſtici etiam) *ego aptabo. Columnas. i.e. ſtatumina, & firmamenta.* Junius. *aptabo, gubernatores juſtos ſtatuendo.* Piſcator. *Juſtos gubernatores, qos meritò columnas appellaveris, conſtituturum, vel potius religionem & juſtitiam, primarias reipub. columnas reſtauraturum ſe promittit.* Sixt. Amama *antibarb. biblic. l.4.* Qanqam nihil eſt neceſſe, ut de *columnis*, qas velit Hymnodus Rex, anxiè qæramus: qum nihil aliud voluiſſe videatur, qàm qod de Gratiano, (qi nomen ſuum eô loci reſtitutum, Caſaubono dicam an Shoppio debet) Symmachus, *lib.3.ep.47. Domini noſtri Gratiani* (*gratiam*, cod. impr.) *fortiſſimâ ſimul ac fœliciſſimâ manu nutantia reipublicæ pondera fulciuntur.* Nec illud deniqe ſubticendum, in Eſajæ vaticiniis, Cap.6.v.13. *Semen ſanctum terra columen, an fulturam* ſive *columnam*; Mosiqe Majmonidæ in *Moreh Nebocim l.3.c.29. Mundi columnam* Abrahamum dictum.

Cæterùm, ut ad penſum noſtrum rèdeamus; ſicut *liberi, maſculi* præſertim; *ſervi* qoqe *majores*, qibus rei familiaris cura potior commiſſa *domus* ac *familiæ columnæ & columellæ*, ſive *columina* cenſentur; *regni* avtem ac *reipub. principes* procerèſqe *ſtrenui*, probi juſtiqe: ita viri pii, veritatis ſacræ propugnatores, præſertim in ſtatione eâ, qæ in Eccleſiâ primas obtinet, conſtituti, qid obſtat, qo minùs pro *columnis fulcriſqe* qibuſdam habeantur? Neqe enim aliud eſt ἐρέισμα, qàm, ut Svidas, στήγμα *fulcrum.* qo vocabulo & in hoc argumento uſus deprehenditur havd ſemel Nicephorus Calliſti. Siqidem *Hiſtor. Eccleſiaſt. l.7. c.2.* Eccleſiæ *paſtores* vocat, ἱερατικὰς στηγματα, ſive *religionis fulcra.* eoſdémqe *l.10. c.23.* πλήθος ὥσπερ στήγματα, *plebis Chriſtianæ fulcra qedam.* qod Gildas noſter de bonis ſui temporis ſacerdotibus; eis, *qaſi columnis qibuſdam ac fulcris ſaluberrimis, infirmitatem ſuorum ſuſtentari, ne penitùs collabatur.* Ita Tertulliano *de Pudicit.c.16. diſciplinarum columna immobilis* dicitur Pavlus. et Petrus, Joannes, Jacobus, *columnæ Apoſtolatus*, eidem

adv. Marc. l.1, c.20. qo modo Zenonis nomen qi ementitur, Avtori, *ſerm 9.* Suſanna, *columen matronatus.* Jo. Chryſoſtomus *ad Rom. orat.1.* de Pavlo : Ὁ τῆς ἐκκλησίας στύλος, *Eccleſiæ columna.* Et de Pavlo Petróqe junctim, *oratione* (ſi ejuſdem ſaltem eſt) *in eoſdem*; Οἱ τῆς ἐκκλησίας στύλοι, *Eccleſiæ columnæ.* qos & rurſus, *de oratione ad Deum habendâ. orat.2.* vocat τοὺς στύλους τῆς ἐκκλησίας, *columnas Eccleſiæ.* Theodoretus, *de provident. orat.10.* Petrum ac Joannem itidem, τοὺς πύργους τῆς εὐσεβείας, τοὺς στύλους τῆς ἀληθείας, τοὺς τῆς ἐκκλησίας τοὺ οἰκοδομοῦντας θεμελίους, *Pietatis turres, veritatis columnas, eccleſiæ ſtructuram ſuffulcientes,* appellat. Baſilius Cæſar. in *catenâ Græcâ* nondum editâ (referente Viro Cl. D. Hejnſio) Εἰσὶ δὲ στύλοι τῶν Ἱεροσολύμων οἱ Ἀπόστολοι, κατὰ τὸ εἰρημένον, Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας. *Sunt & Hieroſolymorum columnæ Apoſtoli, ſecundum illud quod dictum eſt, Columna & firmamentum Eccleſiæ.* Avguſtinus pariter *in Pſalm.74. Columnas Apoſtolos dicit. Sic Apoſtolus de coapoſtolis ſuis, qi & columna una de illis erat.* Qi videbantur, *inqit*, columnæ eſſe. *Et qid eſſent columnæ illæ, niſi ab illô firmarentur?* qanqam (qod obiter adnotarim) qi *columnas* dicit *Apoſtolos*, idem *in Apoſtolos credendum* diſertè negat; ut ſuperiùs eſt indicatum. Eadem ἀνυπαιτήτως & in *Commentariis* illis habentur, qi Rufino tribuuntur. Ambroſius *in Pſal. 118. part. 5. Columnæ Eccleſiæ Apoſtoli, in timore ſancto, qæ eſt baſis, fundati. Et ſicut Petrus, Jacobus, Joannes & Barnabas columnæ eſſe videbantur Eccleſiæ: ſic & qicunqe vicerit hoc ſeculum, fit columna* [*in templo*] *Dei* alluſit enim Apocalypticum illud, qod ſuprà produximus. Facit huc & Hieronymi illud *ad Tit. c.1. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere; ut non q rant eos, qi poſſunt Eccleſiæ plus prodeſſe, & in Eccleſiâ erigere columnas; ſed qos vel ipſi amant, vel qorum ſunt obſequiis devincti,* &c. *columnas erigere* dixit, vel columnarum vicem præſtare, vel qi id præſtarent, extruendo firmandóqe conſtituere. Dionyſius Alexand. in *Epiſt. ad Fabium Antioch.* apud Evſeb. *l.6. c.41.* fortiſſimos Chriſti martyres appellat στερρὰς καὶ κυρίας στύλους, κραταιωθείσας ὑπ' αὐτοῦ, *columnas Domini firmas, ab ipſo corroboratas.* De Andreâ (nam *in Thomam* habitam panegyricam titulus præfixus falſò prædicat) licen-

licentiùs pavlò Heſychius Hieroſolymitanus, apud Photium *Cod.*269. Ὁ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Ἀποστόλων πρωτόλιθος, ὁ πρωτοπαγὴς τῆς Ἐκκλησίας στύλος, ὁ πρὸ Πέτρου Πέτρος, (πέτρα forſan, vel πέτρος) ὁ τοῦ (πρὸ τοῦ f.) Σιμὼν Σιμέλιος, ὁ τῆς ἀρχῆς ἀπαρχὴ, ὁ πρὶν κληθῆναι καλῶν, ὁ πρὶν προσαχθῆναι προσάγων. *Chori Apoſtolici primogenitus, primitùs defixa Eccleſiæ columna, Petro prior petra, fundamenti fundamentum,* ſive *fundamentum fundamento antiquius, principii,* ſive *principatus primitiæ, qi antequam vocaretur vocavit, priuſquam adduceretur adduxit.* Vide Joan.c.1.v.40,41. qò reſpexit hìc Heſychius. Obſervare licet obitèr, qomodo Doctòres priſci nunc hunc Apoſtolum, nunc illum, prout occaſio ſe dabat, Petro nonæqant tantùm, ſed anteferunt etiam. Sic Andream hìc Heſychius; ſic Jacobum fratrem Domini idem, apud Photium eundem *Cod.*275. verbis hiſce; Πῶς ἐγκωμιάσω τὸν τοῦ Χριστοῦ δοῦλον καὶ ἀδελφὸν, τὸν τῆς Ἱερουσαλὴμ ἀρχιστράτηγον, τὸν τῶν ἱερέων ἡγεμόνα, τοῦ Ἀποστόλων τὸ ἔξαρχον, τὸν ἐν καρδίαις κορυφὴν, τὸν ἐν λύχνοις ὑπερλάμποντα, τὸν ἐν ἄστροις ὑπερφαίνοντα; Πέτρος διδασκαλεῖ· ἀλλ' Ἰάκωβος νομοθετεῖ. *Qibus ego encomiis prædicem, Chriſti famulum & fratrem, novæ Hieroſolymæ ſummum Imperatorem, ſacerdotum principem, Apoſtolorum præſidem, inter capita verticem, inter lucernas ſplendore, inter ſtellas fulgore, cæteras ſuperantem? Concionem habet Petrus: ſed Jacobus legem ſtatuit.* Sed his miſſis; Viennenſes & Lugdunenſes ſub Marco Imp. in *Epiſtola ad fratres Aſiaticos,* apud Euſebium, *hiſt. Eccleſ.l.*5.*c.*2. Attalum Pergamenum vocant, Apoſtoli locum hunc alludentes, στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκταύθα, *eorum, qi ibi agebant, fidelium columnam & firmamentum.* Et Theodoretum Cyrenſem Joannes Evchaites, ἀκράδαντον ὀρθοδοξίας στύλον. h. e. *inconcuſſam, dogmatis veri,* ſive *fidei rectæ, columnam.* Qem locum forſan in animo habuit Svidas, cum Ἀκράδαντον interpretatus eſt ἀπαλίνλωτον, ἀκίνητον. uti codices vulgati exhibent; ſed vitioſè, dubio procul. ubi malim ego ex Joſepho ſuperius exhibito, Theodoreto poſt exhibendo, ἀκλόνητον, qam avt cum H. Stephano ἀκίνητον, avt cum Æm. Porta ἀδόνητον, legere. Qin & Baſilius Cæſar. de Muſonio Neocæſarienſe Epiſcopo, *epiſt.* 63. ipſiſſimis uſus Apoſtoli verbis: Οἴχεται ἀνὴρ διαφανέστατα δὴ τὸ καθ' ἑαυτὸν

πᾶσιν ἁμοῦ τοῖς ἀνθρώποις ὑφηγητικῶν ἀγαθῶν, ἕρεισμα πατρίδος, ἐκκλησιῶν κόσμος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. *Obiit vir omnium ſui temporis in omnibus ſimul humanis bonis præſtantiſſimus, patriæ columen, eccleſiæ decus, columna & firmamentum veritatis.*

Accedit denique interpretationi huic ſtatuminandæ, ne nova & nunc primùm nata videatur, (quod nec eſſe indicat ſatis, Eraſmi, licet rejicientis, *annotatio*) Gregorii Nyſſeni auctoritas. cujus verba qia diſerta ſunt in mentem hanc, ex libro *de vita Moſis* tranſcribere non pigebit. Εἰ δή τις τῷ νῷ σαλωὶ διαφύγοι, καλῶς ἂν ἔχοι τοῦ ὑπηρέτης τῶν δείλ μυστηρίου, ὃς καὶ στύλος τῆς ἐκκλησίας κατονομάζεται ὁ λόγος, Ἀποστόλους τε καὶ διδασκάλους καὶ προφήτας, τὰ ὀνόματα ταῦτα ὀνομάζων ἔθει· ἃ γὰρ μόνον Πέτρος, καὶ Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος, στύλοι τῆς ἐκκλησίας εἰσὶν, οὐδὲ μόνος ὁ Βαπτιστὴς Ἰωάννης, ὁ λύχνος ὢν καιόμενος· ἀλλὰ πάντες οἱ δι' ἑαυτῶν τῆς ἐκκλησίαν ἱερίδρυσες, καὶ οἱ διὰ τῶν ἰδίων ἔργων φωστῆρες κυόμενοι, καὶ στύλοι καὶ λύχνοι λέγονται· ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου, φησὶ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους ὁ κύριος. καὶ πάλιν ἑτέρως ὁ θεῖος Ἀπόστολος στύλος εἶναι διαμαρτύρεται, λέγων, ἐλεγχοι γίνεσθε καὶ ἀμεταμέλητοι. καὶ Τιμόθεον καλὸν στύλον ἐπικτιλώσατο, πείσας αὐτὸν (καθὼς φησὶ τῇ ἰδίᾳ φωνῇ) στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας ἀληθείας. *Quod ſi quis tabernaculum inferius conſideraverit, optimè is myſterii divini adminiſtros; quos & Eccleſiæ columnas Scriptura nuncupat; Apoſtolos nempe & Doctores, & Prophetas nominibus iſtis inſigniverit. neque enim*

[a] Gal.c.2.v.9. *Petrus*[a] *duntaxat & Ioannes & Iacobus ſunt eccleſiæ columnæ; neque*

[b] Joan.c.5.v.35. [b] *Ioannes Baptiſta ſolus erat lucerna accenſa: Sed omnes in univerſum, qi eccleſiam operâ ſuâ ſuffulciunt, boniſque ſuis operibus aliis prælucent, & columnæ dicuntur,*

[c] Mat.c.5.v.14. *& lucernæ.* [c] *vos eſtis lux mundi, inqit Apoſtolis Dominus. alióſque rursus divinus ille Apoſtolus columnas eſſe jubet,*

[d] 1 Cor.c.15. v.58. *verbis illis,* [d] *firmi eſtote, atque immobiles. Timotheum verò columnam pulcherrimam effabricatus eſt, cum ipſum faceret (prout voce propriâ teſtatur) columnam & fulcimentum eccleſiæ veritatis.* Hæc ille. Qorum in noviſſimis quod legitur τῆς ἐκκλησίας ἀληθείας, vox altera περίλαχεν videtur: ſicut contra in Ambroſianis ſupra ἐλλείπειν aliquid. et è margine forſan illud ἐκκλησίας, à ſciolo aliqo Apoſtoli verba minùs attendente

tendente primitùs adſcriptum, per deſcribentium diligentiam nimis officioſam poſt in contextum irrepſerat. quod facilè ſuſpicor. nec renitar tamen, ſi qis deeſſe qidpiam, & vel ἡ ἐκκλησίας καὶ ἀληθείας, vel ἡ ἐν ἐκκλησίᾳ ἀληθείας, legendum potiùs cenſuerit. Qin & illud aliis penſitandum relinqo, an non duplex olim lectio extiterit contextus Apoſtolici, ut in exemplaribus qibuſdam pro ἀληθείας legeretur ἐκκλησίας. qo modo Baſilium citare ſuprà indicatum eſt; & citavit. qi Nyſſenum ferè tranſcripſit, Procopius. qà ratione factum ſit, ut apud Nyſſenum qiſpiam utrunqe conſcripſerit. Poteſt avtem *veritatis columna* dici Timotheus; qo modo *Philoſophiæ columen* Platonem dixit Arnobius *adv. gent. l.* 2. Poteſt & *eccleſiæ columna* dici, qo modo *porticus* Chryſippus. non ita tamen, uti de Chryſippo nonnulli, referente Laertio, *l.* 7.

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά.
Haud, niſi foret Chryſippus, eſſet porticus.

Iſta interim qocunqe modo ſe habuerint; de Timotheo prolata hæc, diſertè pronunciat Nyſſenus: qem κίονα τόνδε ſiqitur Procopius *in Exodum*, ubi de tabernaculi ſacri columnis agitur, & cum eodem pariter de Timotheo interpretatur.

Hi verò omnes, cum antegreſſa clavſulam iſtam reſpicere, & cum eis committendam exiſtiment: ſunt tamen qi in adverſum contendant, & ad illud qod ſeqitur, pietatis nempe tantopere prædicatum myſterium, referenda potiùs arbitrentur.

Ita vir eruditiſſimus Joan. Cameron Scoto-Britannus, (qi à D. Andreâ Melvino comprovinciali ſuo id haviſſe perhibetur) *de Eccleſiâ tract.* 5. *Myſterium*, inqit, *pietatis ſummam, nempe, evangelii, columnam ac firmamentum veritatis vocat.* Itaqe verba ſic concinnanda cenſet: Στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. *Columna & firmamentum veritatis, & ſine controverſiâ magnum, eſt pietatis myſterium.* Eodémqe inclinat Vir doctiſſimus Abr. Scultetus *obſerv. in ep.* 1. *ad Tim. c.* 1°. Rationes, qas pro ſententiæ ſuæ firmamento adducit vir clariſſimus, hæ ſunt. 1. *Alioqi hiulcam & ſuſpenſam videri*

poſſe

posse dictionem Apostolicam. quum sequentia cum precedentibus vix aptè cohæreant. 2. *Non solere Apostolum, ab & conjunctione argumenti novi tractationem inchoare.* 3. *Solenne esse apud Judæos, ubi qis profitetur se præcipua religionis dogmata traditurum, ut viam præmuniat, præmonendo, columnam esse & fundamentum veritatis vel sapientiæ, qod traditurus est. Ita Mosen Majmonidem opus nobilissimum de Judæorum dogmatibus orsum; Fundamentum fundamenti, & columna sapientiæ hæc est, ut sciamus qid sit ens primum, &c.* 4. *Durum admodum esse, ut Ecclesia potiùs dicatur firmamentum, & columna veritatis, qàm veritas columna & firmamentum Ecclesiæ. qum & Ecclesia qòd stat invicta, atqe immota, id veritati acceptum ferat.* Hæc ille. Et certè Jo. Chrysost. ad hunc locum, *orat. in Epist. hanc.* 11. Ἡ ἀλήθειά ἐστι ἡ ἐκκλησίας καὶ στύλος καὶ ἑδραίωμα. *Veritas est Ecclesia & columna & columen.* Irenæus itidem *adverf. hæres. l.* 3 *c.* 1. *Evangelium*, inqit, *qod* (Apostoli) *tunc præconiaverunt, postea in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Et rursus, *c.* 11. *Columna & firmamentum Ecclesiæ est evangelium.* qi & ideò qatuor vult esse evangelia, qæ qatuor orbis terrarum plagis respondeant, per qas Ecclesia est diffusa & disseminata. Basilius verò Selevcienfis, *orat. in Matth. c.* 16. *v.* 18. Ταύτην τὴν ὁμολογίαν πέτραν καλέσας ὁ Χριστὸς, Πέτρον ὀνομάζει, τὸν πρῶτον πάντων ὁμολογήσαντα· γνώρισμα τῆς ὁμολογίας τὴν προσηγορίαν διορίζων· ἄνωθεν γὰρ ἀληθοῦς τῆς εὐσεβείας ἡ πέτρα· ἄνωθεν τῆς σωτηρίας ἡ κρηπὶς· ἄνωθεν τῆς πίστεως τὸ τεῖχος· ἔστω ὁ τῆς ἀληθείας θεμέλιος. θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸ κείμενον, ὃς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. *Hanc confessionem Christus ubi petram vocaverat, eum qi primus illam professus est, Petrum nuncupat; professionis indicium indens nomen. hæc est enim reverâ pietatis petra: hæc salutis basis: hic fidei murus: hoc veritatis fundamentum. fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter illud qod jactum est, Jesum Christum.* ex ad Corinth. ep 1. c. 3. v. 11.

Proinde & ex eis, qi ad Ecclesiam hæc referunt, hoc tamen sensu accipiunt, ut veritate tanqam columnâ, sive destinâ Ecclesia suffulciri & sustineri dicatur. Ita Victorin. Strigelius; *Potest*, inqit, *passivè dictum intelligi; Ecclesia fulci-*

tur

tur & ſuſtentatur, non opinionum commentis, qæ dies delet, ſed veritate, quam tempus confirmat. Et acutè admodum Lancelotus noſter, Præſul, tunc Elienſis, poſt Vintonienſis, *ad Bellarmini Apolog. Reſponſ. c.14. Columna ea veritatis ſic eſt; non cui veritas innixa, ſed qæ ipſa veritati. neqe enim columna hæc in aere pendet: baſin habet & crepidinem. ubi niſi in verbo Dei?* Eôdem concedere videtur & Theodoretus. Οἶκον γὰρ, inqit, θεοῦ τὴν ἐκκλησίαν τὴν πιστευκότων καὶ ζύλον φησὶν καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας· ὄντως γὰρ τὰ τέτρασι ἠρηρεισμένοι, καὶ ἀκλόνητοι διαμένουσι, καὶ διὰ τῶν πραγμάτων κηρύττοντες τὴν τῶν δογμάτων ἀλήθειαν. *Domum*, inqit, *Dei & Eccleſiam, appellat cœtum eorum qi crediderunt. eos dixit columnam & firmamentum veritatis. ſupra petram enim fundati, ſtabiles & immobiles permanent: & rebus ipſis prædicant dogmatum veritatem.*

Qin & commodùm obſervavit Gvil. Vhitakerus noſter *de Eccleſ. controv. 2. qæſt 4. c. 2.* ζύλον καὶ ἑδραίωμα, *columnam* qidem *& firmamentum*, non & στήλιον, h.e. *fundamentum, veritatis* diei *Eccleſiam.* Præclarè Arnobius *adv. gent. l 3. Neqe enim ſtare ſine aſſertoribus non poteſt religio Chriſtiana: aut eo eſſe comprobabitur vera, ſi aſtipulatores habuerit plurimos, & autoritatem ab hominibus ſumpſerit. ſuis illa contenta eſt viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur: nec ſpoliatur vi ſuâ, etiamſi nullum habeat vindicem: imo ſi linguæ omnium contra faciant, contráqe nitantur, & ad fidem illius abrogandam conſenſionis unitæ animoſitate conſpirent.* Accedit & qod Apoſtolus Epheſios hos, prout & fideles qoſqe, ait ἐποικοδομηθῆναι ἐπὶ τῷ θεμελίῳ ἀποστόλων καὶ προφητῶν, *Superſtructos eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Epheſ. c. 2. v. 20. h.e. *Super vetus & novum Teſtamentum. qod enim prædixerant Prophetæ, prædicaverunt Apoſtoli:* inqit Avtor Ambroſii nomen præferens. Nimis ſiqidem argutum eſt, qod Primaſius, (ſi is eſt) in *commentariis* huic tributis; *Prophetarum novi, non veteris, Teſtamenti: alioqi Prophetas priores nominaſſe debuerat.* cum in recenſionibus familiare ſit, ut dignitatis magis qàm temporis ratio habeatur. Avtor idem iſte: *Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum Chriſtus eſt, qi etiam lapis dicitur*

angularis, (Pſal.118. v.22. Matth.c.21. v.42.) *duos parietes conjungens & continens. Et fundamentum autem & ſummus, quia in ipſo fundatur & conſummatur Eccleſia.* Ita Theod. Beza: *Super Jeſum Chriſtum, qi eſt Apoſtolica & Prophetica ſtructura fundamentum: ſic enim Apoſtolus ipſe ſe explicat. Cor.ep.1.c.3. v.11. ex Eſaja c.28.v.16. ut Apoſtoli & Prophetæ hujus templi, i.e. Eccleſiæ Dei, Architecti, non autem fundamentum, dicantur.* Et Fr. Junius *ad Bellarm. controv.3.l.3.c.23. §.54. Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum eſt, qod Apoſtoli & Prophetæ poſuerunt.*

Cæterùm obſtare videtur interpretationi huic, qo *fundamenti* vocabulo *Chriſtus* hoc loco intelligitur, qòd fundamenti iſtius λίθος ἀκρογωνιαῖος idem iſtic nuncupatur: tarqam in fundamento hoc ipſo *lapis* ipſe ſit, vel *ſummus*, ut Vulgatus Interpres reddidit, eúmqe ſecuti veteres pleriqe, vel *imus*, ut Beza & Piſcator, verterunt. qod utrunqe tamen Hieronymus Zanchius probè ſatis conciliat, cum *lapidem angularem* ejuſmodi deſignari exiſtimat; *qi ab imo uſqe ad ſicii fundo, ad ſummum ejuſdem culmen pertingat.* qô ſpectare videtur, qod Jo. Chryſoſtomus; (qem & Theophylactus tranſcripſit) Ἁπλοῦν ἐστὶ τὸ πᾶν ζωήχων εἶναι ὁ χριστός. ὁ γὰρ λίθος ὁ ἀκρογωνιαῖος καὶ τοῦ τείχους ζωήχει καὶ τοῦ θεμελίου. Et Chryſoſtomi veſtigia premens Scholiaſtes Græcus: Αὐτὸς ὁ καὶ θεμέλιον καὶ τὸ οἰκοδόμημα, ἄνωθέντι καὶ κάτωθεν, ζωήχων καὶ συναρτῶν. *Ipſe eſt, qi & adificium, & fundamentum, qod lapis ſolet angularis, tam ſuperiùs, qàm & inferiùs continet & conſtringit.* Qamvis enim ſæpenumero deprehendatur, ut res una eadémqe appellationes tralatitias varias ex rationibus variis obtineat: ſicut & unâ eadémqe imagine ſev ſimilitudine res variæ & à ſe invicem plurimum diſcrepantes denotentur. qod fusè docent Avguſtinus de *Doctr. Chriſt. l.3.c.25. in Pſalm.35. et 66. et 90. et 103. et 108. in Joan. tract.13. ſerm. in Parabol. ſeminant. in Eſau & Iacob. de diverſ.20.&c.* Gregorius Nyſſen. *adv. Evnom.l.10.* et Iſidorus Peluſ. *l.2. epiſt.175.* unde & *Chriſtus* idem, nunc *fundamentum*, Cor.ep.1.c.3.v.11. nunc *templum*, Joan. c.2. v.19. nunc *oſtium*, Joan c.10. v.7.9. nunc *lapis angularis*, Pſalm.118.v.22. nunc *Architectus* etiam, Matth.c.16.v.18. dicitur.

Petrus Picherellus, vir qalis, qantus. p.136. l.26-p.137.l.21. κοσμοποιίας paraphraſin qâ methodo conſtituerit. p.171. l.16. p.189.l.29.

Philoſophi hæreticorum patriarchæ. p.146. l.14.

Phœnix avis fabuloſa.p.18.l.14-p.20.l.32.

Pleonaſmi exempla varia. p.166. l.17.38. p.167. l.18. p.168.l.3.

Plures mali.p.332.l.2.

Pluralium uſus, diſcretivus, p.332. l.11. -p.334.l.8.diſtributivus.p.341.l.5-p.342. l.25.amplificativus. p.334.l.9-p.338.l.25. deminutivus. p.339. l.18-p.340. l.7. peculiaris in propriis. p.340.l.8,15.

Pocula antiquiùs in menſis poſita. p.231. l.2-25.

Pœnis annuli in avribus.p.297.l.35.

Poetæ multa confingunt. p.263.l.14,31. à ſe invicem mutuantur. p.7.l.15,16.p.263. l.19.

Poetica licentia. p.263.l.13.

Pontifices Judæi intra annum qandoqe ſucceſsivè plures. p.75.l.14. primarii plures ſimul.p.77.l.10.illorum ſeries & ſucceſſio. p.76.l.22-p.78.l.30.

Pontificum Romanorum faſtus. p.372.l.16. -p.373.l.8.

Populus terræ non eſt pius.p.271.l.38.

Præcepta tranſcendere nemini datur. p.52. l.17,24. adverſus ea in multis delinqunt univerſi. ibid. l.26. in externis tamen qibuſdam qâ ratione plus aliqid præſtari qeat. p.272.l.8.

Præterita pro futuro qâ ratione in ſacris.p.53 l.21-28.

Primitiæ ex præcepto qota pars. p.272.l.17. eas dantium claſſes tres. ibid.p.24.

Proſpera corrumpunt.p.324.l.22-p.325.l.6. p.406.l.1.

Publica pacta, geſta, columnis inciſa. p.405. l.20.

Pythagoræ μετεμψύχωσις.p.146.l.17.

Rationis examen refugiunt luminum novellorum myſtæ. p.144. l.28-30.

Reciproca in perſonam agendi notione. p.338.l.23.

Reges titulos modeſtos veroſqe ſumentes feruntur; faſtuoſos falſoſqe ambientes arrogantesqe deriſui habentur. p.33.l.19-32.

Regnum qanti habitum. p.9.l.1-14.
Regnum Christi spirituale. p.36.l.31,35. seculare somniabant ipsius affectæ. p.36.l.12 frustra. ibid. l.27-p.37.l.5. nec eis tamen interdictum istud. p.36.l.9.
Religio Christiana suis viribus, non asserto-rum ope suffulta constitit. p.401.l.20.
Resurgentium duabus plures classes commentitiæ. p.51.l.29-p.52.l.32. p.53.l.12. horum congregatio, degregatio, segregatio, aggregatio. p.52. l.36-p.53.l.11. non resurrecturos impios Rabbinorum qorundam delirium. p.54.l.15.
Resurrectio duplex. p.54. l.18. communis. ibid. l.20. peculiaris. ib.l.22. ad pœnam. l.31. ad vitam. l.34.
Roseæ crucis fratres. p.146.l.38.p.147.l.1.

Sacrificia ab impiis, impuris, perjuris, iniqis numini ingrata. p.303.l.7-31. spiritualia qx. p.303.l.1. p.318.l.1.
Sandalio, socco, soleâ cædere, cædi, qam contumeliosum. p.334.l.11-p.375.l.15. p.376.l.5-26. p.389.l.7.
Sapientiam divinam qalem confingant Theosophi novitii. p.142.l.17.p.145.l.12.
Sardonius risus qalis, & unde dictus. p.43. l.15.
P. Scipionis rei habitus. p.323.l.37.
Scripturæ plenitudo. p.148. l.16. sola in rebus fidei lux certa. p.197. l.8. ex scriptis exteris illustrata. p.314. l.30. p.320.l.35. praxis ea Patribus qi probata. p.320.l.38. -p.321.l.33.
Senum affectus, decrepare, desipere. p.320. l.7.
Separatio Hebræis qibus formulis designetur. p.166. l.9.
Servitus qando nulla. p.302.l.3. servitus in domo Dei præ libertate maximâ. p.298. l.12.
Servorum gradus, atrienses, mediastinus, p.296.l.37. p.380.l.11.
Servus in qibus beneficio locum habeat. p.272.l.36.
Servus peccati qis. p.301.l.11.
Servi ad limina excubabant. p. 296. l. 16. p.298.l.25. p.301.l.2. atrienses liberiores. p.296.l.34. ostiarii in vinculis. p.296. l.11.
Socco, soleâ, cædere, cædi. Vide Sandalio.
Soccum osculandum præbere, qale sit. p.372. l.29-p.373. l.8. in os impingere, qale p.373. l.10. p.376. l.13.
Solarii usus. p.209.l.19-30.
Soleas porrigere, induere, exuere, extergere, qorum sit. p.377.l.13-p.381.l.15. accumbentes ponebant, surgentes sumebant. p.377. l.37-p.378.l.16.
Solis progenies qinam habiti. p.310.l.18.
Sors cuiqe qæqe à Deo. p.240.l.24.
Spiritus Dei, qi super aqas motitabat, qis; & qorsum id. p.156. l.24. p. 164. l.33. p.165.l.12.
Sponsor sponsore indigens. Prov. Hebr. p.147. l.35.
Stirpes qatenus die tertio productæ. p.171. l.15-p.173.l.15.
Sues agrestes an Africa habeat. p.264.l.4.
Superbiæ affecta ignominia. p.93.l.30.
Supplementa, ἐκ τῶ κοινῶ. p. 163. l.25. p.164. l.6. negativæ. p.181. l.27-p.183. l.27.
Syntaxis immutata. p.351.l.7,19.
Syriacâ concepta sunt in V. T. qæ Chaldaica vulgò dicuntur. p.330.l.3.

Talmudica nugamenta. p.134. l.11-22. p.135. l.1-12. p.259. l.11. deliria. p.171. l.36. p.172.l.7. p. 190. l.4-p. 192. l.9. p.193. l.37. p.236. l.13. p.337.l.23.
Temura Talmudica qalis. p.134 l.19.
Tempestivitas qantum valeat. p.240.l.2.
Tempora distingvenda, ut concordet Scriptura. p.334.l.1.
Terentius Hecyram & Phormionem à qo sumpserit. p.115. l.17.
Theologia Germanica qalis. p.141. l.18.
Theomachia Luciferiana. p.142.l.30. p.145. l.26.
Theosophia Teutonica novella qanto cum fastu prodeat. p.141, l.21, hujus deliria impia,

impia. p.141. l.36.-p.143. l.25. rationis examen renuit. p.144. l.7.
Timor amore fortior. p.3. l.19.
Tractatio commoda libertate intempestivâ plus pollet. p.74. l.34. incommoda vulnere ipso angit magis. p.75. l.13.
Traditiones inanes & incertæ. p.197. l.3.
Trajectio. p.165. l.20. p.337. l.5.
Transitio, à numero ad numerum. p.330. l.10. à singulari ad pluralem. p.330. l.13. -p.332. l.14. à plurali ad singularem. p.332. l.15,27. à personâ ad personam. p.350. l.14.
Triturandi modi apud varias gentes varii. p.182. l.24. p.183. l.21. p.186. l.26. -p.189. l.21.
Turba imbellis in bello inutilis, damnosa. p.358. l.32-p.359. l.14.
Tyranni sapientes aversantur. p.7. l.24. pavci sine cæde defunguntur. p.292. l.15.
Uterum gestantium affectiones. p.208. l.27,32.
Variæ lectiones in codicibus sacris unde. p.338. l.23-p.339. l.12.
Veritas mendacii ope non indiget. p.21. l.1. p.136. l.13. nimium altercando amittitur. p.35. l.19. suis sustentatur viribus. p.401. l.24.
Vestes primis parentibus unde. p.292. l.16, 21.
Vestitus duplex. p.102. l.12-p.103. l.10.
Vinum & cor & vultum exhilarat. p.349. l.13.
Virtus vitii ope non indiget. p.20. l.38.
Vita æterna donativum Dei. p.95. l.7,24,32. p.96. l.23-p.97. l.17.
Volucres è terrâ creati. p.170. l.37.
Vulgus homines ex censu censet. p.317. l.4. vulgi judicium spernendum. ibid. l.34.
Vultus cordis affectum prodit. p.349. l.13.

Syllabus vocum & formularum Hebraicarum, Chaldaicarum, Syriacarum.

אֲבִיר p. 288. l.11.
אֵי & אִי qid propriè, qid figuratè, & unde. p.180. l.6.
אֲיִים p.337. l.36. p.338. l.2.
אֵין qid. p.221. l.25-p.122. l.9. idolis tributum qid. p.220. l.16. objectivè sumptum. p.222. l.18.
אַחַר *primus*. p.167. l.8.
אַחוֹר *postica*. occidentalis mundi plaga. p.283. l.22.
אַיָּלָה tam *cervus*, qàm *cerva*. p.158. l.13.
אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר qid. p.122. l.3. p.130. l.2
אֵלֶּא qid, & unde. p.46. l.11,18,24, 25,30.
אֵלֶּה qid. p.175. l.24. p.177. l.8.
אֱלֹהִים de Deo vero & uno. p.306. l.11,23.
de personâ singulari. p.337. l.30, 32. p.338. l.3.
אֱלִילִים *idola*, unde. p.220. l.28.
אֶלְחָנָן p.92. l.19.
אַל־תַּשְׁחֵת qid velit. p.123. l.14.
אֵם *qum*. p.139. l.23.
אָנַס tam *cohibere*, qam *cogere*. p.230. l.7.
אַף qid. p.214. l.33.
אֲרָיוֹת *leones*. p.260. l.6.
אֵת p.154. l.22. cujus casus index. p.155.

p.155. l.38. p.156. l.2. pro *cum* qando uſurpetur. p. 154. l. 10. p.156. l.3.
אַתָּה & אַתְּ in vocandi caſu. p.71. l.1.
אִתְּנוֹת & אִתְּנוֹן δῶρα p.258. l.14, 17.
ב pro אֶל *ad.* p.139. l.10. *adverſus.* p.222. l.11. deeſt. p.163. l.23.
בְּבוֹאָה qid. p.361. l.20.
בְּרָא qid. p.29. l.32.
בְּרִים notiones variæ. p.29. l.3,13,14, 22,31,34.
בְּתֻלוּת qid. p.337. l.23. p.338. l.7.
בֵּיתְאֵל & בֵּיתָאֵל p.220. l.18,21.
בִּכְרָה δῶρον. p.258. l.10.
בֵּן *filius*: & בַּת *filia*, unde. p.315. l.14.
בְּעִי Syris qid. p.327. l.23.
בַּעַל *dominus, poſſeſſor, præditus, inſtructus,* בְּנֵי *alis.* p. 187. l.17.
קַרְנַיִם *cornibus.* ibid. l.16. פִּיפִיּוֹת *dentibus.* ibid. l.11.
בָּרָא qid. p.143. l.29. qid ex eo elicient Cabaliſtæ. p.134. l.24.
גִּלְגַּל & גַּלְגַּל qid. p.188. l.12,17.
גִּלְגּוֹל נְשָׁמוֹת qid. p.146. l.19.
גְּתִית qid. p.121. l.25. p.126. l.4.
דָּגָה & דָּג uſus promiſcui. p.258. l.33. p.259. l.11.
דוֹר qid. p.10. l.3,4,12.
דוּר qid. p.296. l.3. p.298. l.13.
הוֹצְאַי qid. p.178. l.6.
הַזְכִּיר qid. p.123. l.16. p.127. l.21.
הֵיטִיב verbi uſus. p.304. l.7.
הַלְלוּיָהּ p.123. l.33.
הֵלֶךְ de navibus. p.356. l.21. de animbus. p.358. l.1.
הִסְתּוֹפֵף qid. p.295. l.13. p.298. l.4.
הֵר & הָרָה affinia. p.210. l.17,31.
הֶרָה verbum. p.209. l.5. verbale, qid ſignificet. p.210. l.7.
הֵרוֹן qid. p.207. l.33. p.208. l.16,21. p.209. l.2.
הֵרָיוֹן idem. p.208. l.17.
הִתְהַלַּכְתִּי qid. p.14. l.23.
ו & י invicem permutatæ. p.339. l.10
ו *avt.* p.181. l.17. p.183. l.28. p.189. l.25.
ita. p.17. l.19.
qum, qando, tum, tunc. p.140. l.11, 28. p.175. l.15.
ſed. p.181. l.7.
neqe. p. 181. l.28-p.183. l.27. p.189. l.24.
וְ διαζευκτικὸν καὶ διασειλικὸν. p.355. l.14.
זְמַן qid proprie. p.231. l.34. p.240. l.22. p.241. l.15.
חֶבֶל qid. p.208. l.3.
חַג הָאָסִף feſtum qod. p.253. l.34.
חַג הַקָּצִיר qod. p.253. l.12.
חוּלָל qid. p.66. l.19, 20.
חָטָא qid. p.15. l.35. p.299. l.3.
חִיל qid, p.208. l.5.
חִיץ qid. p.106. l.15.
חִיצָא qid. p.106. l.28.
חִיצָאוֹת qid, & unde. p.125. l.21.
חָלִיל qid, & unde. p.125. l.21.
חֲלֹם verbi notiones variæ. p.287. l.17
חֲמוֹר tam *aſina*, qàm *aſinus.* p.258. l.20.
חֵן qid. p.90. l.33. p.93. l.16. hinc formulæ. מָצָא חֵן p.90. l.34. נָשָׂא חֵן p.90. l.38. נָתַן חֵן p.91. l.4. qid velint.
חַנִּיבַעַל *Hannibal*, unde dictus p.92. l.18.

חֲנִנְיָה

חֲנָנִיָה unde dictus. p.92 l.17.
חָנָה *habitare*. p.139.l.5.
חָסִי Syrũ,unde.p.248.l.30.p.269.l.2
חָסִיד p.92.l.1 receptionis & objecti, an affectionis & subjecti, notionem habeat, qalemqe designet. p.267. l.31-p.273.l.6. p.277.l.33.
חֲסִידָה *ciconia*. p.352.l.32.-p.353. l.3. unde dicta. p.269.l.28.
חֹפֶץ *res,negotiũ*.p.240.l.33.p.241.l.12
חָצִיר qid. p.350.l.37.
חָרֵץ qid. p.185.l.22.
חָרוּץ qid, unde, qi usurpetur.p.184. l.8.-p.187.l.10.
טוֹב *gratiosus*. p.92. l.32. *suavis*. p.165.l.16. *utilis*. ibid.l.34. *hilaris*.p.236.l.33.
טוֹב לֵב qid. ibid.l.34.
טִיבוּתָא Syris qid. p.92.l.34.
טַעַם qid; ejusdemqe usus varius. p.173.l.19.-p.174.l.7. בְּטַעַם qid. p.173.l.37. p.174.l.2. fine ב p.174.l.4.
׳ vide ׳
יְבֵשָׁה *avida*. p.116.l.5.
יֵד *spatium*. p.355.l.15.
יְדִידוּת p.123.l.36.
יֶלֶד de utroqe sexu:p.54.l.23.p.56.l.14
יַעְבֵּץ *Jabets*,unde dictus, p.208.l.4.
יִצְהָר *oleum*, unde. p.351.l.26.
כְּאַחַד *similiter,simul*. p.292.l.34.
כִּי *enim*.p.179.l.32.*qum*.p.179.l.34. *qamvis*. p.220.l.4.
כֵּן variæ notionis vocula.
לֹא formula freqens. p. 24. l.30. -p.37.l.8.
כַּף qid, & de qibus usurpetur.p.242. l.38. p.243.l.1. p.244.l.17.
כֶּתֶם qid. p.122.l.20.
כְּתֹנֶת פַּסִּים vestis qalis. p.109.l.10.
ל genitivi index. p.178.l.27.
לֵחֶם qi usurpetur. p.184.l.4. p.343. l.5. p.348.l.36.
לְמוֹד *peritus*. p.185.l.20.
לָשׁוֹן *lingva*.de mari. p.355.l.21.
מוֹרָג qid. p.184. l.12. p.185.l.28. p.188.l.2.
מוֹשָׁב *conseſſus*. p.14.l.29.
מִזְמוֹר *psalmus*, unde. p.124.l.14.
מִזְמוֹר שִׁיר psalmus qalis. ibid.l.25.
מַחֲלַת qid,et unde.p.122.l.8.p.125. l.24. p.130.l.1.
מַחֲלוֹת qid, & unde.p.125.l.22.
מֵימַר Chaldæis et Syris qid.p.152.l.27
מַכְתֵּם qid, & unde. p.122.l.20.
מִן nota eminentiæ. p.352.l.14. efficientiæ. ibid.l.26. motus localis.p.360.l.22-38.
מִנְחָה oblatio qalis.p.280.l.24.
מִנְצַח qis. p.119.l.36-p.120.l.13.
מַעֲטֶפוֹת qid.p.106.l.6.
מַעֲלָה *gradus*.qi sumatur.p.122.l.24-p.123.l.10.p.127.l.28-p.129.l.29.
מַחַץ שֶׁלֶג qid. p.96.l.12.
מְנִינוֹת organa qalia, & unde dicta. p.125.l.28.
נְדִיב qis.p.268.l.8.
נְדִיבִים qi.p.32.l.32.
נֶחֱר p.170.l.1.
נְחִילוֹת organa qalia.p.125.l.21.
נִין *soboles*.p.30.l.3.
נְסֹךְ *libamen*. p.280.l.25.
נֹצָה *pluma*.p.270.l.5.*struthio*.ib.l.7.
סָעַד *fulcire* de cibo. p.343.l.5. inde Chald. סְעַד *comedere*, & סְעוּדָא *cibus*. ibid.l.23.

סְעִיפִים qid propriè, figuratè. p.29. l.38.
סַף *limen, poſtis.* p.298. l.7.
עֵירוֹת qid. p.123. l.22,29. p.126. l.2.
עֵשֶׂק objectivè ſumptum. p.122. l.18.
עֹשֶׁק qid p.100. l.6. p.106. l.3.
עֹלָה *frons.* p.200. l.34-p.202. l.1.
עֲלָמוֹת in muſicis qid. p.126. l.21.
עֲלָמוֹת רַבִּים p.121. l.2. p.126. l.24.
עָמָל *μόχθος, labor.* p.221. l.26.
עָנָה qàm variæ notionis vox. p.325. l.21. p.328. tam in activâ formâ paſſivè, qàm & in paſſivâ activè ſumitur. p.326. l.18.
עָנוֹת qid veſit. p.126. l.13.
עָצֵב & עֶצֶבוֹן qid. p.207. l.37. p.208. l.8 14. p.210. l.38.
עָצוּם qid. p.185. l.18.
עָצַק *oppreſſor.* p.185. l.19.
עָרִיץ qid. p.288. l.14.
עֵשֶׂב *herba.* p.178 l.13. p.350. l.37.
עֲשֵׂה qàm latè pateat. p.323. l.14.
פַּעֲמוֹת vide בְּעַל.
פַּסִּים vide כְּתֹנֶת.
פֶּרֶא *onager, ὄνος ἄγριος.* p.258. l.10. p.259. l.14.
פָּרָה & פָּרַת qi uſurpentur. p.186. l.12.
פֶּרֶק qid. p.294. l.27.
פָּרָשִׁים qo ſenſu uſurpetur. p.187. l.25.
צָהֳל qid. p.351. l.31. p.352. l.17.
צָהַר qid. p.351. l.27.
צַדִּיק *juſtus.* p.268. l.17. p.277. l.33.
צָמַת qomodo ſumatur. p.177. l.29. p.178. l.3.
צָפַר qàm varii ſignificatus. p.359. l.29-p.360. l.17.
צַפִּירָה *aurora.* p.359. l.33. *corona.* ibid. l.37.
קֶדֶם *antica* pars mundi, plaga Orientalis. p.283. l.22.
קוֹל qid, & unde. p.169. l.31.
קוֹרֶלֶת qâ ratione dicatur. p.121. l.14
קוּם *exſurgere, conſiſtere.* p.55. l.37. p.56. l.1-9.
קְלָלִי & קְלָלוֹ qid. p.186. l.9.
קָשָׁה qi dicatur. p.186. l.7.
קֶרֶן *cornu.* de ungulâ. p.888. l.38.
רֵאשִׁית unde. p.151. l.26.
רֵאשׁוֹנָה & רִאשִׁית *primitùs.* p.138. l.16-p.140. l.36. p.151. l.21,24. p.153. l.6-30.
רוּחַ אֱלֹהִים qid. p.156. l.24. p.164. l.33.
רָחַף unde מְרַחֶפֶת qid. p.160. l.4. -p.164. l.31. an *ἐπιπόθησεν καὶ ζωογονῆσαι* ſignificet. p.160. l.6-12. 20-33 p.161. l.5,8. an columbæ peculiaris. p.160. l.8, 12, 17. Syris qid. p.160. l.34-p.161. l.4. in motus, non quietis, notione ſemper in Scripturis p. 161. l.8. -p.162. l.29. p.163. l.1.
רָשָׁע qis. p.13. l.35. p.271. l.7,36.
שִׁגְיוֹן in muſicis qid. p.126. l.25.
שְׂדֵה *ager.* p. 177. l.18. p.178. l.9. p.179. l.2,9.
שׁוֹשַׁנִּים *hexachorda.* p. 125. l.33. p.126. l.2.
שִׁיחַ qid. p.177. l.25. p.178. l.16-36.
שִׁיר *qdà.* p.124. l.12.
שִׁיר מִזְמוֹר cantilena qalis. p.124. l.23
שִׁית זְוָנָה *amictus.* p.100. l.6. שִׁית *habitus meretricius.* ibid. l.8.
שֵׁכֶת qid. p.185. l.20.
שְׁמִינִית tonus muſicus qis. p.126. l.22
שָׂפָה *labium.* de amne, & mari. p.356. l.16. שְׂפָם

שֵׁם *mystax.* p.323.l.3.
תַּחְלָה adverbialiter. p. 123. l. 32. p.151.l.26.
תּוֹרָה cantio qalis. p.123.l.21.
תְּחִיָּה *reſurrectio ad vitam.* p.55.l.21.
תֵּימָן *dextra* pars mundi, plaga Auſtralis. p.283. l.20.
תָּמָר *palma.* p.18.l.31.
תְּפִלָּה *ſupplicatio* p.123.l.15.
תַּפַּר qàm laxæ notionis. p.201 l.9 28.
תְּקוּמָה *reſurrectio* in genere. p. 55. l.20.

Syllabus vocum Græcanicarum.

Ἄ Cυαπες, qid ſonet. p.156. l.34.
ἀγαθὸς qis. p.276. l.33. p. 277.l.2,11.
ἀλλὰ pro ἀλλ' ἢ, πλὴν, εἰ μὴ. p.4 .l.33. p 48. l.6.
ἁμαρτία. p.222.l.30.
ἀμφιμάλακ vestis qalis. p.111.l.6,9.
ἀνὰ. p 58.l.8.
ἀναβίωσις. p.55.l.21. ἀναβίωσις ζωῆς. ibid.l.22.
ἀνακλίδαι. p.288.l.14.
ἀνάστασις. p 55.l.21. p.64.l.2 ἀνάστασις καὶ ζωὴ, ſive ζωῆς. p.55.l.12. ἐκ νεκρῶν. ibid. l.15. νεκρῶν, & τῶ νεκρῶν, an diverſa. ibid.l.18.
ἀναῦσαι variè ſumptum. p.5 .l.13.p.62.l.7,25.
ἀνέλκαδαι qid.p.203.l.37.
ἀντανίσασθαι.p.222.l.37.
ἀντικατασκευαι. ibid.l.36.
ἀντιπλαρχίαν unde. p. 269. l.30.
ἀντοφθαλμεῖν.p.56.l.24.
ἀνωθεν. ruſum, ſurſum.p.58. l.10.
Ἀπολιπόντες, an Ἀπολιπῶν σι, fabula. p.108. l.2, 4. p.114.l.15.
ἀρετὴ δόξα qid. p.312.l.38.
ἀρνακίδες. p. 108. l.38. p.109.l.2,5.
ἄρχεσθαι redundans. p. 40. l.28.
ἡ ἀρχὴν, adverbialiter.p.153 l.12.
ἄσματα. p.124.l.12.
Αὐτυσεγκλῆ, fabula.p.114. l.27.
βάλεσθαι redundans. p. 41. l.31,33.p.44.l.5.
Γελῶ qid, & unde. p.115. l. 11, 12. ridiculus in eo Croji lapſus. ibid.l.8.
γλυκὺ qid. p.70.l.22.
Γραμματιδιοπιδὸς, fabula. p.114.l.30.
Διαβάλλων, fabula. p.115. l.32 p.116.l.1,5.
δίκαιος unde. p.269.l.1. *bonus, æquus.* p.278.l.2.
δικαιοσύνη, *elemoſyna.*p.278. l.1.
δικαιώματα qx. p.106.l.4.
διοσημίαι qi dicti p.6 .l.25.
δίσχεμ *anteps.* unde.p.187. l.15.
δοκεῖν verbi uſus varius.p.37 l.13-p.39.l.32. *putari,* non *putare.* p.41.l.22 30.p.42. l.7. redundans. p.39. l.33-p.41.l.21.p.42.l.27.οἱ δοκοῦντες qi dicuntur. p.37. l.14,22,29,36. p.38. l.6-p. 39.l.8. οἱ δοκάμενοι an dicatur. p 38.l.2.
ἐγκομβῶσθαι qid.p.107.l.28. p.108. l.13.
ἐγκόμβωμα cinctus qalis. p.107.l.26.p.108.l.14.
ἐλεαίωμα qi .p.395 l.29.
ἐλεολοξία.p.4 .l.17.
εἰ μὴ, pro ἀλλὰ.p.48.l.3.
ἔλαφος. p.259. l.32. p.362. l.1. ὁ ἔλαφος an dialecti alicujus peculiaris. p. 260. l.25.
ὁ ἑλίφας, ἑωίχοτον. p.259. l.21.
ἐνδύσασθαι. p. 100. l. 22. -p.107.l.6.
ἕσθλα organa qx.p.125.l.34
ἐξανάστασις, vox ſignata.p.54 l.35.3 .
ἐξωμὶς veſtis qilis, & unde dicta p.110.l.31 p.111.l.33
ἐπίβλημα p.110.l.2 .p.111. l.34-36.
ἐπιδικαζόμενος, & ὁπιδικαζομένου, fabulæ. p. 115. l.20,25.
ἐπικόμβια qx.p.107.l.19.
ἐπίκυρσι, & ἐπίκυρσι. p. 373. l.29,35.
ὁπισυναγωγὴ qid.p.53.l.9.
ἐπίτικος. p.210.l.14.
ὁπτυμβίδιοι *galeritæ.*p.176. l.12.

ἀπυρὶς vestis qualis. p.211. l.34,36.
Ἐρεσμα. p.392.l.10,17.
ἑρ& ἐλαιν& p.344.l.25.
εὐθολόμαλα.p.100.l.5.
εὐτερεμάχαλος.p.111.l.6,11.
εὐοργήλαι qd.p.32.l.29-p.34 l.21.
εὔχαδ&.p.42.l.2.
κυβερνᾶς, gubernator.p.357 l.3.
θέλειν redundans p.40.l.24. p.43.l.27,31,35.
ἐκ θυρῶν, & ὀπὶ θύρας. proverbialia.p.299.l.7,8.
ἴππ&, ὀλίχειρον. p.259. l.26. num de fœminâ usurpare sit dialecti peculiaris. p.260.l.16,25.
καθίλκαδ&. p.203.l.36.
καὶ, sed, autem, p.406.l.35.
καμὸς.p.239.l.38.p.240.l.1,
κάλλ&, de oleo, sive unguento.p.351.l.35-p.352.l.8
καυθήλιος, & καυθήλια qd. p.22.l.25,30.
κάνθοι.p.188.l.18.
καρδία medicis priscis qd. p.345.l.12.
καρδιαλγία & καρδιωγμὸς, affectus qualis.ibid.l.18.
κάρηνα pars corporis qæ. p.249.l.2-31.
καταρτίζειν qid, & unde tractum. p.74.l.37.
καταχυρεύειν, & καταξυσάζειν, qid sonent.p.32.l.4-28.p.34.l.22-p.35.l.16.
κατορθώματα.p.100.l.5.
καφάλαιον. p.152.l.1-10.
κόμβ&.p.107.l.10.
καμβᾶδ&.p.109.l.22.
κομβολυτὴς.p.107.l.14.
κόμβωμα.p.108.l.12.
κομβώματα. p.109.l.17,33.
κομβῶσαι.p.108.l.11.
κομβώσαδ&. ibid.l.12.
κοπᾶν. p.248.l.14.
κρίσις, κατάκρισις.p.74.l.31.
λελογισμένη&. considerata. p.185.l.25.
λόγ&.p.152.l.26.p.314.l.3
μεταγωγισμὸς.p.146.l.18.
μετακεχιρισμὸς qid, & unde tractum.p.74.l.25,35 p.75. l.15.
μετημψύχωσις.p.146.l.17.
μία, una, prima p.166.l.38. p.167.l.1.
μικὸς κατ' ἐκτὴν.p.9<.l.15.
μύρωσις.p.101.l.13.
ναυσιπόδες qi dicti. p.356. l.1.
νομίσως qid. p.246.l.15-p.147.l.6.
ὄισδ&. p.41.l.32.
οἰνόπλεα Athenis qi. p.237. l.9.
ὁμιλία. p.1 .l.10.
ὀρθρίζειν.p.359.l.31.
ὀριλῶσαι.p.69.l.31.
ὄρ& unde. p.210.l.17.
ὅτι& unde.p.268.l.30.p.269 l.5.
ὀλοχύται.p.28 .l.25.
ὀχ ὑπος.p.30.l.38.
ὀφθαλμοὶ.p.237.l.9,25.
ὄφρυς, de monte.p.356.l.27.
ὀφώνιον. p.93.l.37.
παρακαλέδ& p.288.l.17.
περιτομὴ pro circumcisis. p. 222.l.25.
πεφυτεῦσαι. p.66.l.10.
πιεύειν τινι, ἢ εἴς τινα, nunc promiscuè. p.381.l.9. p.385.l.7.nunc distinctiùs usurpari.p.385.
πιεύειν εἴς τι, ἢ ἐφ' ἑτέρου. p.385.l.18.
ποδόνιπτρον.p.369.l.8.
ποδόψηστρον.p.381.l.6,8.
πᾶς de itinere terrestri. p. 357.l.30-31.
πλωὸς, & πλωΐνη, qi usurpentur. p.368. l.5,7.
πονηρία pro improbis.p.222. l.29.
ποντοπόροι νῆες.p.356. l.30.
πορεῖα, de navigantibus. p. 357.l.10.
πρόθυρία.p.240.l.22.
πρόθυρον, & πρόπυλον. p.101.l.10-31.
πρωρεῖς.p.227.l.36.p 228. l.1.
πόλ&, qorum sit. p.260. l.16,25.
ῥαβδωτὴ striatæ conchæ, virgatæ vettes.p.109.l.25,30.
σαυνὶς.p 20.l.25.
σαῦλαι p.55.l.38.
σῆλαι p.40 .l.14.
σηλιτεύειν.ibid.l.15.
σίλοι.p.407.l.13,15.
συμβαίνει, redundans. p.43. l.23.
σὺν ulus varii. p.155. l.16-24.
τιλῶσαι.p.69.l.33.
τοιχογραφεῖν.p.331.l.4.
τοιχογραφία.p.330.l.25.
τοκῶσα.p.210.l.14.
τολμᾶν ἀκίνητα.p.273.l.12-p.275.l.28.
redundans.p.42.l.30. p.43. l.2.
τύραννος & τυραννὶς, regnum.p.8.l.4-p.9.l.20.
ὕμνοι.p.124.l.16.
φανέρωσις. p.64. l.20. p.65. l.31. p.66.l.7.
φολυζ.p.18. l.9,35.
φύσις, an de Deo dicatur. p.64.l.18.p.65.l.1.18.
φύσις θεία, qid. p.65. l.17, 21. ἀνθρωπίνη, θηρίων. ibid.l.22.
χάειν qid. p.90.l.33. p.93. l.34. χάειν σύρτιν, ἔχειν. p.90.

p.90.l.34. *διδόναι.* p.91. l.2.
χάρισμα, donativum. p. 96. l.36.
χαρίσματα, donativa. p.95. l.18.
χαριστέον. p. 96. l.18. *μισθὸς χρὴ χάριν.* ibid.l.15.
χαριτῶσαι, & χαριτωθῆναι, qid. p.91.l.30,31.
χεῖλος, & χείλη, de amnibus & mari. p.356.l.15.
χειρισμὸς qid.p.74.l.38.
χειρίστειον. p.369.l.7.
ψαλτήρια organa qx.p.125. l.35.
ᾠδαί. p.124.l.16.

Syllabus vocum & formularum Latinarum.

A & Ab, poſt, p.360. l.24.
a, *in o tranſire.* p.169.l.9.
abyſſus *qid.* p.159. l.13,16, 26.
Alpes *pro montibus celſis.* p. 2[illegible]5.l.33,37.
ambulare, *de navibus.*p.355. l.21.
amictus luce. p.308.l.1.
amor edendi. p.344.l.21.
Ananias, & Ananiel, *unde.* p.92. l.17,19.
anceps. p.187.l.15.
Annibal, *unde.* p.92.l.19.
arnacides, *qid,& unde dictæ.* p.108.l.35.
avdere, *vacans.* p. 42.l.35, 38.
avriga, *pro navis gubernatore.* p.357.l.8.
brachia, *de mari.* p.355.l.18.
cadere, *qi ſumatur.* p. 292. l.2. [illegible]3.
calceum projicere, *qid velit.* p.371.l.11.
caniſtra ficcaria.p.231.l.15.
caput. p.194.l.27.
canthus. p.188.l.13,20.
cœlum, *qi ſumatur.* p.156. l.13.p.158.l.9[illegible].159.l.4
columnæ,columen, columellæ *qi dicti.*p.393.l.15-p.399 l.17.
conceptus. p.208.l.17.
conſideratus.p.185.l.26.
copo, *unde.* p.2[illegible]9.l.9.
cornipedes eqi. p.189.l.1.
credere in aliqem, *nunc laxiùs,nunc ſtrictiùs ſumi.*p.385. l.8. p.388.l.3.
crepo, *unde.* p.319.l.17.
crepum,& crepuſculum,*unde.* p.318.l.34.
criſpus, *unde.* p.318.l.36.
criſſare, *unde.* p.318.l.35.
currus, *pro nave.* p.357.l.19.
de, *αὐξητικὸν, στερητικὸν.* p.319.l.29,32.
decrepare,*qid* p.319.l.26-32
decrepiti, *qi, & unde dicti.* p 318.l.31-p.320.l.30.
dedolere,*qid.*p.319.l.37.
denaſci, *qid.*p.319.l.33.
dens anchoræ,aratri,vomeris, tribuli. p.187.l.19-24.
depudere, *qid.*p.319.l.35.
depuvire, *qid.*p.319.l.31.
deſipere, *qid.*p.320.l.3.
deſpretus, *qid.*p.319.l.31.
deſterrere, *qid.* p. 319.l. 26. p.320.l.9.
dirus, *unde.*p.318.l.36.
domo, *unde.* p.269.l.9.
domus, *pro nido.* p.353.l.6.
donativum, *qid.* p.95.l.9,12, 15.
Elhanan,unde. p.92.l.19.
encombomata, *quæ, & unde.* p.106.l.6.p.108 l.34.
epigri, & epiuri, *qid velint.* p.73.l.16 p.374.l.5.
exomis, *veſtis qalis.* p. 111. l.14.
facere barbam,ungves.p.323. l.7.
facere medicinam, argentariam, hiſtrionicam. p. 301. l.21-37.
fœtura, *qi ſumatur.* p. 208. l.24.
fraterculare. p.205. l.30.
frondes, *gomedò ſumatur.* p. 207. l.1.
fulcire, & fultura, *de cibo.* p. 343. l.28,38. p.344. l.14, 18.
gromm,*unde.*p.318.l.36.
hodiè, *latiuſculè ſumptum.* p.58.l.32.p.59.l.2.p.60.l.3.

ille, *ipſe, iſte unde.* p.195.l.26.
incipere, *vacans.* p.42.l.37.
induere, *qì uſurpatur.* p.98. l.37-p.105.l.34.
Indiæ *nomine qæ regiones vulgò veniant.* p.265.l.36.
inveſtis, *qis.* p.103.l.8.
lavdare, *priſcis qid.* p.87.l.11.
libamen, p.280.l.25.
limen, *pro ædibus.* p.295.l.20.
lingva, *de promontoriis.* p.355. l.24. p.356.l.11.
lupus, *unde.* p.319.l.17.
manicare. p.359.l.32.
matula, *pro homine viliſſimo.* p.367.l.33.
mereri. p.95.l.14.
mola ſalſa. p.280.l.25.
mora, *unde.* p.318.l.36.
mos, *unde.* p.228.l.32,34.
naſi ſudor, *qid velit.* p.214. l.30.
nidus, *pro domo.* p.363.l.17.
non ita, *formula.* p.26.l.20.
noſſe, *cognoſcere, probare, curare:* non noſſe, *contrà.* p.72. l.17-30.
nudus. p.108.l.26.
orjundi, *τετυλλάβως.* p.356 l.5.
os, *pro facie.* p.214.l.34.
pedem immittere, *qid velit.* p.371.l.11.
pedes tegere, *qid, & unde tractum.* p.205.l.20-p.206.l.23
pedes, *pro pudendis.* p. 203. l.20-p.206.l.14.aqa pedum, *inde.* p.204.l.25 27. & pilus pedum. p. 205.l. 22, 35. p. 206.l.2.
Phormio, *fabula Terentiana unde dicta.* p.115.l.24.p.116.l.7
pietaticultrix, *ciconiæ epithetheton* p.269.l.31.
pius, & pietas, *qid, & unde.* p.269.l.17,24.
poſſe, *vacans.* p.43.l.7,11.
poſſeſſio, *unde dicatur.* p.371. l.18.
primò, primitùs, principiò. p.153.l.11-30.
principium, *qì ſumatur.* p.153 l.31.
promontorjum, *qadriſyllabum.* p.356.l.5.
putari, *vacans.* p.42.l.20.
religioſus, in partem ſeqiorem. p.269.l.18.
reſpondere, *pro ſpondere, præſtare.* p.238.l.5,12.
rus, *unde.* p.328. l.34.
ſcena, *unde.* p.314.l.12.17.
ſculponeæ, *qænam ſint, & unde dictæ.* p.375.l.16-p.376.l.3
ſororiare. p.205.l.31.
ſpiritus. p.156.l.24.
ſtipendium. p.95.l.2,12.
ſupercilium, *de monte, ſive clivo.* p.356.l.17.
ſynodia. *qid.* p.126.l.27.
terra, *qì ſumatur.* p.157. l.9. p.158.l.22-p.159.l.4.
torpeo, *unde.* p.269.l.
traga, *qid.* p.186.l.31 p.188.l.4.
trahæ, *qid.* p.186.l.28. p.188. l.4.
tranſgreſſus, *de navigatione.* p.356.l.27.
tribula, *qæ.* p.186. l.26.
uterus, & venter, *promiſcuè uſurpata.* p.209.l.16.
valere, *vacans.* p.43 l 9.
velle, *vacans.* p.43.l.37.p.44. l.1,30.
veſpa. *unde.* p.319.l.18.
veſticeps *qis.* p.103.l.7.
videre, *pro probare.* p.165.l.15.
videri, *vacans.* p.42.l.20.
virgatæ veſtes. p.109.l.26,27.
zona. p.107.l.17.

Anglicanæ voces & formulæ.

To anſwer a debt, p.328.l.14.
to die in ones bed. p.353.l.20.
heart-burning. p.345.l.28.
ſleds. p.186.l.33.
to ſtay the ſtomak. p.343.l.7.
waſh-pot, & waſhing-pot, p.367. l.15,22.
the wiſh, p.249.l.18.

Inſerenda ſuis locis, qæ ſunt omiſſa, nonnulla.

PAg.8. ad calcem lin.9. Et Cyprianus, *ad Qirinum lib.*3. § 92. *Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.*

Pag.42.l.21. fuiſſe. nec aliter Ambroſius, *hexamer.lib.6. c.4.* de Echino ; *Spinis ſuis clavditur,—ut qicunqe eum contingendum putaverit,*(pro eo qod eſt, *contigerit*) *vulneretur.*

Pag 222. lin.26 -dicitur. Rom.c.15. v.8.

Pag.288. ad fin. l.35. Alii, ê qibus Juſtinus *dialog. cum Tryphon.*Græcos ſecuti Interpretes, qi ſic reddiderunt ; Ὑμεῖς δὲ ὡς ἄνθρωποι ἀποθνήσκετε, καὶ ὡς εἷς τῶν ἀρχόντων πίπτετε. *Vos verò ut homines morimini,& ſicut unus è principibus caditis,* ſive,*occiditis :* membrum prius de parentibus noſtris protoplaſtis Adâ et Evâ, poſterius de Satanâ, Angelo deſertore, qi et ἄρχων dicitur Joan. c.14.v.30. et τῶν ἀρχόντων ὑπηρετῶν unus primitùs fuerat, ſed ſorte primitivâ excidit, exponunt. Alii—

Pag.338.lin.5. אֲדֹנִים אֵרוֹן Hymn.136. v.3. (qo loco et verſ.2. אֱלֹהֵי אֱלֹהִים legitur ; qod *ellipſin* Grotianam ſuſpectiorem mihi facit) In ſyllabis. pag.414. col.1. poſt Hymn. 82. v.6.-v.7. p.288.l.21-p.293.

Ibid. col.3. Hymn.136.v.2,3. p.338. l.5. in adjectis.

Pag.421.col.3. poſt lin.9. *lib.6.c.*4.p.42.l.21.in adjectis.

Pag.431. col.3. poſt lin.10. Juſtinus,*dialog. cum Triphon.* p.288. in lin.35. adjectis.

Thomæ Gataker

LONDINATIS

CINNUS.

SIVE

ADVERSARIA MISCELLANEA;

ANIMADVERSIONUM VARIARUM

Libris sex comprehensa.

QUORUM

Primores duo nunc primitus prodeunt, reliqis deinceps (Deo favente) seorsim insecuturis.

LONDINI,

Typis *J. Flesheri*, impensis *L. Sadleir* Bibliopolæ, commorantis in vico vulgò vocato *Little Britain*, apud quem prostant venales. 1651.

Fracta & liquata contulerunt Vascula.

Proinde nec inscitè Septimius; *Apologet. c.* 12. *Deorum simulacra* nihil esse aliud, quàm *materias sorores vasculorum instrumentorúmque, quasi fatum consecrationis mutantes, licentiâ artis transfiguranti.* Et Septimio prior Philo *de vit. contemplat.* Τῶν ξοάνων ἡ ἀγαλμάτων αἱ ὕλαι, λίθοι ἢ ξύλα, τὰ μὲν ἐξ ὅλων λιθίνων ἄμορφα, λιθοτόμων ἢ ἀρυστόμων ἐργασίας ἀνάπλεα φαύλων, ὧν τὰ ἀθλιώτατα μέρη ἢ ξυσμοῖς λεπτουργεῖσι χαίνειν ἢ πολύτρητα, ἢ ἄλλα ἄττα τοιαῦτα ἀπηρτισμένα, ἃ ἐφεῖται τοῖς ἐπὶ τέχνῃ χρείας ὑπουργεῖν μᾶλλον, ἢ τοῖς ἐν φανῷ. *Sculptilium ac simulacrorum substantiæ sunt lapides & ligna, donec à congenitâ materiâ cæsorum sculptorúmque operâ recisa fuerint, informia prorsùs, quorum germana cognataque partes in labra, pelluvia, aliáque non ignobiliora concedunt, qæ tenebrarum potiùs quàm lucis usibus inserviant.* Et vice versâ de Sejani statuis Aquinas *sat.* 1.

——*descendunt statuæ, restîmque sequuntur.*
Jam stridet ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secundâ
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.

hæc, vasa vilissimo ac sordidissimo usui cuivis deputata. Nec abscedit longè Græcorum recentiorum diverbium illud, quod reperitur apud Theodorum Metochit. *hist. l.* 2. & apud Constantinum Manassem *in synopsi historicâ*;

Ἀμὶς ἢ ποτήριον ἐκ τῶν αὐτῶν ὕλης.
Matúlæque calicésque eodem confunt vitro.

Cui & istud accrevit Manasses ille;

Πεθύνιόν ἢ κύμβιον ἐκ τῶν αὐτῶν χρημάτων.
Pelluviúmque poculúmque eisdem constant utraque.

Iste ergò planè Regis Lyrodi mens fuerit, se regnum Moabiticum, quod statuæ magnificentissimæ, ex auro æreve Corinthiaco confectæ, aut vasis pretiosissimi atque honoratissimi, instar jam habeat, confractum in fornacem missurum, ut in matulam aut pelvim refingat denuò, qæ usibus quam sordidissimis quibuvis adhibeantur.

Sequitur de Edomo וְעַל אֱדוֹם, quod Græci LXX. vertere, καὶ ἐπὶ Ἰδουμαίαν ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου. Latinus Vetus;

Vetus; *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Hieronymus loco altero, *Super Idumæam incedam calceamento meo.* altero, (quod alii plerique sequuntur) Hebraicam originem propius: *Super Edom projiciam calceamentum meum*, sive *sandalium meum*, ut Chaldæus loco altero. Hoc autem ad subjectionem alii, alii & ad contumeliam pariter, prout & de Moabo prius illud, trahunt; sed ratione diversâ. Alii de subjectione tantùm dictum intelligunt. quasi diceretur, *Edomiticam terram subjiciam mihi.* quod & factum legimus Reg.l.2.c.8.v.2. Fr. Vatablus: *calceamentum projicere* est *pedem immittere. Pedem* autem *immittendo possessio acquiritur; saltem tanquam signo tesseræque usitatâ designatur.* Josuæ c.1.v.3. Deus eidem; *Locus omnis quem calcaverit planta pedis vestri, in possessionem vobis cessurus est.* et Calebo Moses, ibid.c.14.v.9. *Terra, quam calcavimus pedes tui, in hereditatem tibi tuisque concedet.* quasi pedem in eâ ponendo, jam occupassiet, dominiúsque ejusdem institutus esset. unde & Juristæ quidam *possessionem*, quasi *pedis positionem* dictam fingunt. quod eruditiores tamen meritò repudiant ac refellunt. Videantur Andr. Alciatus *de 5 pedum proscript. de verb. & rer. significa. & disputt.l.1.c.1.* Jo.Gœddæus, *de sequestr.possess. & fruct.* §.23. & Scip. Gentilis, *origin.c.50.* Favet his quòd Veteres, Græcus & Latinus, *extendam*, non, *projiciam*, sed minùs commodè, vertunt. et in eandem mentem Brentius: *Super Edom proferam calceamentum meum, subjectionis*, inquit, *est descriptio: proferre enim calceamentum, est proferre imperium, & subjicere tibi terram, quam pedibus tuis calcaveris.* Alii ulteriùs trahunt, & ad tractationem ignominiosam extendunt. *Subjectionem contumeliosam significat*, inquit Mollerus. Junius itaque; *audaciter conculcabo.* Chaldæus: *super junctiuram cervicis strenuorum ejus calcem meum injiciam.* quemadmodum Regum Canaaniticorum *cervices* Josua suis *conculcandas* dedisse legitur cap.10.v.24. quò facit & quod de *hostibus* suis *conculcandis, luti instar*, habet Rex idem λυρωδὸς Hymn.18.v.38,42. quanquam aliud esse potest illud ibid. v.40. *Cervices hostium meorum tradidisti mihi quò oderes meos disperderem.* fugam enim fusorum innuere videtur, in quâ cervix obversa, persequentibus

patet, & ad ictum letalem infligendum objicitur. Camins; & ex R. Moſe Eſdraides; *Conculcabit eos pes meus: erúntqo inſtar ſcabelli pedibus meis.* Ut Conculcationem ejuſmodi contumelioſam deſignet, qâ Chriſti hoſtes *in ſcabellum pedibus* ipſius diſpoſitum iri denunciatur. Hymno 110. v. 1. qo modo & Valerianum Imper. Romanum Sapores Perſa, Romanum Diogenem Belphecus, Bajazethem Tamerlanes Scytha, bello captos, ſcamni loco adhibuiſſe, equm inſcenſuri, perhibentur. Narrant Trebell. in *Valer.* Oroſius *hiſt. l. 7. c. 22.* Fulgoſ. *memorab. l. 9. c. 5.* & Egnat. *de Imperat. Rom. l. 2.*

At Mollerus; *Idumæos non ſubjiciam tantùm, ſed etiam cum contumeliâ quadam, ipſorum miſerias aliis oſtentabo: ut cum qis alicui ſuperbè inſultans, calceum inter feriendum in eum projicit; ſignificans ſe hunc non tantùm contemnere, ſed etiam ludibrio habere, atqe aliis ridendum proſtituere.* Illiuſmodi fuit, qod Alexander 3. Pontifex Romanus Frederici majoris Imperatoris ſuppliciter inclinantis ſe cervicem per ſuperbiæ exceſſum vix credendum, havd ferendum certè, faſtuoſiſſimè calcavit; adjecto ſimul Hymnodi verbis illis, ex Hymno 91. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum incedes; Leonem ac draconem conculcabis.* Referunt Jacob Bergom. in *ſupplement.* Navcler. *gener.* 20. & Papyr. Maſſon. in *Alex. 3.* Hujus qod Cœleſtinus 3. Henrico Imperatori coronam Imperialem, qam capiti illius, non manuum, ſed pedum uſus operâ impoſuerat, pedibus denuò eiſdem per ludibrium à vertice deturbavit. Id teſtantur Ranulph. *polychron. l. 1. c. 26.* & Rog. Hoveden. *annal. part. 2.* in *Richard. 1.* ex qo etiam lavdat probátqe Baronius Cardin. *Annal. tom. 12. ad Ann. Chr. 1191. §. 10.* De pedis ſoccíqe Pontificii oſculo, qo nihil familiarius, nihil freqentius, Regibus etiam ac Imperatoribus ſummis imperato, non admiſſo tantùm, nihil ipſe dico. qo tamen loco habuerit Seneca, qod Cajus Imperator Pompejo Penno pedem oſculandum porrexerat, docet ipſe *de benefic. l. 2. c. 12. Qi excuſant*, inqit, *& negant id inſolentiæ cauſſâ factum, ajunt ſocculum avratum, imo avreum, margaritis diſtinctum, oſtendere eum voluiſſe. ita prorſus: qid hîc contumelioſum eſt, ſi vir conſularis avrum & margaritas, & alioqin nullam partem in corpore ejus electurus, qam puriſſ oſculare-*

tur,

tur, oſculatus eſt? homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Perficâ ſervitute mutaret; parum judicavit, ſi Senator ſenex, ſummis uſus honoribus, in conſpectu Principum ſupplex ſibi, more victorum hoſtium jacuiſſet; invenit aliquid infra genua, qo libertatem detruderet. non hoc eſt Rempublicam calcare? Certè ſi Senatori ſoccum oſculandum præbere Imperatorem, ſit Rempublicam calcare, ab Imperatore idem exigere Pontificem, qidni Imperium calcare fuerit? ſed pergit avtor noſter: *Parum enim fœdè furioſéqe inſolens fuerat, qi de capite Conſularis viri ſoccatus avdiebat, niſi in os Senatoris impegiſſet Imperator pigros ſuos.* ita vulgati codices. *pedéſqe pigros* dictos avtumat Turnebus *adverſar. l. 9. c. 30.* joculari vocabulo, qo deſidiam principis ſegnitiémqe notaret. Verùm Tredigioni noſtro *obtuſum* hîc videtur Turnebi *acumen.* itaqe Pincianum præfert, qi *pictos ſoccos* legit; ſed ut *ſocculos* malit. Joſ. Scaliger *epigros* repoſuit. cui calculum dat ſuum Jo. Mevrſius in *Avctario Philologico, de Gloriâ diſſertationi* ſubjuncto: & *Animadverſ. miſcell. l. 4. c. 11.* ex Iſidori avtoritate, qi *origin. l. 19. c. 19.* & in *Gloſſis*; (qx eadem & Papias habet in *Vocabulario* ſuo) *Epigri, clavi, qibus lignum ligno adhæret.* eámqe vocem Avguſtino inde reſtituendam ſtatuit, *de Civit. Dei. l. 15. c. 27. et Lignum ligno per ſubſcudines,* (*ſubſcudes*, Lipſ.) *epigros* (*epiros*, vulg. ubi Vives, *vel mendoſe legitur, vel quærendum qid ſit*) *clavos & gluten bituminis non poteſt adhærere, ut fabricetur arca? Clavos* ergò intelligunt calceis impactos ſuppactóſve; & Caligulæ qidem, avreos. *Epigri* avtem iſti unde dicantur, docet Jac. Mavſſacus in *diſſertatione criticâ ad Harpacrationem notis* præfixâ, à Græcâ utiqe voce ἐπίγειοι, ablatâ diphthongo ἔπιχοι, & verſo κ in γ, ἔπιχοι. ſic enim Heſychius. Ἐπίκυφοι, βοῦβοι, ζύμωμα χοι, ὄπισθοποι· ἢ ἅλοι ξύλινοι. Qin & ἐπίγειοι iidem dicti. qod & Dan. Hejnſius *lection. Theoc. c. 11.* monuit. Heſychius, ἐπίγειοι, ἅλοι ξύλινοι. et mox; Ἐπίγυος· ὁ φύλαξ ἀπὸ ξύλου ἐπήγα. In *Gloſſariis* etiam; ἐπίγυϑ, *compages, ſudis.* Et rurſus, τόμφϑ, ἐπίγυϑ, *ſudis.* Et Palladius *l. 11. c. 8. Oleaſtri epiurum* dixit. Neqe proinde neceſſe eſt, ut vel apud Palladium, ex Mevrſii arbitrio; pro *epiurum, epigrum* legamus; cum *epiurus* probæ notæ vox ſit; & multò minùs, ut in *Gloſſariis*,

ὑπηχῶ, *subsecui*; qum & literarum series refragetur, & lectio eadem constanter tot locis reperiatur; vel ut apud Isidorum, ex Mavssaci conjecturâ alterâ, pro *Epigri*, *Epiuri* sive *epiuri* reponamus. qum & istud apud Papiam pariter legatur, & Avgustini patrocinio se tueri videatur. Hæc obiter; qia non sunt qibusqe obvia. Cæterùm, ut criticis hisce missis aliorúmqe censuræ permissis, ad superiora revertamur. Perinde habet Seneca, *Soccum osculandum porrigere*; ac si *calceum* ei *cum clavis impactis in os impegisset*. Proinde calceum osculandum alicui præbere, tam præbentis fastum, qìm & ad munus id admissi contemptum insinuat. *Soccum* verò *impingere*, *soleâve cadere*, non contemptus tantùm & ludibrii, sed & contumeliæ res habebatur; nec nisi eis, qos pro abjectissimis haberi mancipiis volebant, adhiberi consveverat. Apud Comicum *Evnucho*, *act.5.sc.8.* ubi Thaidi se dedere statuerat Thraso, facturum qod jubeat, Herculis exemplo factum iri id prædicans, qi Omphalæ se olim in servitium dederat; subjicit ex ingenio suo Gnatho Parasitus, sed voce (ne id miles avdiat) submissâ;

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.

sandalium scil. avt *solea* ad manum præstò semper aderat, qo servulus neqam, ubi minùs placuerat, vapularet. Inde Turpilius *Lindiâ*, apud Nonium,

Misero mihi mitigabat sandalio caput.

Herculem avtem sub Omphales servitio agentem, Lucianus in *de historiâ conscribendâ* ita solitos docet pictores depingere. ἐν γραφαῖς δὲ καὶ πορφυρίδι γέλα ξαίνοντα, καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆ Ὀμφάλης τῷ Σανδαλίῳ. idqe Æsculapium inducit idem in disceptatione qadam illi objicientem: ὅτι ἐδέλιδου, ἄνερ οὗ, ὅτι ἔξαινον γέλα ἐν Λυδίᾳ, πορφυρίδα ἐσθῆτα δυνὰς, καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆ Ὀμφάλης χρυσῷ Σανδάλῳ. Perfius item *satyr.5.* amore infano perdito adolescenti,

——*soleâ, puer, objurgabere rubrâ.*

i. soleâ castigaberis, ut pueri assolent. puerilis enim castigatio ista, *socco cadi*. Apud Lucianum, de Cupidine Lunæ Venus: Ἤδη γὰρ πολλὰς αὐτῷ ἐνέτριψα εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ. Idémqe in *Philopsevde*; σανδάλῳ γὰρ χρυσῷ ἐς τὰς πυγὰς ἄνερ τὰ παιδία, παίδες ἄξιοί ἂν εἶεν, οἱ ἀπιστοῦντες. qod Juvenalis

Sat.6.

Sat.6. de mulieribus viros ludibrio habentibus, et contumelioſe tractantibus;

——*Et ſoleâ pulſare nates.*

nam, *ſolea, ὑπόδημα.* Gloſſ. et, *βλαυτὸν, Σανδάλιον πάνυ.* Heſychius. *βλαυτὸν* autem, *crepida, ſolea*; et *βλαυτίον, crepidula*, ſive *ſandalium*; qo utebantur, qando ornatiores eſſe volebant, uti ex Platonis *Sympoſio* diſcere eſt. Qin & apud Plavtum *ſoleæ ſculponeæ* opponitur, in *Caſinâ*, an *Camiſâ*, *act.2.ſc.8.* qi locus huc apprimè facit. Ibi ſeni neqiſſimo & libidine ex ungviculis ipſis perpruriſcenti, cum is coqo ad epulas, qas lavtiſſimè inſtructas apparatáſqe volebat, *ſoleas* (piſces nimirum) comparandas, mandaret, aſtans ſervulus, & ambiguo ludens,

Qî, qæſo, potiùs, inqit, *quam ſculponeas*,
Quibus batuatur tibi os?——

ubi, *ſculponeas*, Fulgentius Planciades, *dici volunt*, inqit, *ceſtus plumbo ligatos*. ineptè prorſus. ſunt enim *ſculponeæ*, Catoni *de re ruſtic.c.59.* memoratæ, qæ Græcis *κυρβάσια*, (de qibus alibi diximus) *calceri lignei*, cujuſmodi in Galliâ tenioris fortunæ fortiſqe vilioris plebs induitur; ruſticis vernuliſqe familiares. Unde Triptolemus *ſculponeatus*, i.e. *ſculponeis calceatus*, dum *bigas cornutas ſequitur*, à Varrone in *Serrano* (non *ſeſquiſyſſe*, uti memoriâ lapſus Pareus) apud Nonium. viſus fingitur. dictæ ex non à *ſculpo* ſive *ſcolpo*, ſono fictitio qem edunt, dum per lutum craſſiuſculum incedunt ruſtici, ut Turnebus cenſet, *adverſar.l.6.c.23.* Sed à *ſculpendo*, ut rectè Henr. Stephanus; qia è ligno edolabantur. Huic enim potiùs accedo, qàm Fr. Fernandio, qi Rob. Stephanum, & Ambr. Calepinum, qos tamen cum lectionibus vitioſis tranſcribit, havd immerito qidem caſtigat, in *didaſcaliâ* multiplic.c.28. qia *calceos* eſſe dicunt *è lanâ confectos*, ipſe *ex corio bovino duriſſimo* vult. qod cum vocabuli notatione minùs convenit. Nec ſecius accipere cogit qicqam, apud Nævium in *Philemporo*, à Fulgentio lavdatum, verbis illis;

Sculponeis batuenda ſunt hinc latera probè.

ecqid enim obſtat, qo minùs tam latera, qàm & ora, ſculponeis, lignex cum eſſent, non abſqe moleſtiâ ſatis inſigni, cæderentur? Vult ergò Chalinus Plavtinus, non ſolcâ è corio con-

